A.R.P. DALMATII KICK
ORD. MINOR. S.P. FRANCISCI
REFORMATORUM

THEOLOGIA DOGMATICO-SCHOLASTICA UNIVERSA.

UNIVERSA
THEOLOGIA
DOGMATICO-SCHOLASTICA

PRO

SACRAE SCIENTIAE

STUDIOSIS ET AMATORIBUS

CONCINNATA

à

P. FR. DALMATIO KICK

ORDIN. MINOR. S. P. FRANCISCI REFORM. LECTORE EMERITO, AC PROVINCIAE ANTONIANO-BAVARICAE EXPROVINCIALI.

TOMUS I.
PROLEGOMENA.



PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTAE VINDEL. ET OENIPONTI

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF,

MDCCLXV.

Epistola Dedicatoria

ad

Reverendissimum, Religiosissimum et Amplissimum Patrem,

Patrem

PETRUM JOANNECIUM
DE MOLINA

Lectorem Emeritum

&

Totius Ordinis FF. Minorum S. P. N. Francisci

iterato

Ministrum Generalem,

ac in

Congressu Regio Matritensi

Pro Immaculata Conceptione B. V. Mariæ

Theologum,

Patrem, ac Superiorem Observandissimum &c.

Reverendissime, Religiosissime, ac Amplissime Pater, Pater, ac Superior Observandissime &c.

Patere, Reverendissime Pater, ut summa, qua par est, reverentia Tuis Venerabilibus Manibus inseram primum Theologiæ Dogmatico-Scholasticæ, quam typis vulgo, Tomum! Cui enim præprimis debetur, nisi Tibi, qui Primas in Ordine nostro universo tenes, ex maximis, quibus splendescis, meritis? Vere enim imitator es Seraphicus Seraphici Patris Nostri, non solum Seraphica ardens charitate, & maximo regularis disciplinæ Zelo: verum & bonarum Literarum, præcipue Theologicarum, excellis cultura, id unum cordi habens, & executioni mandans, quod S. P. Franciscus scripsit, dum D. Antonium primum Ordinis Lectorem Theologum instituit: *placet studium cum pietate.*

Placent Tibi apprime studia, maxime Theologica, cum solida virtute conjuncta, & hæc ubivis inter nos efflorescere, & nova incrementa vis

accipere, ut Encyclicis, monitis, ac juſſis oſtendis: id, quod totum Ordinem, & in eo omnes Scientiarum amatores mire recreat, & excitat, mihique, qui inter Minores Minimus, & inter Scientificos ultimus exiſto, ſtimulos injecit, ut & meum qualecunque Talentum impenderem labori illi, cujus primitias, ſeu prima potius Theologiæ Rudimenta hic offero, ſecutus, ut puto, præcepta, quæ mihi placuit præſcribere; nempe, *vanis, inutilibusque quæſtionibus affatim reſectis, ex limpidiſſimis Sacrarum Scripturarum, Traditionum, SS. Eccleſiæ Patrum, Conciliorumque Generalium fontibus, in quibus veræ fidei, ſanæque doctrinæ aſſervatur depoſitum,* haurire curavi placita Theologica, ut Matriti 25. Maji ad me datæ Paternæ, & Obſervandiſſimæ Literæ imperant.

Queis, & aliis plurimis Tuis, quibus Diſciplinas Theologicas in Ordine Franciſcano excolere adlaboras, demonſtras, Te ad eum tendere finem, quem Univerſalis Eccleſiæ expoſcit neceſſitas, ac Spiritualis animarum utilitas, pro ratione inſtituti noſtri promovenda. Atque hinc juxta SS. Cano-

SS. Canonum Decreta *Theologiæ ſtudium* cupis *ampliari, ut dilatato ſui Tentorii loco funiculos faciat longiores, ut ſit Fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex adverſo.* cap. *Super ſpecula* 10. *Ne Clerici, vel Monachi.* & cap. Eodem. 5. *de Magiſtris.*

Enimvero Sacræ illius Facultatis Tentorium dilataſti, ubi periculoſa ſæculi hujus tempeſtate inconſultum ſententiarum rigorem ex una, & præjudicatam opinandi licentiam ex altera partibus reſcindi præcepiſti, ac ſapere volentium animos intra limites reſtrinxiſti probatæ veritatis; inde enim teſte Euſebio L. 2. *de Fide adverſus Sabellium*, & propria cujusque, & aliorum dependere ſalus dignoſcitur. Ita Euſebius cit. loquitur: *Qui Religionem ſecundum veritatem docet, & ſibi vitam æternam acquirit, & omnibus, qui docentur. - - - Dicit enim Dominus: Ego propter hoc veni, & propter hoc natus ſum, ut teſter veritati.* Et profecto funiculos Theologiæ feciſti longiores, & magis expeditos, dum ſpeculationes vanas, easque, quæ ad nihilum va-

lent ultra, diſceptationes penitus amputari mandaſti, ac in id excedere, quo & Fidei, & morum veritates pro vitæ humanæ brevitate velocius, feliciusque aſſequamur, ac pro noſtra, aliorumque ſalute teneamus.

Ea ſane ratione votum aſſecutus es Sapientiſſimi Pontificis Piiſſimæ memoriæ Benedicti XIV. qui a Regularibus Conſtit. *Impoſiti nobis.* vel maxime exoptavit, ut *vigilias, laboresque ſuos non tam in extricandis inutilibus quæſtionibus, quam - - - utiliter collocarent.* Nedum igitur eam Theologiam, quam Scholaſticam dicimus, verum & dogmaticam, ac utramque ita ordinaſti, ut ratio tantundem ſapiat, quantum oportet ſapere, & mens noſtra in Sacrorum dogmatum diſciplinis abundet magis. Quippe, ut S. Gregorius Nazianzenus orat. 32. teſtatum reliquit, *nihil apud Deum ita amplum, & magnificum eſt, ut doctrina perpurgata, & anima veritatis dogmatibus inſtructa, atque perfecta.*

Præterea, cum teſte Apoſtolo 1. Corinth. c. 11. *oporteat & hæreſes eſſe*, quæ, ita perhibente

te Concilio Generali Lateran. c. 3. *diverſas quidem facies habentes, ſed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipſum,* ceu Draco ille magnus Apoc. 12. habens tot capita, & cornua, quot perverſa dogmata, contra Eccleſiam Dei nullo non tempore pugnare noſcantur: hinc quoque ſingulariſſime oportere perſpicuum eſt, ut adverſus ea Sacrorum dogmatum doctrinis accingamur; Hæ enim teſtante S. Cyrillo Alexandrino Epiſt. 1. *ad Succeſſum* ſunt illa armatura Dei, ſcutum Fidei, galea ſalutis, & gladius Spiritus, quod eſt Verbum Dei, in quibus omnia tela nequiſſimorum ignea poſſimus extinguere. Plane, ut ait B. Petrus Damiani *Opuſc. contr. Jud.* ab initio, *indecorum eſt, ut Eccleſiaſticus vir his, qui foris ſunt, calumniantibus per ignorantiam conticeſcat, & Chriſtianus, de Chriſto reddere rationem neſciens, inimicis inſultantibus victus, & confuſus abſcedat.*

Merito igitur, Reverendiſſime, ac Ampliſſime Pater, eam, quæ pro defenſione Fidei orthodoxæ ita neceſſaria eſſe cenſetur, Theologiam Domaticam toto niſu inſtaurari præcepiſti. Sed &

 illam,

illam, quæ Scholastica est, mandato tuo non exclusisti, quam miris laudibus ornat Sixtus V. in Literis Apostolicis, quibus S. Bonaventuram eximiis Ecclesiæ Doctoribus accensuit; ita enim ibi inter alia de Theologia Scholastica pronunciat: *Hujus tam salutaris scientiæ cognitio, & exercitatio semper certe maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere, & sane intelligendas, & interpretandas, sive ad Patres securius, & utilius perlegendos, sive ad varios errores, & hæreses detegendas, & refellendas. His vero novissimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculosa, ab Apostolo descripta, sane Catholicæ Fidei dogmatibus, & hæresibus confutandis pernecessaria est. Et profecto, rem ita se habere, ipsimet veritatis inimici sunt Judices, quibus Theologia Scholastica est formidolosa.*

Quæ cum ita sint, Reverendissime Pater! ut meas quoque vires, utut tenues, Tuis consecrem votis, haud superfluum duxi; Sancti enim Augustini L. 1. *de Trinitate* c. 3. sententia est, & nota multis, & digna, ut ab omnibus sciatur:

optandum eſſe, ubi hæreſes vigent (quæ certe præſertim in Germania, in qua vivo, necdum emarcuerunt) ut, quicunque aliqua ſcribendi facultate præditi ſunt, ii ſcribant omnes, etſi non modo de rebus iisdem ſcripturi ſint, ſed eadem aliis verbis fortaſſe ſcripturi. Porro pro baſi totius Theologiæ, quam complecti meditor, opus hoc de locis Theologicis collegi, illudque tanquam novi laboris Primitias Tibi, Reverendiſſime Pater, offero, utpote qui & alios meos Tibi placuiſſe conatus, benigno affectu teſtatum feciſti, dum eos Matriti, me abſente & inſcio, prælo committere dignatus es.

Accipe ergo hoc munuſculum, multis Tibi nominibus debitum, ac de toto Ordine, noſtraque infima Bavarica Provincia, ut hactenus feciſti, bene mereri perge. Noſtrarum erit partium, Deum aſſidue precari, ut ad Eccleſiæ Univerſæ, & Totius Ordinis Seraphici decus, ad noſtræ Provinciæ ſolatium non modicum, ad rei literariæ incrementum ingens, ad cumulum & augmentum propriorum meritorum immenſum, Te in

annos

annos adhuc plurimos conservet incolumem, & sospitem. Ita, exorans Seraphicam Benedictionem demisso poplite, exopto, & voveo

Reverendissimæ, ac Amplissimæ
Paternitatis Suæ

Filius, & Subditus infimus,
ac obsequentissimus
Fr. DALMATIUS KICK
Reformatæ Provinciæ Tuæ Bavaricæ
Alumnus minimus.

Licentia

Licentia

Rmi. P. Commiſſarii Generalis Familiæ

Frater Paſchalis a Variſio Ordinis Minorum S. P. Noſtri Franciſci Lector Emeritus, Concionator Generalis, & in tota hac Cismontana Familia, tam Obſervantium, quam Reformatorum, & Conceptioniſtarum Commiſſarius Generalis: Viſitator, ac Reformator Apoſtolicus, & Servus

Quum juxta apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones ab Idoneis Cenſoribus Opus quoddam a Rendo. Pre. Fratre Dalmatio Kick noſtræ Reformatæ Provinciæ Bavaricæ Lectore Emto.; ex Miniſtro Provinciali, & actuali Diffinre. elaboratum, cui Titulus eſt: *Theologiæ univerſæ Dogmatico - Scholaſticæ Prolegomena*, cognitum, illudque ab ipſis reviſum, & approbatum fuerit: Nos præſentium tenore ad Salutaris Obedientiæ meritum facultatem facimus, quatenus ſervatis ſervandis idipſum Typis mandari poſſit, & valeat.

Dat. Romæ ex noſtro aracœlito. Cœnobio, die 23 *Maji* 1764.

Fr. Paſchalis a Variſio
Commiſſarius Generalis.

(L. S.)

Regta.

De Mando. Remi. in Chriſt. Patris
Fr. Antonius a Fundo
Secretarius Generalis.

Facul-

Facultas

A. R. P. Miniſtri Provincialis cum Privilegio Cæſareo.

Cum Dominus Joſephus Wolff Bibliopola Auguſtanus Typis vulgare velit Librum, inſcriptum: *Prolegomena Theologiæ Univerſæ Dogmatico-Scholaſticæ:* conſcriptum à P. Dalmatio Kick, Ordinis noſtri, & Provinciæ Bavaricæ Fratrum Minorum S. P. N. Franciſci Reformatorum Ex-Miniſtro Provinciali, & Lectore Emerito, & jam debitè approbatum, Eidem D. Wolff Facultatem imprimendi, & diſtrahendi, concedo, ſimulque communico, ad Decenium tamen tantum duraturum Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis, & Typographis interdicitur, ne dictum Librum, vel alios Libros à Patribus, & Fratribus ſtrictioris, vel Regularis Obſervantiæ S. P. Franciſci editos citra Conſenſum Superiorum prædicti Ordinis recudere, vel infra fines S. R. Imperii inferre valeant. In cujus Confirmationem has Literas Chirographo meo, & conſueto Officii mei Sigillo munitas dedi. Monachii 22. Auguſt. 1764.

(L.S.)

Fr. Monitor Puechner,
Miniſter Provincialis.

Appro-

Approbatio Theologica.

Ex commiſſione A. R. P. Monitoris Buechner, Ord. FFrum Min. S. P. N. Franciſci Reformat. Lectoris Emeriti, ac Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Miniſtri Provincialis actualis, *Prolegomena Theologiæ univerſæ Dogmatico-Scholaſticæ*, tractantia de Sacra Scriptura, Traditionibus Eccleſiæ, SS. Pontificibus, Conciliis, SS. Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, ab A. R. P. Dalmatio Kick (cujus Nomen Urbi, & Orbi litterato jam dudum celebre habetur) ejusdem Ordinis, & Provinciæ Lectore Emerito, ac Ex-*Miniſtro Provinciale* ſingulari induſtria, nervoſo, claro, ac facillimo ſtylo collecta, & digeſta, ſedulò examinavi: & in his nihil contra Orthodoxam fidem, aut bonos mores offendi; ſed ita eruditè ex probatiſſimis Authoribus ſingula reperi attemperata, ut exinde multifariæ fons ſcientiæ ſcateat. Digniſſimum proin judico, ut præfata Prolegomena præli beneficio in publicum prodeant.

Dabam Monachij 5ta Maji, 1764.

Fr. Venuſtianus Hiebel,
Lector Generalis, Ex-Provincialis,
& Diffinitor Generalis actualis.

Approbatio Theologica.

Cum ingenti oblectamento animi Commiſſionem ab Adm. Reverendo P. Monitore Buechner Ord. FFrum. Min. S. P. N. Franciſci Reformat. Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Miniſtro Provinciali actuali ac Lectore Emerito mihi factam fui omnimodis executus, attente legendo, & accuratius relegendo Theologiæ Univerſæ Dogmatico-Scholaſticæ Prolegomena, queis ceu baſibus illa innititur, inconcuſſa ſuſtentatur. Nihil in iis bonis Moribus, aut Orthodoxæ fidei adverſum reperi; quin potius univerſa ibi contenta celebre nomen ſui Authoris Adm. Reverendi P. Dalmatii Kick, Seraphici Ordinis, & Provinciæ Bavaricæ Lectoris Emeriti, Ex-Miniſtri Provincialis, & Diffinitoris actualis novo palam ſplendore commonſtrant. Siquidem in his ipſis Prolegomenis de Sacra Scriptura veteris, & novi Teſtamenti, de Traditionibus Eccleſiæ, una cum Chronico omnium Summorum Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, Scriptorum Eccleſiaſticorum, exortarum usque modo Hæreſum ita dilucide pertractat, ut totum Opus alieno haud indigum teſtimonio Solis inſtar propria ſe luce ſignet, probetque. Volvant, & revolvant poſthac ſtudiorum noſtrorum Alumni Opera Theologica ſui Dalmatii ſcholaſticos inter labores infatigabiliter ſeneſcentis. Relevabunt ea Induſtriam indefeſſam Lectorum in docendo, laſſasque manus Diſcipulorum in ſcribendo. Suppeditabunt præterea amplius tempus, quod ob continuam Chori aſſiſtentiam ſatis, ſuperque ſtudioſæ Juventuti noſtræ Religioſæ extat pretioſum. Sicut autem uberrimos hoſce fructus tam præſentis, quam reliquorum partui proximorum Operum Theologicorum Patris Dalmatii facillime eſt divinare, ita & Eadem typo digniſſima non ſolum Provinciæ noſtræ, ſed & toti literato orbi, quantumcunque poſſum, perenixe commendo.

Dabam Monachii 6. Maji, 1764.

Fr. Theobaldus Bux,
Provinciæ Cuſtos, Lector Generalis & SS. Canonum actualis.

Approba-

Approbatio Reverendiſſimi Ordinarii.

Cum Prolegomena Theologiæ univerſæ Dogmatico-Scholaſticæ Authore R. P. Dalmatio Kick, Ordinis S. Franciſci &c. ſubtili, claro tamen ac facillimo Stylo elaborata, nihil orthodoxæ Fidei, aut ſacræ Doctrinæ contrarium, bonisque Moribus abſonum contineat, non Cenſura, ſed Laude ac Prælo digniſſima judico. Auguſtæ Vind. 6. Auguſti, Anno 1764.

Imprimatur.

HENRICUS SIGISMUNDUS de FERCHER,
S. S. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſcopi Auguſtani, Landgravii Haſſiæ, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

FRANCISCUS JOSEPHUS de HANDL,
S. S. Theologiæ Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtani Conſil. Eccleſ. Maj. Poenit. & Libr. Cenſ. nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.

PRÆFATIO.

Librum tibi, Lector benevole, offero, a me primum in ætate graviore conſcriptum; Jam enim annos egreſſus ſexaginta, quos conſumpſi fere plerosque inter pulveres, & labores Scholaſticos, quos ſemper amavi, iis mentem excolendo, calamum arripui. Exordium feci a Prolegomenis Theologiæ, cum viderem eorum notitiam eſſe non modo utilem, ſed & neceſſariam omnibus, qui curam animarum obeunt, vel alias ſolidam de rebus Theologicis quærunt ſcientiam. Explico in his, in quatuor partes diſſectis, quæ de Sacra Scriptura, Traditionibus, Eccleſia, Summis Pontificibus, Conciliis, ac SS. Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis oportet ſcire, ut quis poſſit hoc critico tempore & ſibi, & aliis, maxime dogmata Catholicæ Religionis impugnantibus ſatisfacere. Adjeci etiam breve ad finem Chronicon pro eruditione & neceſſaria, & utili, & oblectante. Methodus eſt facilis, ac plana: ſtilus terſus, non nimis barbarie Scholaſtica hiſpidus, ac inſipidus: nec inutilibus verborum phraſibus ſublimis; intelligi enim volo, non ob ſermonis ornatum laudari: veritatem quippe nudam, quæ iſto verborum ornatu non indiget, ſed ſe ipſa ſatis elegans eſt, quæro, & quæſitam invenire, ac proponere ſtudeo. Si labor meus tibi probatur, Deo, omnis boni authori, mecum age gratias: ſi minus ſcopum meum ſum aſſecutus, pro benignitate tua defectus excuſa, ac vale.

Tomus I.

Theologiæ Univerſæ.

Prolegomena Theologiæ Scholaſtice expenſa.

Secabuntur in 4. partes: quarum prior, præmiſſa notione Naturæ, & utilitatis Theologiæ, primum locum Theologicum, ſeu Sacram Scripturam pertractat, altera ſecundum locum, ſeu Verbum Dei non ſcriptum, id eſt, Traditiones examinat, tertia de Eccleſia Catholica, quarta de Eccleſiæ Patribus, ac reliquis locis Theologicis agit.

Pars I.

De Natura, & utilitate Theologiæ, & de Verbo Dei ſcripto.

1. Prolegomena Theologiæ, cum contineant meras criticas de dogmatis fidei, & Eccleſiæ quæſtiones, & quidem graviſſimas, merito primum locum ſibi in Theologia Dogmatico-Scholaſtica arrogant

Ante omnia igitur ſciendum, quid ſit Theologia, & quotuplex. Theologiæ vox, quæ eſt ex his duabus græcis Θεὸς, & λόγος compoſita, ſignificat ſermonem de Deo: ad propoſitum autem accipitur pro doctrina ſacra, vel cognitione, aut ſcientia Dei; varie quidem dividitur, ego ut brevitati conſulam, miſſis aliis, eam ſolam afferam diviſionem, qua ſecatur in Theologiam Dei, Beatorum, & Viatorum. *Theologia Dei*, vel *Increata* eſt viſio, aut cognitio infinite perfecta, qua Deus ſe ipſum, ac omnia alia cognoſcibilia comprehendit. *Theologia Beatorum* eſt cognitio vel viſio Beatifica, qua Cœlites in Eſſentia Divina ipſum Deum, & alias plures veritates clariſſimo, ac ſimplici intuitu cognoſcunt. *Theologia Viatorum* ſeu noſtra eſt, quam in via habemus, & quæ obſcuro lumini fidei innititur.

2. Theologia Viatorum ulterius ſubdividitur in poſitivam, Polemicam, Myſticam, Moralem, & Scholaſticam. *Poſitiva* juxta D. Habert eſt, quæ in explicandis, & propugnandis fidei capitibus Scripturarum & Traditionum authoritate potiſſimum agit fuſiori ſtilo ac oratorio, qualis eſt apud ſanctos Patres. Poſitiva autem nuncupatur, quaſi, quæ jam poſita ſunt & conſtituta, uſurpet. *Polemica* ſeu controverſiſtica eſt, quæ refutat errores quorumvis infidelium, & hæreticorum, atque contra hos tuetur doctrinam fidei, & Eccleſiæ: & cum hac convenit *Dogmatica*, cujus eſt dogmata fidei & Eccleſiæ tueri contra quoſvis aggreſſores, & ea intime penetrare. *Myſtica* ſeu affectiva eſt, quæ non tam rationis diſcurſu, quam ſimplici mentis intuitu affectuoſe res Divinas contemplatur, & ſapit, & ideo non ſolum intellectum illuminat, ſed & voluntatem inflammat: in qua Sancti, & in meditatione rerum Divinarum, ac contemptu terrenorum exercitati homines, etſi alias ſimpliciſſimi, excellere ſolent, & doctiſſimos non raro ſuperare. *Theologia moralis* eſt, quæ mandata Divina, & humana, & illa, quæ ad informationem morum pertinent, pertractat modo quodam facili absque longiore diſcuſſione.

3. *Scholaſtica* autem dici ſolet, quæ ex principiis fidei, & aliis locis Theologicis doctrinam fidei, Eccleſiæ, & morum ſubtilius exactiusque explicat per diſcurſum methodo Scholaſtica. Appellatur Scholaſtica tum ob methodum Scholaſticam, tum quia ea nemo pollet, niſi diuturno labore in Scholis fuerit eruditus. Non inepte ait Annatus, Theologiam *poſitivam* non eſſe penitus diverſam a Scholaſtica, niſi forte ſecundum modum, quia accuratiore methodo, nempe Syllogiſtica, Scholaſtica expendit ea, quæ poſitiva plane pertractat, & explicat. Theologiam vero dogmaticam, & moralem omnino cen-

ſeo

feo esse partes Theologiæ Scholasticæ, prout ea hucusque est tradita: semper enim Scholastica expendit dogmata fidei, & Ecclesiæ, quod munus competit dogmaticæ. Hinc, quæ in laudem dicentur Theologiæ Scholasticæ, etiam commendant dogmaticam.

ARTICULUS I.

Quædam assertiones de Theologia.

Assero I. In Ecclesia Dei semper fuit aliquis usus Theologiæ in genere. Ita communis. P. Semper fuit necessaria in Ecclesia aliqua notitia, & scientia Sacra Dei, & rerum divinarum: ergo & fuit data, cum nusquam Deus defuerit in providendis Ecclesiæ necessariis. a. p. Fuit semper in Ecclesia necessaria aliqua instructio fidelium in rebus credendis, proinde Divinis: ergo debuerunt aliqui fuisse præditi illa scientia, sine qua non potuissent rite instruere, aut poscenti rationem doctrinæ suæ, eam dare, aut contradicentem reprimere. 4.

Confirmatur ex S. Paulo, qui ad Ephes. 4. affirmat, Deum ineffabili sua providentia Ecclesiæ varios dedisse Ministros, maxime vero alios *Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei.* Rationem subjungit: *ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris.* Dein ad Titum 1. ait: *Oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Ergo censet D. Paulus, in Ecclesia debere esse doctrinam Sacram, quam Doctores & Pastores Ecclesiæ scire debent, ut possint hæreticos confutare, ne ab his fideles circumveniantur. *Hæretici enim*, ait Tertullianus L. de Præscriptionibus c. 14 *Scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam movent; in ipso vero congressu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.* Itaque necessarium est, ut semper aliqui in Ecclesia sint viri periti scientiæ sacræ ex principiis fidei haustæ, qui possint hæreticis resistere, & fideles in vera fide conservare.

5. Dixi: aliquis usus *Theologiæ in genere;* nam ut modo traditur in Scholis optima methodo, ordinatissime, ac Syllogistice, non fuit in usu ante Petrum Lombardum Magistrum Sententiarum, qui circa annum 1160. floruit, & materias Theologicas sparsim a Patribus traditas certo ordine in quatuor libros Sententiarum distribuit, conne-

xas copulavit, non cohærentes diſtinxit. Hujus ſententias poſtea fuſius explicarunt Noſtri Alenſis, D. Bonaventura, Scotus, & alii plurimi. Fuit ergo primis temporibus Eccleſiæ plerumque in uſu Theologia poſitiva. Nunc autem loquendo de Theologia Scholaſtica

6. Aſſero II. Theologia Scholaſtica, prout modo traditur, non eſt quidem abſolute neceſſaria, 2. eſt tamen maxime utilis Eccleſiæ. communiſſima. Primum membrum patet, quia ante exortum Theologiæ Scholaſticæ modernæ populus erudiebatur in Myſteriis fidei, hæreſes a SS. Patribus confutabantur: ergo etiam modo ſine Theologia Scholaſtica id fieri poſſet.

Secundum membrum contra Pſeudo-Reformatos P. 1. ex litteris Apoſtolicis Sixti V., quibus D. Bonaventuram eximiis Eccleſiæ Doctoribus annumeravit. Ibi inter alia de Theologia Scholaſtica ita diſſerit: *Hujus tam ſalutaris ſcientiæ cognitio & exercitatio ſemper certe maximum Eccleſiæ adjumentum afferre potuit, ſive ad Scripturas ipſas vere & ſane intelligendas & interpretandas, ſive ad Patres ſecurius & utilius perlegendos, ſive ad varios errores & hæreſes detegendas, & refellendas. His vero noviſſimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculoſa ab Apoſtolo deſcripta, ſane Catholicæ fidei dogmatibus, & hæreſibus confutandis perneceſſaria eſt. Et profecto rem ita ſe habere, ipſimet veritatis inimici ſunt Judices, quibus Theologia Scholaſtica eſt formidoloſa.*

P. 2. Ex conſenſu totius Reipublicæ Chriſtiano-Catholicæ, quæ hanc methodum ſtatim ab ortu ſuo amplexa, & venerata fuit, & ſumme utilem invenit.

P. 3. Ex Concilio Conſtantienſi, quod Seſs. 8. improbavit omnes errores Wicleffi, & inter hos etiam hunc: *quo univerſitates, ſtudia, & Collegia* (in quibus utique eo tempore docebatur Theologia Scholaſtica) *& magiſteria, vana garrulitate introducta eſſe pronunciabat.*

P. 4. Theologiam SS. Patrum omnes laudant tanquam ſumme Eccleſiæ utilem: ergo & Theologiam Scholaſticam omnes laudare debent ut maxime utilem; nam Theologia Scholaſtica cum illa SS. Patrum idem habet objectum, eodem principio nititur, & in eundem finem collineat, nimirum fidei, & myſteriorum explanationem, hæreſum extirpationem, fidelium inſtructionem &c. Et ſolum in hoc iſta ab illa differt, quod meliore methodo & ordine, quæ SS. Patres variis in locis, prout ferebat occaſio, tractarunt ſparſim, hæc in unum corpus colligit, & ſuis locis apte ſingula diſponit, & eleganti brevitate diſcutit. Quo in puncto plus laudis meretur, quam illa.

Objic.

Objic. I. Theologia Scholaſtica eſt argumentativa; ſed Theologia argumentativa reprobatur à SS. PP. ergo Theologia Scholaſtica reprobatur à SS. PP. m. prob. S. Ambroſius 1. de fide ait: *removenda ſunt argumenta, ubi quæritur fides, & credimus piſcatoribus, non Dialecticis.* S. Leo Serm. 7. de Nat. Dom. *abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ ſapientiæ fumus abſcedat.* Ergo.

℞. c. M. n. m. In his textibus SS. PP. non loquuntur de Theologia, quæ vel Scientia, vel omnibus ſcientiis eminentior eſt, ſed de fide: hæc vero non nititur ratiocinio naturali, ſed ſola Authoritate Divina: contra Theologia jam poteſt uti ratione naturali, non quidem ad probandam fidem, ſed ad explananda quædam alia, quæ traduntur in hac doctrina. Audiatur Doctor Angelicus 1. q. 1. art. 8. ad 2. præclare ad propoſitum noſtrum dicens: *utitur tamen Sacra Doctrina etiam ratione humana non quidem ad probandam fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) ſed ad manifeſtandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina; cum enim gratia non tollat rationem, ſed perficiat, oportet, quod naturalis ratio ſubſerviat fidei: ſicut & naturalis inclinatio voluntatis obſequitur Charitati.* Cæterum & in Tractatu de fide ſuſtinebo, non omnem diſcurſum obeſſe actui fidei, ſed tantum illum, qui nititur principiis intrinſecis objecti, non vero eum, in quo concluſio nititur authoritate Divina revelante.

Objic. 2. Theologia Scholaſtica maxime nititur Philoſophicis, & Dialecticis argutiis; ſed hæ obſunt fidei, & Chriſtianæ veritati: ergo. m. p. S. Paul. ad Coloſs. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam.* Tertull. l. de anima c. 3. vocat Philoſophos *animalia gloriæ, & Patriarchas Hæreticorum.* C. 18. argumentationes Philoſophicas ait eſſe *tormenta cruciandæ ſimplicitatis, & ſuſpendendæ veritatis.* Unde S. Gregor. Nazianz. orat. 26. dolet, *in Eccleſiam irrepſiſſe captiones Sophiſticas: ac pravum artificium Ariſtotelicæ artis, & hujus generis alia, velut ægyptiacas quasdam plagas.*

℞. d. M. Theologia nititur Philoſophicis argumentis per accidens ad hæreticorum Sophiſmata detegenda, & technas convincendas c. M. ad ſimplicitatem fidei evertendam, & veritates Catholicas offuſcandas n. M. Philoſophia non adverſatur per ſe fidei, ſed ex malitia Philoſophantium, vel abutentium Philoſophia, & ejus argutiis, qui juxta Judam Apoſtolum ℣. 10. *quæcunque ignorant, blaſphemant, quæcunque autem naturaliter, tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*

 Dein

Dein ipſi SS. PP. mirum in modum laudant Dialecticam. Clemens Alexandrinus L. 2. Stromatum dicit: *Dialectica manuducit ad veram æternamque Sapientiam, & cognitionem Supremæ veritatis.* S. Hieronymus in c. 25. Ezech. *vere,* ait, *quidquid perverſorum dogmatum eſt, & putatur robuſtum in terrena ſapientia, hoc Dialectica arte ſubvertitur.* D. Auguſtinus pluries commendat Dialecticam, præſertim in libris contra Creſconium, qui irriſorie Auguſtinum Dialecticum appellabat. Ubi D. Auguſtinus docet, Apoſtolos quoque, ac D. Paulum, imo & Chriſtum Dominum Dialectica uſos eſſe. S. Baſilius in c. 2. Iſaiæ dicit: *Dialecticam muri inſtar eſſe Sacris dogmatibus, quod ea non ſinat facile diripi, & quorumlibet incurſioni patere.* Ergo certe utilis eſt methodica, & Dialectica hæc tractatio dogmatum fidei ad hæc magis dilucidanda, & firmius defendenda.

Tandem & ipſi hæretici Philoſophicas argutias adhibent adverſus dogmata fidei & Religionis noſtræ: ita olim Ariani trecenta argumenta, Sophiſmata dixeris, ex ratione naturali contra Filii Divinitatem, ut teſtatur Epiphanius, afferebant: ergo nec ægre ferant, ſi ipſorum arma in ipſos convertamus, & contra ipſos adhibeamus.

Objic. 3. Theologia Scholaſtica habet ſtilum incultum, & multa verba barbara: ſed hæc dedecent viros Sapientes: ergo. ℞. 1. S. Scriptura habet quoque ſtilum incultum, & ſimplicem: quare ergo & iſta his Sciolis non diſplicet? ℞. 2. n. m. Nullis verborum lenociniis indiget veritas, ut fulgeat: melius ea vulgari facilique ſermone proponitur, quam affectata quadam verborum elegantia offuſcatur. Ampliorem & Rhetoricum diſcurſum non fert ſuccincta, & preſſa brevitas, qua utuntur Theologi, ne rerum copia jam gravati, etiam verborum inutili pondere opprimantur. Quælibet diſciplina quoſdam ſibi proprios habet terminos aliis incognitos: ergo & hoc, quod ancillæ ſuæ faciunt, ſcientiarum Reginæ, ſeu Theologiæ licebit ad dogmata ſua brevius, expeditiusque ſine inutili verborum circumſcriptione declaranda.

ARTICULUS II.

De primo loco Theologico, ſeu Verbo Dei ſcripto.

Quid ſit, & an exiſtat?

8. Locus Theologicus eſt ſedes, & veluti promptuarium, unde Theologus ſua argumenta depromit inſtar Rhetorum & Philoſophorum, qui pariter habent locos quoſdam communes, ex quibus ſua argumenta

argumenta repetunt. Eſt autem duplex locus Theologicus, internus unus, alter externus. *Internus* eſt, ex quo Theologia eruit principia ſibi propria, quales ſunt propoſitiones revelatæ. *Externus* eſt ſedes principiorum extraneorum, quæ Theologia deſumit ex Philoſophicis & Hiſtoricis ad declaranda Religionis noſtræ myſteria, & horum conſectaria: Theologi enim naturali ratione, & profana Hiſtoria utuntur, ut oſtendant, dogmata noſtræ fidei lumini naturali repugnare minime. Nunc agemus de primo loco Theologico, ſeu de Verbo Dei ſcripto, ſcilicet de Sacra Scriptura. De hac

Ante reſolutionem Notes 1. Per ſacram Scripturam intelligi Verbum Dei ſcriptum, quod eſt veluti quædam (ut ait S. Gregorius l. 4. Epiſt. 84.) epiſtola omnipotentis Dei ad ſuam creaturam. Deſcribitur breviſſime: S. Scriptura eſt Verbum Dei ſcriptum ipſo afflante. Dicitur 1. *Verbum Dei*, in quo Scriptura convenit cum traditionibus Divinis, quæ etiam ſunt Verbum Dei. Dicitur 2. *ſcriptum*, quo diſcrepat à traditionibus, utpote non ſcriptis afflante Deo, ſed tantum voce de aure in aurem traditis, de quibus parte ſecunda. Dicitur 3. *Ipſo afflante*, ſeu *inſpirante*: ſic 2. Petri c. 1, ℣. 20. dicitur: *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* Græcus textus habet: Spiritu Sancto *acti & impulſi.* 2. ad Timoth. 3. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum.* Luc. 1, ℣. 7. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum.* In Conc. Conſtant. dicitur de Spiritu Sancto, *qui locutus eſt per Prophetas.* Hoc ut melius capias,

Notes 2. Triplici modo concipi poſſe, à Deo mentem alicujus Sacri Scriptoris affici, ſcilicet revelatione, inſpiratione, ac aſſiſtentia ſpeciali. *Revelatione* fit, dum antea ignota veritas divinitus manifeſtatur: ita Iſaias c. 45. revelatione Divina noverat, Cyrum aliquando futurum populi Iſraelitici liberatorem. C. 7. intellexit, virginem eſſe parituram. C. 53. Chriſtum multa paſſurum. Daniel c. 9. Chriſtum in medio Hebdomadæ Septuageſimæ fore occidendum. Zacharias c. 11. Chriſtum eſſe triginta argenteis tradendum. Ergo res aliquæ in Sacra Scriptura deſcriptæ, nempe antea ignotæ, ſunt Sacris Scriptoribus revelatæ, ſed non omnes, nimirum non illæ, quas ipſi viderant, & ſciverant, ut Moyſes Ægyptiorum plagas, Joſue Iſraelitarum Victorias in ingreſſu in terram promiſſionis, Joannes Chriſtum e cruce pendentem, & in ea morientem, vel quas ex teſtibus fide dignis didicerant, ut Lucas de ſe ipſo aſſerit c. 1, ℣. 2. 9.

Secundo modo poteſt Deus Scriptoribus ſpecialiter aſſiſtere per ſingulare auxilium impediendo, ne illi inter ſcribendum in errorem labantur.

Tertio

Tertio modo per inſpirationem afficit Scriptores Sacros Deus, quando ipſos peculiariter interius movet, & impellit ad ſcribendum ſuum Verbum, quod ipſis dictat, tanquam ſuis Amanuenſibus, quod poteſt iterum dupliciter fieri: Primo modo poſſunt inſpirari res omnes, & ſententiæ, non autem omnia verba clare, ſed tantum confuſe. Secundo poſſunt etiam dictari clare omnia verba. Iſtud declarat D. Habert pulchro exemplo Principis, qui per Amanuenſem dupliciter ſcribit Epiſtolas, aliquando dictando ſingula verba, alias vero generatim declarando duntaxat, quid Epiſtola continere debeat, quove ſtilo velit eam exarari, an humiliore, an ſublimiore, an ſine, an cum teſtificatione honoris erga eum, cui ſcribit. Utrovis modo fuerit Epiſtola ſcripta, legitur ut Epiſtola Principis, & hic, non autem Amanuenſis, in ea loquitur. Cum itaque juxta D. Auguſtinum Conc. 2. in Pſal. 90. Sacræ Scripturæ ſint *quædam de illa Civitate, unde peregrinamur, à Deo ad nos miſſæ Litteræ*, de his cum proportione ſimili modo ſentire liceat. H. N.

10\. Aſſero 1. Deus non ſcripſit ipſe aliquid creaturæ, conſequenter nec duas tabulas lapideas teſtimonii Moyſi traditas. Ita S. Anſelmus cum aliis contra alios, qui putant, Deum ita ſcripſiſſe tabulas legis. P. S. Stephanus Act. 7, ℣. 53. dixerat ad Judæos: *accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum.* Et S. Paulus ad Gal. 3, ℣. 19. *Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris:* in quæ verba S. Anſelmus ita ſcribit: *Lex eſt ordinata per Angelos, quia non per ſe ipſum Deus, ſed per Angelos Moyſi loquebatur, & præcepta legis diſponebat:* ergo.

Dices: Exodi 31, ℣, 18. legitur: *Dedit Dominus Moyſi duas tabulas teſtimonii lapideas, ſcriptas digito Dei:* ergo. ℟. Dicuntur ſcriptæ digito Dei, quia ab Angelo, Dei vices agente, & loco Dei apparente, ſunt Moyſi traditæ.

11\. Aſſero 2. Non ſufficit ad hoc, ut Scriptura ſit Verbum Dei, ſpecialis aſſiſtentia Divina; 2. Sed requiritur inſpiratio, & afflatus Divinus, ita ut Deus dictet talem Scripturam. communiſſima.

P. 1. pars. Quia Sacra Scriptura, & Verbum Dei differre debet à SS. Canonibus, & Definitionibus Eccleſiæ, quæ etiam fiunt aſſiſtente, & approbante Deo, non autem afflante, & dictante Deo tanquam proprium ſuum Verbum. Secunda pars patet ex dictis immediate ante N. 9.

Exinde deduces, nihil eſſe in S. Scriptura, quod non ſit veriſſimum, ſive dogma, ſive hiſtoria, ſive Chronologia ſit: quia ſingula

gula sunt Dei verba. Est autem *Deus verax* Rom. 3. & *Deus veritatis* Ps. 30. Hinc S. August. Epist. 82. alias 29. de SS. libris ait: *Didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Authorem scribendo errasse aliquid firmissime credam: at si aliquid in eis offendero libris, quod videam contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse Codicem, vel Interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam.*

12. Assero 3. Omnia in S. Scriptura contenta, non solum res & sententiæ, sed & singula Divinæ Scripturæ verba usque ad minimos apices sunt a Deo dictata, & inspirata. Sic fundate & probabiliter sentiunt multi cum Annato contra alios, quorum sententiam postea adducam.

P. hæc assertio 1. Dum SS. Prophetæ & Scriptores in S. Scriptura loquuntur, passim dicunt: *hæc dicit Dominus. Factus est sermo Domini ad me dicens. Factum est Verbum Domini ad me dicens.* ut Isai. c. 5. Jerem. 13. patet quoque ex textibus ante N. 9. allatis. Si ergo omnis S. Scriptura est a Deo, etiam singula Divinæ Scripturæ verba sunt a Deo inspirata. 2. SS. PP. communiter sic sentiunt. S. Hieron. in Matth. c. 6. *Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta in Divinis Scripturis plena sunt sensibus.* S. Chrysost. hom. 22. in Genes. *Nihil hic scriptum est, quod non multas habeat sensuum divitias, quandoquidem Divino Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt, nunquam vel Syllaba vel apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis Thesaurus.* Ita etiam videntur loqui S. August. & Gregorius: ergo. Huic assertioni adstipulantur plures, & graves Theologi, imo Lovanienses & Duacenses oppositam opinionem censent minus esse orthodoxam; sic enim in suis censuris pronuntiant: *Intoleranda prorsus & grandis blasphemia est, si quis vel verbum asserat in Scripturis inveniri otiosum —— singula verba Scripturarum singula sunt Sacramenta, singuli sermones, syllabæ, apices, puncta Divinis plena sunt sensibus; ait enim Christus Matth 5. Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege.*

13. Objic. contra hanc assertionem 1. Si Spiritus Sanctus omnes Scripturæ libros dictasset, omnes essent ejusdem stili; sed non sunt omnes ejusdem stili, ut legenti palam est: ergo non omnes Spiritus S. dictavit. ℞. n. M. cum Spiritus S. se accommodet Sanctorum Scriptorum genio, & hic varius sit, non mirum, si etiam varius sit horum Hagiographorum stilus: sicut enim Tubicen se instrumento quodammodo attemperat, ut tubam inflans subtiliorem, graviorem quoque sonum excitet, ita & Spiritus S. in Scriptore urbano urbanus, in rusticano rusticanus secundum stilum est.

Objic. 2. In Sacra Scriptura inveniuntur plura dicta profana Ethnicorum; sed hæc non videntur a Spiritu S. dictata: ergo. m. p. Act. 17, ℣. 29. illud Arati Poetæ: *Ipsius enim & genus sumus.* 1. ad Corinth. 15, ℣. 33. illud Menandri: *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Et ad Titum c. 1, ℣. 13. illud Epimenidis Cretensis Philosophi: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* ℞. c. M. & d. m. sed hæc non videntur a Spiritu S. dictata, qua profana, & a profanis Scriptoribus usurpata; c.m. quatenus elevata sunt, & sumpta ad ea significanda nobis, quæ Deus per ea significari decrevit; n.m. In hoc ultimo sensu sunt a Spiritu S. Sacris Scriptoribus inspirata, & sunt verum Dei verbum.

Objic. 3. S. Paulus 1. ad Corinth. 2, ℣. 10. ait: *Præcipio non ego, sed Dominus.* Subdit deinde: *cæteris dico ego, non Dominus;* atqui dum ait: *dico ego, non Dominus*, ostendit, se ibi non Dei, sed humano spiritu loqui, adeoque non omnia in S. Scriptura contenta sunt a Deo dictata: ergo. ℞. n. m. S. Paulus ibi tantum innuit, ut in eundem textum notat Bernardinus de Biconio, celeberrimus Expositor Epistolarum D. Pauli, quod primum ibi assertum de non separandis conjugibus, vel si ob gravem causam talis separatio quoad thorum fiat, obligatio, ut maneant cœlibes, & non aliis nubant: quod hoc sit præceptum, jam a Christo Domino in Evangelio datum: alterum autem, quod spectat ad conjuges disparis cultus, non sit præceptum a Christo Domino in Evangelio jam prius datum. Hinc Paulus dicit: non Christus Dominus in Evangelio antea dixit, sed ego modo Spiritu Domini motus dico: si quis Christianus habet uxorem Idololatram, & hæc cum illo habitare consentit, non dimittat eam. Unde in fine capitis illius D. Paulus ait: *puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam.* Hinc etiamsi ipse proponat aliqua a Christo Domino non prædicata in Evangelio, tamen Spiritu Dei afflatus ista scribit.

Objic. 4. Si omnia verba S. Scripturæ essent a Spiritu S. Hagiographis dictata, Author L. 2. Machabæorum in fine veniam non peteret, si quid minus digne scripsisset; sed veniam petit: ergo. ℞. n. m. Non petit ibi veniam erratorum, qualia ibi nulla sunt, sed stili fortè minus exculti, in quo se Spiritus S. attemperat genio Scriptorum. Deinde forte ideo petit veniam, non quod stilus minus dignus sit, sed aliis sic appareat, aut apparere queat: idque totum ex Divini Spiritus impulsu, & modestia, attemperate ad hominum loquendi modum, sæpe de suo agendi vel loquendi modo veniam petentium, licet se non errasse certo cognoscant. Idem dic de authore Eccle-

Ecclesiastici in Prologo suo veniam petente, & de D. Paulo 2. Corinth. 11, ℣. 16. de se dicente: *imperitus sermone, sed non scientia.*

Objic. 5. S. Lucas in Præfatione suæ historiæ Evangelicæ promittit, se omnia scripturum, prout audivit ab Apostolis, qui ab initio viderunt: ergo non scripsit suum Evangelium, prout audivit ex ore Dei dictantis. ℞. n. c. Spiritus S. Evangelistis Historiam Evangelicam dictavit, duobus Apostolis, prout viderunt, & Lucæ ac Marco, prout audiverunt. Utut hæc sententia probabilis est, opposita tamen, quam modo statuam, non caret gravi sua probabilitate; hinc

Assero 4. Spiritus S. non inspiravit, & dictavit Sacris Scriptoribus omnia & singula S. Scripturæ verba. Ita graves Theologi Dico: *omnia;* concedo enim, ea fuisse inspirata, quibus exprimuntur mysteria, & alia graviora, quæ captum S. Scriptoris superant; affirmo tamen in facilioribus & obviis, puta in Historiis describendis, Spiritum S. Hagiographis permisisse verborum delectum, & tantum inspirasse res & sententias, ac specialiter adstitisse, ne seligendo verba laberentur. Huic sententiæ favent S. Dionysius Alexandrinus apud Euseb. l. 7. Histor. Arnobius L. I. contra gentes. S. Hieron. Epist. ad Algasiam. S. Augustinus L. 2. de consensu Evangelistarum. 14.

P. 1. Idem author res easdem aliis verbis, alioque ordine non nunquam describit, ut videre est in Moyse, qui Decalogum refert alio verborum delectu Exodi 20. & Deut 5. Hoc non fieret, si omnia verba ab eodem Spiritu S. dictarentur: ergo.

P. 2. Author Libri 2. Machab. c. 2, ℣. 27. testatur, se opus illud confecisse multo labore & sudore. cap. vero ult. ℣. 19. dubitans, num effectus votis suis responderit, opus claudit his verbis: *& siquidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi.* Ergo non manum solum & calamum præbuit tanquam Amanuensis Spiritui S. dictanti singula verba, sed propriam industriam adhibuit; crimen enim est dubitare, num Spiritus S. verba apta, & digna elegerit, eaque concinne ordinaverit, & blasphemia, petere, ut Spiritui S. venia detur. Hoc argumentum a prioris sententiæ assertoribus non videtur solide posse solvi.

Dices: Ex hac sententia sequeretur, Sacram Scripturam non esse integre Verbum Dei, sed partim verbum hominum; sed hoc non est verum: ergo. ℞. d. M. nisi omnia verba saltem in confuso, & implicite essent etiam juxta hanc sententiam dictata Sacris Scriptoribus c. M. secus n. M. videantur dicta immediate ante N. 10.

15\. Assero 5. Existit talis liber, quem jure S. Scripturam appellamus, seu existit Verbum Dei scriptum. Ita Catholici, imo & Hæretici plerique contra Schwenckenfeldium, & Libertinos.

P. 1. Ex universali omnium populorum, & nationum Sacram Scripturam ut Verbum Dei acceptantium consensu. 2. Ex puritate doctrinæ, quæ tanta est, ut nihil vitiosum aut malum patiatur. 3. Ex modo mirabili, quo fuit per orbem annuntiata, nempe per homines rudes, ac Piscatores. 4. Ex Martyrum Sanguine pro veritate & doctrina in Sacris Scripturis contenta fuso. 5. Vel Deus Sacram Scripturam per Ecclesiam nobis propositam miraculis confirmavit, vel sine miraculis ea ut Verbum Dei est acceptata sic ab omnibus populis? Si primum: miracula testantur Ejus existentiam. Si secundum: est eo ipso miraculum maximum, quod sine miraculis omnes populi, alias in opinionibus, & moribus adeo diversi, Scripturam ut Divinam sine miraculis acceptarint, ut pulchre notat D. Chrysostomus in gentiles Apostolorum miracula negantes dicens: *hoc ipsum maximum est miraculum, absque miraculis orbem terrarum accurrere, a duodecim pauperibus & illiteratis hominibus attractum.*

Porro quamvis videatur Scriptura non apte per se ipsam probari, tamen Bellarminus L. 1. c. 1. & 2. probationes non contemnendas ex ipso Sacro textu adducit ea de causa, quia & Libertini in hac materia etiam Sacram Scripturam ubi putant illam sibi favere, contra nos afferunt: ergo nobis eodem jure adversus ipsos uti licebit. Vide Bellarminum laudatum.

16\. Objiciunt igitur Libertini, vel Spirituales, id est, Fanatici illi hæretici, qui se Spiritum, non Literam sequi profitentur, 1. Apostolus 2. Corinth. 3, ℣. 16. dicit: *Idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti, non litera, sed spiritu: litera enim occidit, Spiritus autem vivificat:* Ergo S. Paulus distinguit inter literam, quam ad vetus, non novum Testamentum pertinere dicit: ergo in novo Testamento nulla Sacra Scriptura datur, sed solum pro Verbo Dei habendum, quod Spiritus S. unicuique in corde loquitur.

℞. n. conf. utramque. S. Paulus, ut S. Chrysost. Ambrosius, & alii PP. advertunt, voluit in hoc textu, & aliis contextibus docere differentiam inter Ministros veteris, & novæ Legis: illos dicebat, solam communicasse literam, seu Legem secundum se, quæ se sola occasionaliter occidit per peccatum, quod sine Lege non esset: hos ajebat, in nova lege non solam literam, sed & simul internam gratiam, cujus causa meritoria est Christus, impertivisse. Hoc fecit Paulus

Paulus ad confundendos Pſeudo - Præcones Judæos, qui volebant Corinthiis una cum nova lege onus veteris Teſtamenti contra voluntatem Chriſti imponere.

Objic. 2. Deus eſt ubique cuilibet creaturæ præſens: ergo Ipſe cuilibet loqui poteſt; ergo non opus habet aliqua Scriptura, ut per eam loquatur creaturæ. ℞. abſolute non eſſe neceſſariam Scripturam; ſed tamen quis Deum impediat, quo minus, ſi velit, per Scripturam vel Verbum ſuum ſcriptum alloquatur creaturam: quod autem ita velit, ex hucuſque dictis conſtat. 2. Si cuilibet pro beneplacito ſuo absque Scriptura manifeſtaret, quid credendum, quid agendum ſit, poſſet quilibet quodlibet ſibi præfigere, vel aſſerere tanquam a Deo ſibi revelatum: & ſi aliquis hoc negaret, non haberet, unde redargueret; ſi vero exſtat S Scriptura, habet, unde redarguat, corrigatque talem: quia juxta S.Paulum ad Timoth. 3, ℣. 16. Scriptura *utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.*

17\. Quæres, an Definitiones Eccleſiæ ſint ſtricte Verbum Dei? ℞. negative. Bellarminus Tom. 2. Contr. 2. de Concil. authoritate, & plures alii contra alios. P. 1. Trident. ſeſſ. 4. in Decreto de Editione S. librorum ſolum ait: *Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum*, & non ait: *cujus eſt loqui Verbum Dei ſtricte tale:* ergo Sancta Mater Eccleſia tantum applicat, & explicat Verbum Dei jam præexiſtens, non autem novum Verbum Dei loquitur. 2. Communior DD. ait: Canones Eccleſiæ, & Definitiones Conciliorum non eſſe S. Scripturam; ſed eſſent, ſi forent Verbum Dei ſtricte dictum: ergo non ſunt. 3. Communiſſime dicitur, quod Eccleſia non proferat novas Revelationes, ſed quod prius exiſtentes tantum explicet, & implicite, & obſcure contenta in iis apertius proponat: ergo non loquitur novum Verbum Dei ſtricte dictum.

ARTICULUS III.

Quinam Libri Scripturæ ſint Canonici?

18\. Notandum 1. Libros Scripturæ alios eſſe *Canonicos*, alios *Apocryphos*. *Canonici* ſunt, qui ſunt in Canone librorum Sacræ Scripturæ. Canon hic idem ſonat ac Catalogus, ſeu Index. Proinde Libri *Canonici* ſunt hi, qui in Canone, vel Catalogo Eccleſiæ Divinam Scripturam determinantis ſunt expreſſi ut Divini, ſeu a Deo inſpirati. *Apocryphi* ſunt e contrario, ſeu occulti & abſconditi, qui licet

 reperian-

reperiantur permixti inter Canonicos, de iis tamen adhuc dubitatur, an ſint Divini, & ideo in Canone Eccleſiæ non exprimuntur.

Notandum 2. Ex Petro Annato L. 2. art. 4. alium Synagogæ, alium Eccleſiæ Chriſti eſſe Canonem librorum ſacræ Scripturæ. Judæi tot in ſuo Canone recenſebant libros, quot in ſuo alphabeto numerabant literas, nempe viginti duos, ut docet S Hieronymus in Prologo ſuo Galeato: *quomodo igitur viginti duo elementa ſunt, per quæ ſcribimus Hebraice omne, quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina ſupputantur, quibus quaſi literis & exordiis in Dei doctrina, tenera adhuc & lactens viri juſti eruditur infantia.*

Notandum 3. ex eodem, ab Hebræis illos viginti duos libros in tres claſſes eſſe diviſos, nimirum in Thora, Nebiim, & Chethubim, hoc eſt, in Legem, Prophetas, & Hagiographa. Thora, ſive Lex continet 5. Libros Moyſis, ſeu Pentateuchum, qui antea unus ſolum liber erat, poſtea a 70. Interpretibus in quinque fuit diviſus, in Geneſin, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium. Nebiim ſeu Prophetæ juxta eos complectuntur libros Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, & Iſaiam, Jeremiam, Ezechielem, ac 12. Prophetas Minores. Chethubim ſeu Hagiographa continent Job, Pſalmos, Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Paralipomenon, Eſdram & Eſther. Verum de hoc Hebræorum Canone non agimus hic, nobis ſolum quæſtio eſt de Canone Eccleſiæ libros Sacros & Divinos determinantis.

Notandum 4. Quomodo libri Canonici a Catholicis dividantur. 1. Secantur in novi & veteris Teſtamenti libros. Libri autem tam veteris, quam novi Teſtamenti alii ſunt Proto - Canonici, ſeu primo, & ante alios in Canonem relati: alii Deutero - Canonici, ſeu poſt alios primum in Canonem relati,eo quod de eorum Divinitate, vel an a S. Spiritu ſint inſpirati, antea aliquo tempore fuit dubitatum, donec hæc res per Eccleſiam fuerit deciſa, & ipſi inter Canonicas ſcripturas numerati. Deutero - Canonici ſunt ex veteri Teſtamento Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch, Epiſtola Hieremiæ, duo libri Machabæorum, nonnullæ partes Danielis, & Eſtheris. Ex novo Teſtamento ultimum caput Marci, Hiſtoria de Sanguineo ſudore Luc. 22. Hiſtoria de Muliere adultera Joan. 8. Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Jacobi, ſecunda Epiſtola Petri, Joannis ſecunda, & tertia, Epiſtola Judæ, & Apocalypſis, de quibus tamen poſt Tridentinum dubitare non licet. Ulterius ratione materiæ ſolent apud nos dividi in Legales, Hiſtoricos, Sapientiales ſeu Mora-

les,

les, & Propheticos. *Legales* in veteri quidem Teſtamento ſunt quinque Moyſis, qui a nomine græco dicuntur Pentateuchus, in novo autem ſunt quatuor Evangelia; hi quippe libri continent Dei Legem, & vitæ præcepta, de quibus Deuter. 6. pronuntiatur: *Eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens.* Et cap. 4. *Ut audientes univerſi præcepta hæc, dicant: en populus ſapiens, & intelligens.*

Hiſtorici in veteri Lege ſunt libri Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Eſdræ, Tobiæ, Judith, Eſther, Job, duo Machabæorum: in nova lege Acta Apoſtolorum.

Sapientiales vocantur hi, in quibus exponitur vera Sapientia; ſuntque in veteri Lege iſti quinque, ſcilicet, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus. In nova lege ſunt Epiſtolæ, nimirum quatuor & decem Divi Pauli, tres S. Joannis, duæ D. Petri, una S. Jacobi, & una S. Judæ.

Prophetici, in quibus futura prænuntiantur, ſunt in veteri Teſtamento iſti 18. nempe liber Pſalmorum Davidis, Iſaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, & alii 12. Prophetæ Minores, Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias. In novo eſt unus ſolus, qui Apocalypſis S. Joannis vocatur. H. N.

19. Aſſero. Canonici, ſeu Sacri Divinæ Scripturæ libri ſunt 72. ſequentes, nec plures, nec pauciores: nempe in antiquo Teſtamento 45. in novo 27. Enumerantur omnes a Tridentino Seſs. 4. Decreto de Canonicis Scripturis. *Pentateuchus*, ſeu quinque libri Moyſis, videlicet, *Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium: Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, & ſecundus*, qui dicitur *Nehemias: Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum 150 Pſalmorum, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus: Iſaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel:* Duodecim Prophetæ Minores, ſcilicet: *Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: duo Machabæorum, primus & ſecundus.* Novi Teſtamenti: *quatuor Evangelia ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apoſtolorum a Luca conſcripti: quatuordecim Epiſtolæ D. Pauli Apoſtoli, quarum una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Epheſios, una ad Philippenſes, una ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, ad Hebræos una: S. Petri Apoſtoli duæ: S. Joannis Apoſtoli tres: S. Jacobi Apoſtoli una: S.*

Judæ

Judæ Apostoli una: & S. Apostoli Joannis Apocalypsis. Ita debent sentire omnes vere Catholici.

P. Assert. Libri Canonici, & vere Divini sunt illi soli, nec plures, nec pauciores, qui in Canone Ecclesiæ Divinas Scripturas determinante sunt expressi; atqui libri ita expressi in Canone Ecclesiæ sunt supra enumerati, & quidem soli, nec plures, nec pauciores: ergo &c. Major patet: quia Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, contra quam portæ Inferi non erunt prævalituræ, cum qua Christus usque ad consummationem sæculi erit permansurus: cui etiam post Ascensionem suam misit Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis: nec est credibile, quod Deus Ecclesiam suam in re tam notabili, qualis est determinatio Scripturarum Divinarum, permissurus sit labi in errorem. Minor constat ex Decreto recitato Tridentini Concilii in Spiritu Sancto congregati, & universam Ecclesiam repræsentantis. Accedit Traditio perpetua favens huic Decreto, quod igitur non temere, sed juxta mentem & doctrinam Patrum est conditum. Etenim Concilium Carthaginense tertium, cui interfuit S. Augustinus cum aliis 43. Episcopis anno 397. celebratum, Sacrarum Scripturarum pene eundem catalogum texuit, protestando, eum a Patribus in Ecclesia legendum accepisse. S. Augustinus l. 2. de doctrina Christ. c. 8. hunc ipsum SS. Librorum Canonem ut legitimum agnovit. Innocent. I. in Epist. ad S. Exuperium Episcopum Tolosanum Calendis Martii anno 405. scripta, eosdem libros omnes ut Divinos, secundum Traditionem ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Romana conservatam, suscipiendos esse, gravibus verbis asserit. Gelasius I. hos libros in Concil. Romano anno 496. eodem modo recensuit. Hos omnes secutum est Concilium Florentinum anno 1441. sub Eugenio IV. in Instruct. Armenorum, ubi Jacobitis idem cum suis partibus canon consignatus erat. Hæc sunt exempla Patrum, quæ Tridentina Synodus jure meritissimo est secuta. Huic conclusioni se varie opponunt hæretici: Hinc

Diluuntur objectiones contra præcedentem Articulum.

20. Objic. 1. Simoniaci, Basilidiani, Marcionitæ, Manichæi, Albigenses, & alii censuere esse rejiciendos veteris Testamenti libros, utpote a Malo Deo dictatos: ergo non fuere semper ab omnibus pro Divinis habiti. ℞. d. a. & hi fuere hæretici, quorum Authoritas non est attendenda c. a. secus n. a. His omnibus tribui potest, quod S. Augustinus l. de Perseverantia scripsit de Manichæis: *Scriptu-*

Scripturas sic accipiunt, ut suo quodam Privilegio, imo Sacrilegio, quod volunt, sumant, quod nolunt, rejiciant. Sacra Scriptura est velut Testamentum Dei in sinu Ecclesiæ depositum; hinc non attendas, quid de ipsa sentiant hi, qui foris sunt, hæretici, sed quid de illa sentiat Sacrorum librorum Custos, & Judex, ac Interpres S. Mater Ecclesia. Secundo non inepte miratur Venerab. Bellarminus cum aliis stultitiam horum hæreticorum, quod rejecto veteri Testamento novum admittant, a quo tamen vetus laudatur, & suadetur legendum, ut Joan. 5, ℣. 39. dicente Christo: *Scrutamini Scripturas, quæ testimonium perhibent de me.* Et apud Lucam cap. ult. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de me.* Et dicente Paulo Rom. 1, ℣. 1. *Paulus Apostolus segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis.*

Objic. 2. Libri veteris Legis, qui nec Divini, nec Canonici fuerunt in vetere Lege, nec possunt esse tales in Ecclesia; atqui omnes fere Deutero-Canonici non fuerunt Divini aut Canonici in vetere lege: ergo. ℞. C. 1. partem Majoris, nego secundam. Concesserim libens, libros veteris Legis, qui non fuere Divini in Synagoga, nec posse esse tales in Ecclesia. Ratio est: quia liber Divinus est, qui est conscriptus & editus afflante, & inspirante Spiritu Sancto: adeoque si libri in Synagoga editi, ibi non fuerint scripti Spiritu S. dictante, neque nunc in Ecclesia tales reputari possunt. Nihilominus potuit contingere, & ita contigit, ut Synagoga non agnoverit omnium librorum sacrorum Divinitatem, eam tamen deprehenderit Ecclesia a Spiritu S. directa; hujus enim est definire, quinam libri sint Divini, & eos in canonem reponere: unde verum manet illud præclarum Hosii dictum ab Annato laudatum: *Non canon Hebræorum, sed Ecclesiæ facit Canonicas Scripturas.* Et quamvis Patres, qui ante quartum sæculum floruerunt, non texuerint eundem catalogum librorum sacrorum, laudaverunt tamen libros Deutero Canonicos tanquam Divinos, ut S. Clemens Romanus, S. Ignatius, S. Justinus, Clemens Alexandrinus, S. Irenæus, Tertullianus, S. Cyprianus, quin & Origenes contra Julium Africanum vindicavit Susannæ Historiam. Ita D. Habert laudans pro se Bellarminum, qui singulorum testimonia profert. Si antiquitus aliqui Patres dubitarunt de aliquorum librorum authoritate, vel divinitate, id inde venit, quia tunc ab Ecclesia non erat decisum, quinam vere sint Canonici & pro divinis habendi. Sed operæ pretium est, exactius de ista re, & singillatim de quolibet libro agere.

Objic. 3. Liber Baruch a Concilio Carthaginensi, a Gelasio, & S Augustino in suo canone omittitur: ergo hic non est recipiendus inter Canonicas scripturas. ℞. n. a. Licet non recenseatur explicite, tamen hoc fit implicite; nam cum Baruch fuerit Amanuensis Jeremiæ, Prophetia illius fuit laudata, & comprehensa ab aliquibus inter Prophetias Jeremiæ: id quod Bellarminus pluribus exemplis declarat: sic Clemens Alexand. L. 1. Pædagogi c. 10. allegat nomine Jeremiæ illud Baruch 3. audi Israel mandata vitæ. Et illud Baruch 4. Beati sumus Israel, quia, quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. S. Ambrosius L. 1. de Pœnitentia c. 8. recitat nomine Jeremiæ quædam ex c. 3. & quædam ex c. 5. libri Baruch. Allegantur quoque à Bellarmino de Verbo Dei l. 1. c. 8. SS. Basilius & Chrysostomus citantes sententias ex Baruch sub nomine Jeremiæ: & plura alia ibi adduntur.

Objic. 4. Liber Esther integer nec fuit a Judæis, neque ab aliquibus Patribus habitus Canonicus: ergo neque a nobis sic haberi debet. ℞. tr. a. n. c. pro Responsione do, quæ Tirinus in præfatione ad istum librum præmittit; sic scribit: „ Author ejus est Mardochæus, „ ut dicitur c. 9. ℣. 20. & c. 12, ℣. 4. Videtur tamen ipsa quoque Esther quædam inseruisse, cum id in græco textu ibidem diserte affirmetur. Scriptus est primo hebraice, & a S. Hieronymo inde verbotenus in latinum translatus: a LXX. in græcum, ab aliis in alias linguas. De novem prioribus capp. & initio decimi usque ad versum quartum, quia in Hebræo reperiebantur, nullum fuit unquam dubium. Sed reliqua etiam hujus libri residua prorsus Canonica esse docet S. Hieronymus, Athanasius, Origenes, Ruffinus, Cyrillus. S. Augustinus, Hilarius, Innocentius I., Alcuinus, Concilium Laodicenum, Carthaginense III. & novissime Tridentinum. Citanturque passim a PP. ut canonica, quos recenset Bellarminus, Serrarius, & alii. Extant etiam in additione LXX. Interpretum, & aliis quæque locis (suis) inserta servato ordine Historiæ. Nam S. Hieronymus suo demum tempore, quod illa hebraice non reperiret, sejunxit a reliquis, & ad calcem libri rejecit. " Argumentum libri etiam est Deo Authore dignum: nam est depressio Vasthi, & Aman, & exaltatio Esther, & Mardochæi, & liberatio Judæorum. Allegorice Christus per Assuerum: B. V. Maria, vel Ecclesia per Esterem: pii cujusque anima per Mardochæum: Diabolus, Mundus, Caro per Amanum & Vasthi designantur, ut Tirinus post alios insignes Expositores notat.

D. Augusti-

D. Auguſtinus Calmet eruditione ſacra, & intelligentia Divinarum Scripturarum nulli ſecundus in Prolegomeno ad librum Eſther pulchre dicit: Ea omnia, quæ neceſſaria ad authoritatem creduntur, in fragmentis illis minime deſiderari conſtat. *Nihil habent veritati Hiſtoriæ repugnans, nihil falſi, nihil fidei, nihil bonis moribus abſonum. Nunquam non probata ab Eccleſia in canone Scripturarum recepta ſunt. In Catalogis Divinorum librorum ante S. Hieronymum adornatis liber Eſther cum additamentis receptus eſt: nec poſt S. Hieronymum additamenta illa expuncta ſunt.* Eodem loco dicit: Si Dei nomen nuſpiam in Exemplaribus hebraicis legitur, id caſui tribuendum eſt; cum alioqui tota narrationis ſeries luculentiſſimos Divinitatis & veritatis characteres exhibeat. Si pauci PP. & Scriptores contrarium ſentiant, tunc integer exercitus & phalanx illis opponi poteſt eorum, qui pugnant pro Divinitate totius hujus libri, ut iterum teſtatur D. Calmet. Adde, quod Tridentinum totum librum cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Dei legi conſueverant, & in latina vulgata editione continentur, approbaverit. Nec dicat Sixtus Senenſis, Concilium loqui de veris librorum partibus, non de additamentis: Bellarminus non ſuſtinet hanc inſtantiam, quæ ſi vera eſſet, multæ aliæ partes Sacrorum librorum Danielis, Marci, Lucæ, Joannis apud Catholicos in diſcrimen vocarentur; poſſent enim & illæ inter additamenta rejici.

Objic. 5. Libri Tobiæ, Judith, & Sapientiæ editi ſunt ante ſolutam captivitatem Babylonicam, & tamen ab Eſdra poſt captivitatem non ſunt repoſiti in ſuo canone: ergo ſignum eſt, quod non ſint Divini. ℞. 1. Generatim, Eſdram non collegiſſe omnes omnino libros Sacros, qui diſperſi fuerunt ſive per incuriam Sacerdotum, ſive per incendium Templi, & urbis deſtructionem. Conſtat enim ex variis Scripturæ locis, ac præſertim ex Numer. 21, ℣. 14. ex 2. Reg. c. 1, ℣. 18. ex 2. Machab. c. 1, ℣. 24. aliquos penitus periiſſe: multo minus igitur mirari poſſumus, tres illos libros induſtriam Eſdræ fugiſſe, ſi aliqui omnino perire potuerunt.

℞. 2. Singillatim ad librum Tobiæ. Hic Liber Chaldaice fuit ſcriptus, teſte S. Hieronymo, & quidem apud Aſſyrios, ad quos cum ſuis contribulibus Iſraelitis Tobias captivus translatus fuerat a Salmanaſar Rege Aſſyriorum. Regnum autem Iſrael, conflatum ex decem tribubus, ex quarum una, ſcilicet Nephtali ortus erat Tobias vir Religioſiſſimus, defecit a vera Religione, & Dei cultu ſeparatum a Regno Judæ: Proinde difficile fuit, ut Liber ad notitiam Synagogæ deveniret ante captivitatem Babylonicam, quæ non longo tempore

21.

 ſubſecuta

ſubſecuta eſt translationem Iſraelitarum ad plagas Aſſyriorum. Præterea hic liber non erat, ſicut alii libri Sacri, ſcriptus lingua hebraica, qua Deus hactenus Hebræos allocutus fuerat, ſed Chaldaica, penitus peregrina in uſu Sacrorum: unde ab Hebræis non fuit inter libros Divinos repoſitus, quod & ad alios libros Deutero-Canonicos alia quam hebraica lingua ſcriptos, reſponderi poteſt, & debet. Liber autem Tobiæ ſcriptus eſt ab ipſo Tobia ſeniore uſque ad finem capitis 12. a Juniore ſcriptus eſt c. 13. uſque ad ℣. 16. inde uſque ad finem libri alius quiſpiam incertus ſupplevit, ut aliis etiam libris contigit. Ita Tirinus.

22. ℞. 3. Ad Librum Judith. Liber hic, ſicut & Tobiæ, primum conſcriptus eſt chaldaice, & ideo licet Judæis in magna fuerit veneratione, in canone tamen ab iis non eſt repoſitus. Ex Chaldaico S. Hieronymus in latinum tranſtulit, non verbum verbo, ſed ex ſenſu ſenſum reddendo, ut ipſe ait. Jam etiam Hebraice exſtat, ſed ex alio exemplari, quam ex quo verſionem ſuam collegit S. Hieronymus. Primus Scriptor (ut ait Tirinus in præfatione hujus libri) ex communi ſententia eſt Joacim, vel Eliacim (quæ idem ſunt) Summus Synagogæ Pontifex; non tamen ille filius Jeſu filii Joſedec, qui cum Zorobabele reduxit Judæos e Babylone Jeroſolymam 1. Eſdræ 2. & 3. ſed alius tempore Manaſſis Regis Juda, cui Iſaias Propheta ſummum Pontificatum nomine Dei promiſerat c. 22, ℣. 21. Etenim anno circiter 10. Manaſſis hæc Hiſtoria contigit, ut probat Tirinus in Chronico 33. & huc inclinant poſt complures veteres Genebrardus, Pererius, Chriſtophorus a Caſtro, Ven. Card. Bellarminus, Serrarius, Salicanus, & Bonfrerius, nec repugnet Calmet, qui & notat in Prolegomeno de hoc libro, ſi aliqua in ejus editione non videntur concordare, id tribuendum eſt Amanuenſium errori, non autem totum librum eſſe rejiciendum, vel omnino inter fabulas, vel Parabolas recenſendum. Idem dic de Tobia, & Eſther; ut enim bene Calmet cum Bellarmino advertit: ſi ſic liceret dicere, plures Hiſtoriæ ſacræ, ut de Joſepho Ægyptiaco, & aliæ inter fabulas referri deberent. Sacra Scriptura refert iſta ut Hiſtorias: ergo ſunt. Liber Judith etiam in primo Concilio Nicæno habet egregium teſtimonium, ut teſtis eſt S. Hieronymus in prologo Judith. Iſtud quoque non omittendum, quod cum Ruffinus S. Hieronymo crimini dediſſet, quod ejuſmodi libros, præſertim Judith, inter Apocryphos recenſeret, S. Doctor in ſua 2. Apologia diluit criminationem, aſſerens, ſe locutum fuiſſe, non ut ipſe, ſed ut Hebræi ſentiunt, qui ejuſmodi libros non recipiunt: adeoque jam illo

illo tempore erat constans Authoritas illorum librorum, quamvis priore ætate aliqui eos non recepissent ut Divinos, cum nulla adhuc facta fuerit de iis decisio Ecclesiæ in aliquo concilio.

℞. 4. De Libro Sapientiæ. circa hunc non est una Catholicorum sententia. S. Isidorus L. 1. de officiis c. 11. vult illum a Salomone hebraice scriptum, cui consentit Tirinus cum aliis a se citatis: addit tamen, etsi Hebraice scriptus, ac tunc pro Canonico ab Hebræis agnitus fuerit, jam tamen a tempore S. Hieronymi non exstat hebraice, uti nec Ecclesiasticus, sed solum græce. Cum autem interciderit ille textus hebraicus, jam non reperitur amplius in Canone Judæorum. Interea communior est sententia, cui etiam subscribit Calmet, librum illum continere quidem Sententias Salomonis, uti c 9. ℣. 7. in Persona Salomonis dicitur: *Tu elegisti me Regem populo tuo, & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo;* sed Sententias esse collectas & conscriptas a quodam Philone, non illo juniore post Christum vivente, sed antiquiore, qui fuit unus ex 70. Interpretibus sub Ptolomæo Philadelpho Rege Ægypti. 23.

Quid dicendum de Ecclesiastico, Ecclesiaste, Proverbiis, & Cantico Canticorum?

Resp. 1. Ecclesiasticus, id est, Concionator, a Latinis sic vocatur ob imitationem, simul & distinctionem libri Salomonis, qui *Ecclesiastes* inscribitur; continet enim similem moralem Philosophiam, sed luculentioribus, & efficacioribus sententiis, tradit de omni virtute præcepta, quibus insignia Dei, Divinorumque operum, & Illustrissimorum virorum encomia adduntur. Fuit aliquando attributus Salomoni, sed modo certum est, Salomonem non fuisse scriptorem ejus, bene Jesum filium Sirach Jerosolymitam, cui passim a Latinis & græcis adscribitur, ut constat ex Prologo, & capite ultimo Libri. Fuit autem Jesus ille senior, qui putatur fuisse Nepos, vel Abnepos Jesu Sacerdotis magni cum Zorobabele reducis e Babylone sub Cyro, & fuit unus ex 70. Interpretibus, qui Biblia ex Hebræo in græcum sub Ptolomæo transtulerunt. Scripsit hebraice, ut in Prologo asseritur, sed hebræum exemplar jam intercidit: Ex Hebraico in græcum transtulit in gratiam Græcorum & Proselytorum Jesus junior, nepos senioris, ut patet ex græco Prologo, quem libro sui avi præfixit, & præfixum retinet editio Romana tanquam Canonicam scripturam, & paris authoritatis cum ipso libro Ecclesiastici. 24.

Bellarminus, qui L. 1. de Verbo Dei c. 14. magna allegata authoritate libri hujus Divinitatem probat, inclinat in eam opinionem, quæ dicit, Salomonem esse Authorem ejusdem: Nihilosecius tamen sic concludit his bene notandis verbis: *At Epiphanius in hæresi Anomæorum, & alii non nulli authorem libri hujus Jesum Sirach esse volunt. Respondeo, facile potuisse fieri, ut Jesus Sirach sententias Salomonis diligenter a se collectas in unum volumen redegerit: ita uterque author dici poterit.* Hæc ille.

25. ℞. 2. Ecclesiastes Hebraice inscribitur קֹהֶלֶת Coheleth, quod fœmineum est, & ad literam significat fœminam, quæ publicum alloquitur, seu cœtum convocat. Verum genere nominis neglecto Septuaginta, & post illos Latini verterunt Ecclesiastes, quo græco nomine indicatur vir pro concione loquens, seu Concionator. Author Libri est Salomon, ut patet ex toto decursu ejus, in quo tales characteres exprimuntur, qui nulli quam Salomoni possunt convenire, ut illud Tituli: Verba Ecclesiastæ, Coheleth, filii David Regis Israel: adducit etiam opera sua, divitias, ædificia, ut c. 2. 4. 5. 6. scripta pariter, singulariter parabolas c. 12. Dein sententiosus ejus stilus ubique regnat, ait Clarissimus Calmet, seque præcedentium omnium, qui in Jerusalem floruerunt, sapientissimum, ditissimumque perhibet: quibus omnibus dubitatio de illo universa subducitur: ita Calmet consentiente Cartier.

Judæorum Scriptores, qui SS. Librorum Canonem describere jussi sunt, de libro Ecclesiastæ aliquamdiu suspensi hæserunt, ut Judæi referunt, & S. Hieronymus confirmat; verum post longam discussionem suscipiendum opus censuerunt. Hæretici quidem variis cavillis librum impetunt; qui tamen facile refelluntur, si sequentia notantur: 1. In hoc libro occurrunt quidem Saducæorum, & impiorum hominum opiniones; sed has Salomon non ex mente propria profert, neque illis adhæret, bene vero sibi objicit in persona illorum, atque rejicit. Laudat Sapientiam, virtutem, justitiam: agnoscit alteram vitam, simul & præmia pœnasque post obitum: & quam pulchre claudit totum tractatum his verbis, quibus scopum, ad quem collineat, indicat: *Deum time, & mandata Ejus observa; hoc est enim omnis homo.* 2. Propter hoc, quia aliqua inspersa sunt, quæ Saducæis, Epicureis, & impiis videntur primo aspectu favere, Judæi non statim istum librum suo Canoni inseruere; cum autem postea viderent, ea non in persona, nec ex mente authoris referri, & tantum per modum objectionum, & totum librum tendere ad Dei timorem, & ob-

servatio-

ſervationem mandatorum, canonicum non dubitarunt agnoſcere. 3. Neque aliquem turbent hæc verba c. 8, ℣. 2. *Ego os Regis obſervo*: quæ non videntur Salomoni, qui nullum habuit Regem obſervandum, ut authori convenire, proinde hic liber non eſt ab ipſo, ſed alio ſcriptus. ℞. enim primo cum S. Hieronymo, hic per Regem Deum ipſum ſignari. ℞. 2. cum aliis apud Tirinum: Salomon loquitur in perſona prudentis Miniſtri aulæ, quaſi diceret: ſi tuo loco eſſem, ſic me gererem, & os Regis obſervarem, & omnes annutus ejus. ℞. 3. cum Cartier, textum hunc in vulgata noſtra eſſe mendoſum, & eſſe legendum: os Regis obſerva in imperativo, prout legunt 70. Interpretes, textus Syrus, & Arabs. 4. Etſi S. Hieronymus, plurimique commentatores cum Judæis aſſerant, Salomonem hoc in libro reſipuiſſe, erroresque ſuos defleviſſe, nihilominus per hoc Salomonis ſalus non extra omne dubium ponitur, ſed merito adhuc in utramque partem diſputatur a doctis.

℞. 3. De libro Proverbiorum; Hebraice Misle derivatum a Maſchal, iſt eſt, *Dominari* ſignificat quamlibet prædominantem, & præ cæteris excellentem ſententiam. Incipiunt iſtæ ſententiæ a cap. 10 hujus libri; etenim novem priora capita ſunt encomium Sapientiæ, & Parænesis & Proloquium ad totum librum. Caput decimum & ſequentia uſque ad 24, ℣. 22. alio ſunt ſtilo, brevioribus ſententiis, & per antitheſes ſcripta. ℣. 23. tituli loco dicitur: *hæc quoque Sapientibus*, id eſt: *En alias ſapientum ſententias*, novusque dein ſtilus conciſus, & gravis eſt. Initio cap. 25. ſic habetur: *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda.* Iterum ad initium capitis trigeſimi dicitur: *Verba Agur filii Jocke*, prout habet textus hebræus, quod in latinum vertitur: *verba congregantis, filii vomentis.* Denique c. 31. ſeu ultimum ita inſcribitur: *Verba Lamuelis Regis*, quod ex hebræo ita traduci poteſt: *Verba ejus, qui Dei eſt*, vel, *qui a Deo poſſidetur.* Videtur idem eſſe ac Salomon, idque nomen illi a Matre tributum, ut ſignificaret, eum Deo a ſe dicatum eſſe. 26.

Ex his & aliis inferunt docti, plures Scriptores huic operi, vel libro adornando operam impendiſſe: cum enim Salomon Divino inſtitutus Spiritu triginta millia parabolarum locutus dicatur 3. Reg. c. 4, v. 32. factum eſt, ut quædam ex illis fuerint a nonnullis exceptæ: v. g. ab Ezechia, ab Agur, niſi nomen iſtud ipſum Salomonem ſymbolice indicet, ab Iſaia, Eſdra &c. ut ita exceptæ librum tandem conficerent. Quo ſtante Salomon Spiritu ſancto afflatus vere adhuc eſt author totius libri. Liber quoque iſte ſemper canonicus eſt habi-

tus.

tus. Si huic universali sententiæ unus vel alter vellet obstrepere, non esset curandus.

Neque obstat authoritati hujus libri apparens quædam antilogia, dum c. 26, ℣. 4. dicitur: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Et ℣. 5. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Nam licet hi duo textus afferant esse respondendum stulto, & non esse respondendum; tamen id non dicunt sub eodem sensu: non est ergo respondendum ei, verba probrosa & spuria, qualia evomuit stultus, in eum regerendo; taliter enim respondens stulto fieret similis: alter vero textus docet, stulto tamen esse respondendum interdum, maxime quando ejus sermo vergit in offensam Dei, non quidem verbis, sed verberibus, puniendo nempe eum, ne impunitus in deterius abeat. Id quod eodem capite versus tertius insinuat his verbis: *flagellum equo, & camus asino, virga in dorso imprudentium.* Videantur Expositores in hos textus.

27. ℞. 4. De Cantico Canticorum. Ex Canticis Salomonis, quæ juxta L. 3. Reg. c. 4, ℣. 32. *fuerunt quinque & mille*, solus restat liber Cantici Canticorum, sic per excellentiam vocatus. Hebræis dicitur Schir asschirim, id est, nobilissimum Canticum. Commentum Rabinorum est, in hoc cantico Salomonem expressisse amores carnales Abisag Sunamitidis, & filiæ Pharaonis: igitur non ad litteram, nec secundum carnem & sanguinem hujus libri sensus est scrutandus. Id vel ipsa verba libri demonstrant, quæ secundum litteram exponi nequeunt; Similitudines enim, quibus Sponsam adamatam describit, secundum exteriorem vocis sonum, & significationem intellectæ, eam magis deformant, quam exornant. Quid enim ineptius de Sponsa dici posset, quam quæ hic recensentur? nempe quod habeat caput amplum instar montis Carmeli, oculos similes piscinis magnis in Esebon, nasum magnitudine sua similem turri respicienti contra Damascum, dentes sicut greges ovium, collum sicut arcem Sion, ex qua mille pendent clypei, crura sicut columnas marmoreas, quæ omnia sunt nimis rudia, quam ut de Sulamite, vel filia Regis Ægypti intelligi valeant.

Stilus Cantici hujus amatorius est, & Metaphoræ pene omnes a nuptiis carnalibus desumuntur; nihil tamen hic carnale, nihil mundanum, nihil profanum, nullæ hic Veneres aut Cupidines. Amores & sacri sunt, & ab igne cælesti, quem Christus venit in terram mittere, quo sanctiores animæ ad Eliæ modum abripiuntur in cælum. Est igitur hoc Canticum spirituale colloquium inter Christum verum Deum

Deum & hominem, & ejus Eccleſiam, & quamcunque piam animam, quæ eſt membrum Eccleſiæ. Dein quidquid animæ piæ convenit, id toti Eccleſiæ, & ſpeciatim glorioſiſſimo ejus membro Virgini Deiparæ adſcribi poteſt. His notatis facile omnia diluuntur, quæ veteres hæretici contra hoc Canticum objecere, & Anabaptiſtæ, aliique novi recoxere.

Satisfit Objectionibus Hæreticorum contra Libros Danielis, Job, Pſalterii, & duos priores Machabæorum.

28. Primo hæretici ſe opponunt ultimis duobus capitibus Danielis, quibus deſcribitur Hiſtoria Suſannæ, Belis, & Draconis. Dicunt igitur 1. hæc deſiderantur in Codicibus hebræis: ergo non ſunt authentica. ℞. n. conſ. Hæc licet deſiderentur modo in Codicibus hebræis, reperiuntur tamen in verſione 70. Interpretum, in editione Theodotionis, & aliis vetuſtiſſimis Verſionibus græcis. Origenes etiam in Epiſtola ad Julium Africanum aſſerit, Hiſtoriam Suſannæ in antiquis codicibus hebræis olim exſtitiſſe, ſed eam poſtea eraſam, & ſublatam fuiſſe a Judæis. Nec eſt credibile, Deum permiſiſſe, ut Eccleſia, quam Chriſtus Sanguine ſuo acquiſivit, fabulas pro divinis revelationibus in ſua vulgata approbaret.

Dicunt 2. Julius Africanus, antiquiſſimus Scriptor, hiſtoriam Suſannæ, Belis, & Draconis tanquam putidam fabulam explodit. Joſephus quoque L. 10. Antiquitatum, ubi Danielis geſta perſcribit, iſtas Hiſtorias in Vulgata c. 13. & 14. recenſitas tanquam fabuloſas omittit: ergo. ℞. n. c. Quamvis Julius Africanus cum aliquibus antiquis ſubdubitarit de ultimis duobus capitibus Danielis, longe tamen plures ea ut Canonica, & authentica ſuſceperunt, inter quos ſunt S. Ignatius Martyr in Epiſtola ad Magneſianos, Origenes in Epiſt. ad Julium Africanum, Tertullianus L. de corona Militis, Cyprianus in ſermone de Oratione Dominica, S. Baſilius L. de Spiritu Sancto c. 10. Chryſoſt. Serm. de tribus pueris & Suſanna, Ambroſius L. 3. de Spiritu Sancto c. 7. qui omnes teſtantur, Hiſtoriam hanc eſſe Scripturam divinam. Joſephus vero L. 10. Antiquitatum c. 12. has, & multas alias hiſtorias ſacras ſe ſilentio præteriiſſe fatetur, non quia eas narratione ſua indignas cenſebat, ſed quia in antiquis Hebræorum libris, quos ſolos transferendos aſſumpſerat, non erant ſcriptæ.

Dicunt 3. S. Hieronymus Hiſtorias Suſannæ, Belis & Draconis tanquam aniles fabulas explodit, & obelo tanquam ferro jugulante notavit, & a reliquo Danielis volumine detruncavit, ac confu-

tavit Præfat. in Danielem, & alia præfatione in Commentarium ejusdem: ergo. ℞. n. 1. m. a. et transmissis reliquis n. conf. S. Hieronymus ipsus Apol. 2. contra Ruffinum ait, se in duobus citt. prologis non dixisse, quid ipse sentiret, sed quid Judæi, & obelo notasse illa capita, ut sciremus, ea capita sua ætate non amplius fuisse reperta in hebræo textu. Sic loquitur S. Doctor: *quod autem refero adversus Susannæ Historiam, & Hymnum trium puerorum, & Belis Draconisque fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur, stultum se Sycophantam probat: Non enim, quid ipse sentirem, sed quid illi contra me dicere soleant, explicavi.* Nec aliquem turbet, quod *fabulas*, appellet: hoc enim nomen non a *fabulando*, sed a fando deduxit. Etiam vera narrantes interdum *fabulari* dicuntur, sicut de duobus Discipulis loquentibus in via de morte Christi Lucas c. ult. ℣. 15. ait: *dum fabularentur ad invicem*, id est, colloquerentur. Certe si S. Hieronymus eas confictas fabulas existimasset, non esset commentatus in eas, prout tamen commentatus est.

Dicunt 4. In Historia Susannæ c. 13. dicitur Daniel liberator Susannæ puer: sed hoc videtur falsum: ergo. m. p. Sub finem hujus Historiæ c. 13. habetur: *& Rex Astyages appositus est ad Patres suos, & suscepit Cyrus Perses Regnum ejus:* ergo hæc liberatio Susannæ, si vera est Historia, contigit sub Astyage paulo ante, quam Cyrus regnum occuparet, ubi Daniel jam senex erat, octoginta ad minus annos natus: etenim sub Jechonia abductus erat in captivitatem Babylonicam, in qua diu vixerat sub Nabucodonosore & hujus Successoribus, captivitas autem ipsa laxata a Cyro Rege Persarum duravit septuaginta annis. R. n. m. et dico, Historiam Susannæ contigisse sub Nabucodonosore, cum Daniel adhuc juvenis esset; quam ob rem hæc verba, quæ leguntur ad finem c. 13. & Rex Astyages non pertinent ad Historiam Susannæ, sed ad Historiam Belis, quæ describitur c. seq. 14. & quæ contigit sub Cyro Persarum Rege, cum Daniel jam esset Senex, ut patet ex contextu, & dispositione græcorum Codicum, præsertim Editionis Græcæ Sixti V. in qua versus ille 65. capitis 13. libri Danielis: & Rex Astyages &c. connectitur cum Historia Belis & Draconis.

Dicunt 5. Daniel verus jam fuit grandævus ante captivitatem Babylonicam anno sexto transmigrationis Joachim; sic enim ait Ezechiel Propheta c. 14, ℣. 14. de illo: *Si fuerint tres viri Noe, Daniel, & Job, nec filios nec filias liberabunt.* Ex quibus verbis colligitur, Danielem jam fuisse grandævum, utpote filios & filias habentem, aut omnino jam fuisse mortuum, cum comparetur Noe & Job, illo tempore

pore certo jam mortuis. ℞. Ezechiel, vel potius Deus per Ezechielem loquitur ibi hypothetice, si nimirum Noe Job, & Daniel inter Judæos viverent, & pro propriis filiis, si quos haberent, orarent, nihil pro illis esse impetraturos, sed proprias solas animas salvaturos. Daniel ibi nominatur inter viros grandævos jam defunctos ob sua merita, & æstimationem, quam jam tunc sibi comparaverat, non ob ætatem. Dein Danielem improlem obiisse, & nullos procreasse liberos, imo virginitatem usque ad mortem illibatam conservasse cum tribus pueris, omnes Patres consentiunt, ait Tyrinus in præfatione ad Prophetiam Danielis.

Dicunt 6. Author Historiæ Susannæ fuit græcus, & inducit Danielem græce loquentem: ergo non scripsit Daniel verus, solum chaldaicæ & hebraicæ linguæ peritus. a. p. Nam uni ex Senioribus pudicitiæ & famæ Susannæ insidiantibus, dicenti, se vidisse eam peccantem sub *Schino*, Daniel ex illa voce σχῖνος, quæ latine Lentiscum significat, alludens ad verbum græcum σχίζειν, quod significat scindere, statim subdidit: *recte mentitus es in collum tuum, ecce enim Angelus Domini accepta sententia ab eo, scindet medium.* Alteri quoque Seni dicenti, se vidisse peccantem sub *Prino*, qui latine significat *Ilicem*, allusit protinus Daniel a Prino ad actionem secandi: nam πρίνος est arbor, & πρίζειν idem est, ac *secare*: unde dixit ei Daniel: *recte mentitus es in caput tuum, manet enim Angelus Domini gladium habens, ut secet te medium.* Ubi ad græca nomina arborum alludit Scriptor, quod verus Daniel Hebraice, & Chaldaice solum loquens nullatenus facere poterat. ℞. N. M. &c. & dico cum Origene & aliis, Danielem non usurpasse in scriptione Historiæ Susannæ græcas illas allusiones, sed alias linguæ Chaldaicæ, cujus notitia jussu Nabucodonosoris erat imbutus, proprias: quas postea interpres græcus allusionibus græcis repræsentavit; quod sane & in optimo interpretandi genere consuetum est.

Dicunt 7. hæretici. Author Libri Danielis secum pugnat; nam c. 14, ℣. 30. ait: Danielem fuisse reclusum 6. diebus in lacu leonum; Cap. vero 5. ℣. 22. asserit, eum una tantum nocte in lacu leonum stetisse: ergo. ℞. c. a. n. c. Nulla certe Antilogia est in hac duplici relatione; bis enim Daniel in lacum leonum missus est: primo a Dario Medo successore Balthasaris, quoniam Deum precatus est contra Regis mandatum, & tunc una duntaxat nocte inclusus mansit, ut dicitur c. 5, ℣. 22. secundo fuit missus in lacum leonum a Cyro Persarum Rege propter interfectum Draconem, & tunc 6. diebus ibi permansit, ut legitur c. 14, ℣. 30. in quibus nulla Antilogia.

Dicunt 8. Danielis c. 9. ℣ 1. dicitur Darius Afueri filius: *anno primo Darii filii Afueri:* & tamen 1 Efdræ c. 4, ℣. 1. & Efther c. 1. ℣. 6. Afuerus longe pofterior Dario dicitur: ergo Darii Pater cum veritate dici nequit. ℞. n. c. quia dum ibi Darius filius Afueri vocatur, idem eft, ac fi dicatur filius Magni Principis, feu Regis Medorum, nempe Aftyagis: Afuerus enim non eft nomen proprium, fed commune Regibus Medorum, ficut Artaxerxes Regibus Perfarum; unde Cambyfes, & maritus Efther nunc Afuerus, nunc Artaxerxes vocantur, prout Medis vel Perfis, quibus utrisque præerant, confuetum erat illos appellare.

Advertat infuper Lector, Sufannæ, Belis, & Draconis Hiftoriam fuiffe in fronte Libri Danielis collocatum a 70. Interpretibus, & eorum vetuftiffimis editionibus: ad calcem tamen libri rejectam effe a Vulgatæ Interprete, quia eam in hebræis Exemplaribus, a quibus aberat, non reperit. Quod fpectat Canticum trium Puerorum *Benedicite*, illud quidem non exftat in Hebræis codicibus, reperitur tamen integrum in Verfione græca, & editione vulgata; & mirum non eft, quod tres Pueri illi a flammis divina virtute illæfi fervati, in ipfa fornace ardente ita ordinatim decantarint laudes Dei. Quod hæretici oblatrant contra Habacuc abreptum, & in Babylonem per Angelum transportatum, nullius eft momenti; hoc enim fieri potuit fuperna virtute. Quis autem fuerit ille Habacuc, an ille, qui inter Prophetas minores octavus numeratur, ut credit cum aliis Tirinus, vel alius Propheta, ut Gravefonus cum aliis exiftimat, parum ad rem. Quibus folutis facile defenditur Authoritas Ecclefiæ integrum Librum Danielis in Canonem referentis, etiamfi aliquæ fupra recitatæ particulæ antecedenter ante Concilium Tridentinum fuerint habitæ ab aliquibus Apocryphæ, & modo fint Deutero - Canonicæ.

29. Secundo. Librum Job veram continere Hiftoriam, non autem Parabolam, ut quidam Judæi cum aliquibus Sciolis voluere, patet ex Tobia, Ezechiele, & Jacobo Apoftolo, qui eam ut veram hiftoriam allegant. Sic Tobiæ 2, ℣. 12. dicitur: *hanc igitur tentationem* (cæcitatis) *ideo permifit Dominus evenire, ut pofteris daretur exemplum patientiæ ipfius, ficut & Sancti Job. —— —— Nam ficut beato Job infultabant Reges, ita & ifti* (Tobiæ) *parentes.* Apud Ezechielem c. 14, ℣. 14. legitur: *Et fi fuerint tres viri ifti in medio ejus* (terræ) *Noe, Daniel, & Job, ipfi juftitia fua liberabunt animas fuas, fed ipfi foli liberabuntur, terra autem defolabitur.* Epift. S. Jacobi c. 5, ℣. 11. *Ecce fufferentiam Job audiftis, & finem Domini vidiftis, quoniam mifericors Dominus eft, & miferator.*

Hinc

Hinc vera hæc est Historia, & nomen Job non est, ut putant aliqui, scenicum, licet ululantem & dolentem, & se ipsum affligentem significet, verum tamen est nomen hominis olim in rerum natura existentis. Præterea Sacra Scriptura nomen Job, nomina filiorum, & filiarum ejus, uxoris, & terræ, quam incolebat, armentorum & pecorum, agrorum & possessionum numerum indicat, nec non amicorum, qui ad eum consolandum accesserunt, numerum notat, nomina & patriam clare exprimit, ut alias in descriptione veræ Historiæ, non vero in scenicis actionibus, Tragœdiis, aut Comœdiis fieri solet: deinde Patres quoque Jobum tamquam sanctum dillaudarunt, & ut verum patientiæ exemplum proposuerunt: ut Origenes homil. 4. in Ezechielem; Tertullianus L. de Pat. c. 14. Cyprianus L. de dono Patientiæ; Hieronymus Epist. 103. Basilius homil. 4. de gratiarum actione; Augustinus Serm. 105. de tempore; Gregor. Magnus in Præfat. in Librum Job. Ecclesia etiam Jobum ut sanctum veneratur: Martyrologium enim Romanum ejus memoriam facit 10. Martii; & Menologium græcum octavo Idus ejusdem mensis.

Conscriptus fuit primo iste liber ab ipsomet Jobo, ut volunt S. Gregorius, Albertus Magnus, Suidas & alii, & quidem Lingua Syriaca seu Arabica, vel Idumæa; nam teste S. Hieronymo Syrismi, & Arabismi passim inspergantur. Ex Syriaca vero in Hebræam Linguam convertit eum Moyses, forte dum Soceri sui Jethro oves pasceret in Madianitide: unde Moysen ipsum Authorem Libri faciunt Origenes, Philippus Presbyter, Isidorus, Abulensis, & quidam alii, cum quibus videtur sentire etiam S. Hieronymus; Sacros enim libros recensens Epist. ad Paulinum, Pentateucho librum Job statim subjicit, posthabito etiam Libro Josue: quo significare videtur, Moysis & Jobi Libros esse ejusdem Authoris, & ætatis. Causa finalis scribendi fuit, ut omnibus, & maxime Hebræis sub id tempus in Ægypto graviter afflictis vivum daretur exemplum Patientiæ. Graphice hic describitur duellum pœnarum & patientiæ, naturæ & gratiæ, Diaboli & viri justi, ut pulchre explicat S. Prosper cum aliis PP. Præterea singulariter toto Libro 42. capitibus constante agitatur controversia, an soli peccatores a Deo adversis afficiantur: affirmativam & falsam amplectuntur amici Jobi, hic vero negativam, & veram sustinet: unde verba tam Dei, quam Jobi, quæ Deus cap. ult. probat, habent infallibilem veritatem Canonicæ Scripturæ: non item verba amicorum Jobi. Ita S. Gregorius, Augustinus, Chrysostomus, & Polycronius in Catena, & Expositores, qui idcirco dicunt, hos tres

 gessisse

gessisse typum hæreticorum, Ecclesiam & pios impugnantium. Allegorice, & anagogice Christi, & cujuslibet patientis triumphus in resurrectione depingitur.

Neque dictis obsunt sequentia. 1. Josephus Judæus de Antiquitatibus Judæis scribens non meminit Jobi, & libri ejus: quia 1mo in eo libro multa etiam alia, ad historiam sacram pertinentia, de industria omisit, aut interpolavit, ut demonstrat Dandillius in sua gallica operum Josephi versione. 2do Josephus in hoc opere solam gentis suæ historiam intendit concinnare: atque adeo de gestis & historia Jobi extranei, & gentilis ad gentem suam non spectantis siluit.

2. Liber hic materiam ministrat ad Trage-comœdiam, uti aliæ plures veræ historiæ, in se tamen non est confictus, sed refert gesta vera. De Jobi existentia, vita, & patria, ubi habitavit, certam habemus notitiam: & quamvis de ejus ætate dubitetur ob veteris Chronologiæ confusionem, obscuritatemque, tamen probabilius (ut vult Chartier Tom. 1. Th. universalis c. 2. tit. 1. n. 365.) præstantiores Theologi tenent, eum vixisse paulo ante egressum filiorum Israel ex Ægypto, atque Moysi fuisse coævum.

3. Licet in Libro Job pleraque in sensu literali intelligenda sint, tamen quæ afferuntur de Concilio angelorum, cui Deus præsidebat, de colloquio Satanæ cum Deo, in sensu figurato intelligi petunt: tales figuratæ locutiones plures occurrunt in Sacro Codice. Liber Job magna ex parte versibus conscriptus est, non ab ipso Job, sed ab aliquo alio, qui hanc S. Jobi Historiam descripsit, & graviores sententias ad majorem impressionem faciendam metrice descripsit. Nec stilus metricus Sacræ Scripturæ repugnat, alioquin Canticum Moysis, Deboræ, & alia Cantica, Lamentationes Jeremiæ, & Psalmi propter stilum Poeticum authoritatem divinam non haberent.

4. Amici Job 7. diebus manserunt apud Job, non quasi clavo affixi terræ sedentes, sed permanentes in eadem civitate vel loco, quo erat Job, & per intervalla ipsum visitantes, & accedentes. Omnes imprecationes, quas Job fecit motus gravissimis cruciatibus & afflictionibus, non fecit ex æstu indignationis erga Deum, nec in sensu literali, sed in sensu quodam mystico accipi debent, sicut facile colligitur ex iis, quæ antecedunt, & sequuntur.

5. Dum Job c. 7, ℣. 20. ait: *peccavi*, loquitur de levi aliquo peccato ante suam calamitatem commisso; dum c. 27. ℣. 6. dicit: *neque reprehendit me cor meum in omni vita mea*, loquitur de gravioribus illis

illis peccatis sibi ab amicis objectis, vel de universis gravibus peccatis, quæ conscientiam stimulant: & tali modo nulla est contradictio in duobus his textibus. Tandem licet Job Idumæus fuerit, tamen non fuit cultor idolorum: nam Idumæi, ab Esau filio Patriarchæ Isaac trahentes originem, certò aliquo tempore veri Dei cultum, quem ab Esau accepere, retinuerunt usque ad tempus Jobi Pronepotis ipsius Esau: hinc recte Job dicitur *vir timens Deum.*

Tertio de Libro Psalmorum ista cape. 1. est unicus apud Latinos, in quinque vero dissecatur apud Hebræos. Eum non esse divinum, sed esse absque afflatu Spiritus Sancti conscriptum, ac præter humanas quasdam Poëtarum Sæcularium cantilenas nihil eum continere, dixerunt olim hæretici Nicolaitæ, Gnostici, & Manichæi. In eum etiam impegerunt Paulus Samosatenus, & Theodorus Mopvestenus, in quinta Synodo generali condemnatus, & Anabaptistæ. Ita ex Philastrio refert Sixtus Senensis L. 8. Bibliothecæ. 30.

Verum turpiter hujus corii homines esse halucinatos, authoritate Christi & Apostolorum comprobatur, qui Psalmos sæpius ut sacros & divinos allegarunt. Sic Christus c. 22. Matth. citat Psalmum 109. *Dixit Dominus Domino meo*, additque, hoc dictum esse a Davide in Spiritu, seu afflante Spiritu Sancto. Iterum Joan. c. 10. Christus laudat Psalmum 41. *Ego dixi, vos Dii estis.* Eandem divinam authoritatem Psalmis tribuunt Evangelistæ & Apostoli. Matthæus vocat Authorem Psalmi 77. Prophetam, dicens c. 13. *ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: aperiam in Parabolis os meum.* S. Paulus in Epist. ad Hebræos c. 1. tanquam testimonio divino utitur illo loco Psalmi 44.ti *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi.* &c. & c. 3. ejusdem Epistolæ testimonium adhibet tanquam Propheticum & divinum ex Psalmo 94. *Sicut dicit Spiritus Sanctus: hodie si vocem ejus audieritis.* Si materia Psalmorum consideratur, liquido constat, eorum authorem divinitus esse afflatum, cum multa futura prædixerit, quæ post multum tempus ad amussim fuerunt adimpleta: ut futurum Christi Regnum, generationem æternam & temporalem, sacerdotium, sacrificium, vitam, mortem, resurrectionem, ascensionem, vocationem gentium, ecclesiam toto orbe propagandam.

Numerus Psalmorum Canonicorum apud Judæos, Christianosque semper certus & fixus fuit, nempe 150. Psalmorum. Psalmus alius in Hebræo, & Chaldæo textu, ac vulgata omissus, superadditus tamen in Syriaco, Arabico, & in omnibus fere græcis exemplaribus,

bus, non eſt canonicus: hujus Pſalmi titulus eſt iſte: *Pſalmus gratiarum actionis, cum Goliath viciſſet.* Incipit autem his verbis: *Primus eram inter fratres meos, & adoleſcentior in domo Patris mei.*

De Pſalmorum titulis varie ſentiunt Interpretes, aliqui iis canonicam authoritatem tribuunt, alii, qui aliena manu adjectos arbitrantur, tanquam ſpurios rejiciunt: nonnullis titulus totius Pſalmi clavis eſſe videtur, alii contra, nihil ad explorandum textum plerumque conferre credunt, quippe qui fortuito, & recenti manu ſit additus, & ex quo ut plurimum obſcuriſſimo, nec Interpretibus ſatis cognito, nihil utilitatis expectari poſſit. Nihilo tamen ſecius omnes omnino Pſalmorum titulos contemnere non oportet, cum inter illos aliqui canonicam authoritatem habeant, illi nempe, qui a primis Authoribus, vel ab Eſdra ducunt originem: illi vero, qui vel ante vel poſt Eſdram aliena ſeu græca, ſeu hebræa manu ſunt appoſiti, nec Pſalmo, cui præfiguntur, congruunt, abjiciendi videntur: quare hos titulos Eccleſia nunquam in officio divino legit, & Concilium Tridentinum textui vulgatæ authoritatem aſſerens, de Titulis librorum ſacrorum nihil determinavit.

Circa Authorem Pſalmorum duplex eſt cum veterum, tum recentiorum ſententia. Prima eſt S. Auguſtini, Theophilacti, Euthymii, ut ſcribit Tirinus, quibus Graveſonius addit S. Chryſoſtomum, Theodoretum, & Caſſiandrum, qui omnes Pſalmos Davidi Authori adſcribunt, quos ſequuntur plures ex recentioribus, quibus Philaſtrius non ſolum conſentit, ſed etiam hæreticos illos appellat, qui aliter ſentiunt. Verum contraria opinio, quæ eſt S. Hilarii in Prologo Pſalmorum, authoris Synopſeos, quæ tribuitur S. Athanaſio, & S. Hieronymi, 150. Pſalmos non uni Davidi, ſed pluribus authoribus adjudicandos cenſet. S. Hieronymus Epiſt. ad Cyprianum ait: *Scimus, errare eos, qui Pſalmos omnes David eſſe arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inſcripti ſunt.* Et Epiſt. ad Sophronium: *Pſalmos*, inquit, *eorum teſtamur authorum, qui ponuntur in titulis, David ſcilicet, Aſaph, Idithum, filiorum Chore, Eman, Eſraitæ, Moyſis, Salomonis, & reliquorum, quos Eſdras uno volumine comprehendit.* Ratio eſt; quia in fine Pſalmi 71. deſinere dicuntur Pſalmi Davidis, & mox ſubnectuntur Pſalmi Aſaphi Prophetæ. Et 2. Paralipomenon c. 29, ℣. 30. præcipit Ezechias Levitis, ut cantent Pſalmos non modo Davidis, ſed etiam Aſaphi. Unde credibilius eſt, varios Pſalmos a variis Prophetis compoſitos eſſe, quos deinde Eſdras ſimul omnes in unum volumen compegit. Quamvis autem omnes Pſalmi a Davide non fuerint

fuerint compositi, tamen Psalmorum Liber ipsi inscribitur, quia præcipuam partem Psalmorum condidit. Item quamvis probabilius David non sit Author omnium Psalmorum, certum tamen est, illos Psalmos, qui Davidi non tribuuntur, fuisse editos a Prophetis, nimirum ab Asaph, Heman, Idithum, Chore & filiis ejus, quos Scriptura L. 1. Paralip. c. 25. vocat Prophetas, & novum testamentum omnes indiscriminatim ceu Sacros & divinos citat, adeoque omnes authoritatem habent divinam.

Psalmi primo sunt scripti Hebraice, sed postmodum in græcum translati, & nominatim a S. Luciano Martyre, cujus translationem dein in latinum conversam (non vero illam 70. Interpretum, vel S. Hieronymi, ut quidam existimant) a S. Hieronymo correctam usurpat hactenus Ecclesia Romana. Bellarminus, Tirinus. Quod Psalmorum ordinem attinet, nulla habetur in iis ratio temporis, ut Gravesonius variis exemplis probat; adducunt varii varias rationes, cur ordo Psalmorum a temporum ratione discrepet: sed Gravesonio præplacet conjectura Episcopi Abrincensis, qui suspicatur, hoc ordine *Psalmos* ab Esdra, & Synagoga Magna fuisse digestos, quo in templo canebantur, prout nempe Anniversariæ solennitates, vel sacrorum ratio postulabant.

Imprecationes, quæ in Psalmis, & Sacra Scriptura leguntur, his non obstant: ut enim docet S. Thomas 2. 2. q. 25. Art. 6. ad 3. possunt tripliciter intelligi, uno modo per modum prænunciationis, sed non optationis. Sic in isto versu: *convertantur peccatores in infernum* Psal. 9. sensus est: *convertentur*. Alio modo per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad justitiam punientis: *lætabitur Deus, cum viderit vindictam;* nam nec ipse Deus lætatur in interitu impiorum. Tertio modo, ut desiderium referatur ad amotionem culpæ, non ad pœnam, scilicet ut peccata destruantur. Optat igitur Propheta pœnas malis, ut reluceat Justitia divina in mundo, ut acerbis pœnis afflicti impii a malis revocentur.

Neque in Psalmis sunt veræ antilogiæ. Sic nulla est Ps. 31. ℣. 3. *quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Tacere, & clamare tota die non contradicunt, cum non cadant supra idem; tacuit enim David, cum delicti sui, adulterii & homicidii Uriæ, quod novem mensium velamine texit, veniam a Deo petere neglexit, & distulit, donec publice a Propheta fuerit increpatus: tunc demum dolere, gemere, & affligi ita cœpit, ut ossa sua exaruerint, &

vires consumptæ fuerint. 2. Nec contradicunt sibi sequentes duo textus ex eadem ratione, quia cadunt supra diversa: Ps. 70. ℣. 5. *quoniam non cognovi literaturam;* per hoc enim intelligit sapientiam sæculi, seu profanam, & humanam scientiam, & eloquentiam, in qua se haud versatum ultro fatetur. Dum autem Ps. 118. ℣. 99. dicit: *super omnes docentes me intellexi*, loquitur de scientia salutis, & necessariorum ad Deum colendum & laudandum. 3. Dum Ps. 115. in *excessu suo* ait: *omnis homo mendax*, loquitur de proclivitate ad mendacium, & malum. Sic etiam Theologi explicant illa verba Augustini tract. 3. in Joannem: *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum.*

31. Quarto de Libris Machabæorum sequentia observa. 1. circumferuntur tales libri quatuor, sed soli duo priores Canonici sunt, reliqui adhuc apocryphi, id est, authoritatis incertæ, & occultæ. Declarant autem, quis status fuerit Ecclesiæ Dei sub tertia Monarchia, seu Græcorum: quemadmodum ergo Libri Esdræ, Nehemiæ, & Estheris referunt varios casus Synagogæ partim prosperos, partim infelices factos tempore secundæ Monarchiæ, nempe Persarum & Medorum: ita hi libri Machabæorum recensent ejus casus tam adversos, quam bonos tempore tertiæ Monarchiæ sub Regibus Asiæ & Ægypti. Si haberetur temporis ratio, primum locum inter quatuor libros tertius peteret, cum enarret, quæ Judæis accidere tempore quarti Ægyptiorum Regis Ptolomæi Philopatoris, & Antiochi Magni: secundus locus deberetur ei, qui modo secundus est: tertio loco poni deberet, qui modo primus est, & præter acta Judæ Machabæi, & fratrum illius Jonathæ & Simonis præclare gesta prosequitur: quarto loco, seu ultimo, qui nunc quartus est, quia describit facta Joannis Hircani filii Simonis. Sed ex his quatuor tali modo ratione temporis digestis primus & ultimus apocryphus est, quod a nullo Concilio, nec a SS. PP. in librorum divinorum canone recenseantur.

2. e contrario certum est, medios duos Libros Machabæorum, qui modo absque respectu ad ordinem temporis primus, & secundus vocantur, esse vere Canonicos. Ita Catholici sentire debent contra modernos hæreticos Lutheranos, & Calvinistas. Ratio est 1. hujus asserti ex S. Scriptura, quia in his libris completa narrantur ea, quæ longe prius a Prophetis fuere prænuntiata: sic quod Daniel c. 9. de abominatione in templo futura prævidit, hi libri significant, in Antiocho fuisse completum, qui abominandum Idolum desolationis, nimirum propriam statuam suam posuit super altare Dei in templo, & libros legis combussit, aliaque indigna perpetravit, quæ in hac sa-

cra

cra Machabæorum historia referuntur: ita censet S. Hieronymus in c. 9. Danielis. 2. Iterum quod Deus per Zachariam c. 10. ℣. 3. 4. & 5. prænuntiavit: *visitaturum se super hircos, & ex Israele egressuros, qui exigerent, & debellarent hircos illos in gloria magna*, S. Hieronymus in Machabæis completum pronuntiat in caput 24. Matth. hi enim contra Antiochum, Demetrium, Gorgiam & Nicanorem, qui per hircos a Zacharia in Regno Græcorum indicantur, fortiter prævaluerunt: ergo & hi libri, qui Prophetarum complementa continent, merito divini censentur. 3. Joan. 10. ℣. 22. testimonium inducitur de festo Encæniorum, id est, renovationis templi; sed illud depromptum est ex 1. Machabæorum c. 4. ℣. 56. & 59. & ex 2. Machab. c. 1. ℣. 18. & c. 10. ℣. 3. 5. & 8. ubi de hujus festi institutione primo agitur. 4. Paulus ad Hebræos 11. ℣. 35. scribens hisce verbis: *alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem &c.* septem Fratres Machabæos illos, quorum gloriosum Martyrium recensetur L. 2. Machab. c. 7. clare videtur intellexisse, prout gravissimi authores cum Theodoreto Cyrenensi Episcopo sustinent: hæc enim verba nemini magis conveniunt, quam his fratribus Machabæis absque remissione per omnia tormentorum genera distentis: ergo jam tum tempore S. Joannis & Pauli hi libri pro sacris fuerunt habiti. Ratio secunda est: quia hi libri testimonium habent, & honorifice producuntur a S. Cypriano libro de Exhort. Martyr. c. 11. & L. 1. Epist. 3. ad Cornelium; a S. Gregorio Naz. in oratione de Machabæis; a S. Ambrosio L. 2. de Job c. 10. 11. 12. & aliis passim, qui eosdem Libros Sacram Scripturam diserte pronuntiant. Sic S. Augustinus (cui teste Bellarmino Calvinus multum Authoritatis sæpe tribuit) L. 18. de Civitate c. 36. *libros*, ait, *Machabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* & L. 2. contra Epistolas Gaudentii c. 23. Eorum Librorum Authoritatem studiose defendit, eos Scripturam sanctam appellans. Præterea a Concilio Carthag. III. a Gelasio in Synodo 70. Episcoporum, a Tridentino, & ab Innocentio I. in canone librorum divinorum reponuntur, & Ecclesia eo loco, & tempore, quo non nisi divinas scripturas proponit, ex hisce libris non obiter pauca verba, sed integras lectiones legit, ut in Missa defunctorum, in Missa Sabbathi quatuor temporum vernorum, in Matutinis toto mense octobri. Quod licet Rabanus suo tempore per sedem Apostolicam statutum affirmet, diu tamen ante in more fuisse, S. Leo, S. Augustinus, & alii testantur, & etiam agnoscit Calvinista Wittakerus.

3. Pro ſolvendis objectionibus nota 1. orare pro mortuis, quos non eſt certum in cælo, vel in gehenna eſſe, pium & bonum eſt, ut D. Auguſtinus Epiſt. 61. ad Dulcitium; & L. 1. de Moribus Eccleſiæ c. 13. & L. de cura pro mortuis ex ipſo 2. Machab. c. 12. probat; quamvis apud illos mortuos ſub veſtibus inventa ſint quædam de donariis Idolorum, exiſtimavit pie Judas Machabæus, eos in articulo mortis doluiſſe, & a Deo veniam impetraſſe, quod ſignificant illa verba: *quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.* 2. Dum 1. Machab. c. 1. ℣. 1. Alexander dicitur primus regnaſſe in Græcia, non eſt ſermo de regno quocunque in Græcia, in quo plures jam anteceſſerant Alexandrum, ſed de Monarchia Græcorum in Aſia. 3. Alexander ante mortem ſuam diviſit regnum ſuum tantum in Satrapias, & quidem non abſolute, ſed conditionate, ſi non ipſe acciperet liberos: poſt mortem igitur hæc diviſio plenum & abſolutum effectum eſt ſortita. 4. L. 1. Machab. non dicitur, familiares Alexandri *ſtatim* poſt mortem Ejus ſibi impoſuiſſe diademata, ſed ſimpliciter *poſt Ipſius mortem*, quod adhuc verum eſt, quamvis longo tempore poſt ipſius obitum contigerit. 5. Dum L. 1. c. 1. ℣. 11. dicitur Antiochus illuſtris regnaſſe anno Regni Græcorum 137mo non contradicit Euſebio in Chronico, quo dicit, Antiochum regnaſſe anno 156. Nam illo textu libri Machabæorum numerantur anni non ab Alexandro, qui primus in tota Aſia, atque adeo in Syria, parte Aſiæ, regnavit: ſed a Seleuco, qui primus poſt Alexandrum duntaxat in Syria regnavit, prout monet Euſebius in Chronico; cum enim Judæa eſſet pars Syriæ, Judæi a primo Syriæ Rege annos numerabant: a Seleuco vero, qui primus poſt Alexandrum ſoli Syriæ imperavit, usque ad Antiochum fluxerunt anni 137. quibus ſi addantur 19. anni, qui ab Alexandro usque Seleucum numerantur, habes 156 ab Euſebio ſupputatos, incipiendo Calculum ab Alexandro. 6. L. 1. c. 8. ℣. 7. dum aſſeritur Antiochus a Romanis captus, id de captivitate non omnino propria intelligendum venit, ſed quod Romanorum jugum ſuſcipere coactus fuerit: & hoc eſt verum. 7. In eodem c. 8. ℣. 8. videtur error eſſe Librariorum, ac pro *India Myndiam*, & pro *Media Myſiam* ſubſtituenda, vel dic cum Procopio, Strabone, & Serrario, per *Mediam*, *Lydiam* & *Indiam*, quas Antiochus cogentibus Romanis debuit cedere Eumeni Regi Pergami & Bythiniæ, intelligi debere remotiores Regiones ultra Caucaſum ſitas. 8. c. 8. ℣. 15. numerantur 330 viri, quos quotidie Romani conſulebant: author libri Machabæorum non dicit, hos omnes fuiſſe Senatores, quorum trecenti tantum apud Roma-

nos

nos erant; potuerunt ergo etiam alii præter Senatores ad consilium ab ipsis vocari, ut hic numerus impleretur. Adhæc iste Numerus 330. videtur esse error: sic loco hujus in nostra vulgata legendus est numerus rotundus 300. 9. Quamvis tempore Machabæorum Romani duos crearent Consules, tamen alternis diebus imperabant; hoc testatur infelix pugnæ Cannensis exitus, cujus causa erat temeritas alterius consulis, penes quem eo die imperium erat; & in hunc modum intelligi debet ℣. 16. c. 8. ubi dicuntur Romani singulis annis uni viro committere Magistratum suum. 10. Alexander ille, qui c. 10. ℣. 1. dicitur Antiochi filius, cognomento Balas, se talem falso dictitabat, ut ait Sulpitius Severus; quia ergo vulgi erat opinio, eum esse filium Antiochi, ita eum nuncupavit author Libri primi Machabæorum. 11. L. 1. c. 12. ℣. 7. Librariorum errore dicitur Darius Lacedæmoniorum, seu Spartiatarum Rex: hinc pro Dario ponendus est *Arius* ùt c. 1. & 20. nec non alibi legitur; quapropter post Romanam correctionem expunctus est *Darius*, & hujus loco positus *Arius*. 12. Quamvis de Antiocho illustri L. 2. c. 1. dicatur, Eum percussum fuisse, & cecidisse in Templo Naneæ, nec non ibi multos ex suis membratim esse cæsos, nihil tamen asseritur contra Librum primum c. 6. ℣. 16. ubi dicitur Babylone præ animi dolore in lecto suo mortuus; potuit enim ipse Naneæ quidem esse cæsus, & cecidisse, etiamsi ibi non fuerit occisus, quia nimirum una cum suorum quibusdam, quorum multi membratim cæsi fuerunt, acie fusus, & turpi fuga elapsus fuerit. Ita etiam Gen. 4. narratur Rex Sodomorum in prælio cecidisse, quem tamen sacer textus paulo post viventem, & Abrahæ occurrentem introducit. Igitur Naneæ percussus, & forte etiam vulneratus dici potest, & postmodum in fuga ac itinere e curru cecidisse, tandemque Babylone in lecto suo esse mortuus. 13. Judas L. 2. c. 1. ℣. 10. dicitur scripsisse Epistolam anno 188. cum tamen L. 1. c. 9. dicatur obiisse in prælio contra Bachidem anno 152. ad quod respondendum est 1. *anno centesimo octogesimo octavo*, quæ verba habentur l. 2. c. 1. ℣. 10. non esse principium Epistolæ sequentis a Juda & sociis scriptæ, quæ ab Authore libri primi prætermissa hic inseritur, sed esse finem præcedentis, quæ scripta fuit a toto Judæorum populo duce Joanne Hircano: quod aperte indicant græci Codices, qui post verba, *Anno centesimo &c.* distinctionem constituunt. Responderi potest 2. cum aliis, Judas, qui initio Epistolæ ad Aristobulum, & Judæos in Ægypto commorantes scriptæ, nec non L. 2. Machab. c. 1. recensitæ Author memoratur, non est Machabæus, sed ille Judas Essenus, qui Antigoni cædem prædixit, nec unquam in

ſuis vaticiniis falli ſolitus fuit, ut refert Joſephus. 14. dum L 2. c. 19. Iſraelitæ dicuntur captivi abducti eſſe *in Perſidem*, Author hujus Libri *Perſidem* vocat non tantum eam regionem, quæ proprie Perſis eſt, ſed etiam alias finitimas, prout etiam fit L. 1. Mach. c. 6. ℣. 5. ubi nuncius veniens Babylonem ad Antiochum, dicitur veniſſe ad eum in Perſidem. Unde etiam S. Chryſoſtomus Homil. 6. in Matth. Judæos ex captivitate Perſica liberatos eſſe dicit; Perſis enim tunc celeberrima erat, Chaldæa vero ſatis obſcura. 15. Nabucodonoſor ter in Judæam venit, primo tempore Eliacim, alias Joachim 2. Paralip. c. ult. ſecundo ſub Joachim Rege 4. Reg. c. 24. tertio tempore Sedeciæ, iterum 4. Reg. c. 25. Jeremias ſub Sedecia ſemper fuit in carcere, at ſub Joachim libertate, ac magna authoritate gaudebat: adeoque tunc poterat & Tabernaculum & Arcam aſportare, & abſcondere in ſpelunca quadam Montis Nebo, ut refertur L. 2. Machab. c. 2. ℣. 5. potuit & id capta jam civitate, utpote qui apud Nabucodonoſorem plurimum valebat Jerem. c. 39. Præterea dum Jeremias ipſe enumerat cuncta, quæ ex templo Domini Chaldæi abſtulerunt, altum de arca, & tabernaculo ſilet. 16. L. 2. c. 10. ℣. 3. dicitur quidem, Judam purgaſſe Templum poſt biennium a profanatione hujus Templi, ſed non a morte Antiochi: etenim profanatum fuit anno 148. ut aſſeritur L. 1. c. 4. quare bene Euſebius in Chronico poſt Joſephum L. 12. Antiquit. c. 10. ait, Templum repurgatum eſſe tertio poſt profanationem anno, ſeu biennio integro expleto. 17. Raziæ, qui ſibi ipſi necem conſcivit, facinus l. 2. c. 14. narratur ut audax & generoſum, non vero laudatur ut pium & juſtum. Addo, Raziam (ut quidam Theologi credunt) peculiari inſtinctu divino impulſum id egiſſe, ſicut Samſon, quo in caſu nulla reprehenſione dignum eſt ejus facinus. 18. Duorum iſtorum librorum fuere duo diverſi Scriptores, ut patet ex materia, quia poſterior eadem pertractat, quæ prior, ſed prorſus aliter, nec unus alterius meminit: dein Chronologiam, vel æram, ſeu ſupputationem annorum, aliam primi libri Scriptor, aliam ſecundi libri Author ſequitur, & hæ duæ æræ differunt fere ſemper ſeſqui anno, quia tanto tempore una ſerius incepit. Ulterius ex ſtilo colligitur, qui in primo libro Scriptorem Hebræum redolet, in poſteriore Græcum: S. Hieronymus, & Origenes dicunt, ſe vidiſſe primum librum Hebræum. Qui tamen fuerint hi authores, non liquet, ut ait Iſidorus, niſi quod Author libri poſterioris, qui a Serrario vocatur Judas Eſſenus (de quo 2. Machab. 1. ℣. 10.) ibidem dicat c. 2. ℣. 24. ſe, quæ iſto volumine deſcribit, ex Jaſonis cujusdam Cyrenæi quinque libris, quaſi Hiſtoriæ Epito-

Epitomen collegiſſe. 19. Nomen *Machabæorum*, quod a robore deſumptum vult Joſephus Gononides, libris his inditum videtur a præcipuo ſacrorum bellorum duce Juda Machabæo, ejusque fratribus, ac poſteris, ut inquit S. Hieronymus, & ex eo S. Thomas & alii. Sunt tamen & alii alterius opinionis apud Chartier, qui putant, viros quosdam Judæos hoc nomine fuiſſe inſignitos, quod in ſignum avitæ in Deum religionis quatuor has litteras Hebræas מ Mem, כ Caph, ב Beth י Jod inſcriptas habuerint, quibus hæc ſententia per compendium exprimitur: מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה. *Mi Camoca Be Elohim Jehova.* id eſt: quis ſimilis tui in Diis Domine? Exod. 15. ℣. 11. quo artificio etiam Romani ſuis inſignibus inſcripſere S. P. Q. R. Senatus, Populusque Romanus.

ARTICULUS IV.

Solvuntur quædam dubia circa Libros novi Teſtamenti.

Primo agitur de quibusdam fragmentis Librorum SS. Marci, Lucæ, Joannis.

32. Caput ultimum S. Marci tempore S. Hieronymi non fuit ab omnibus ut canonicum receptum, ut liquet ex Epiſt. ad Hedibiam q. 3. cauſam dubitandi præbuerunt quædam verba apocrypha, quæ capiti iſti ultimo inſerta erant, ut iterum patet ex S. Hieronymo L. 2. contra Pelagianos ante medium; hæc enim inſerta fuere verba, quæ aperte Manichæiſmum redolent: *Et illi ſatisfaciebant dicentes, ſæculum iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos Spiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam.* Quæ verba jam nunc, ut legenti verſionem vulgatam palam eſt, ex illo capite tanquam ſpuria & apocrypha abraſa ſunt. Igitur caput iſtud ultimum ab his additamentis ſpuriis, & per hæreticos immixtis purgatum, prout legitur in verſionibus Arabica, & Syriaca, ac Editione vulgata, recipitur modo, & debet poſt Concilium Tridentinum ab omnibus vere fidelibus recipi integrum tanquam canonicum, & ut tale etiam ipſe Calvinus c. 17. §. 47. Inſt. teſte Bellarmino agnoſcit. Accedit ratio: quia incredibile videtur, Marci Evangelium ita mutilum eſſe, ut nihil de reſurrectione, & aſcenſione Chriſti contineat: dein caput iſtud in diebus celeberrimis reſurrectionis, & aſcenſionis in Eccleſia Catholica legitur: exponitur etiam a S. Greg. homil. 21. & 29. in Evangelia. & ſimiliter S. Auguſtinus L. 3. de conſenſu Evangel. c. 24. hoc caput ut vere a S. Marco ſcriptum agnoſcit.

33. Non nulli dubium moverunt de c. 22. Lucæ, de Hiſtoria Sudoris ſanguinei Chriſti, & angelica apparitione, & conſolatione, & eam

eam temere ex textu eraſerunt, quod Ariani ea impie abuterentur ad detrahendam Chriſto Divinitatem, ſicut S. Hieronymus refert L. 2. contra Pelagianos. In græcis etiam & latinis Exemplaribus compluribus eam defuiſſe teſtatur aperte S. Hilarius L. 10. de Trinitate. Verum nunc omnes græci & latini codices, ſicut & Syriaca, & aliæ verſiones orientales hanc Hiſtoriam recenſent, eamque ut veram partem Evangelii univerſa veneratur Eccleſia. Quod antiquitus in aliquibus exemplaribus fuerit deleta, & deſiderata, id totum tribuendum privatæ ſuperſtitioni non nullorum, qui tam inſignia humanæ infirmitatis argumenta Chriſto tribuere verebantur, ne ipſius Divinitati derogare viderentur, quemadmodum recte obſervat Janſenius Gandavenſis comment. in Concord. Evangel. c. 137. Richardus Simonius in Hiſtoria Crit. novi Teſtamenti c. 12.

34. In Evangelio S. Joannis initium cap. 8. quo adulteræ hiſtoria continetur, non fuiſſe olim certæ fidei, Eraſmus docet in annotatione hujus loci. Nihilominus minime dubitandum eſt, quin hæc hiſtoria partem Evangelii vere conſtituat, atque ab ipſo Evangeliſta conſcripta fuerit æque, ac reliquum Ipſius Evangelium. Nam primo ejus mentionem facit Papias Apoſtolis coævus apud Euſebium l. 3. Hiſt. c. 39. Ammonius Alexandrinus in Harmonia Evangeliorum, qui primis Eccleſiæ ſæculis vivebat. Pſeudo-Athanaſius in Synopſi; S. Joan. Chryſoſt. Homil. 60. in Joannem; S. Ambroſius Epiſt. 58. L. 1. ad Stud. S. Hieronymus L. 2. contra Pelagianos; S. Auguſtinus tract. 33. in Joannem, pluresque alii P. P. qui omnes hanc hiſtoriam in Joannis Evangelio legerunt, & in ſuis Commentariis expoſuerunt. Sanctus quoque Auguſtinus L. 2. de conjugiis adulterin. ait, hanc hiſtoriam ab inimicis veræ fidei e nonnullis Codicibus Evangelii abraſam fuiſſe. Præterea Nicetas in Catena Græcorum Commentatorum in Evangelium S. Joannis teſtatur, hanc hiſtoriam reperiri in antiquis græcis exemplaribus. Id ipſum referunt plures alii manuſcripti Codices apud Simonium Hiſt. crit. du Nouveau Teſtam. qui teſtatur, eam ab aliquot jam ſæculis in omnibus libris græcis legi: quare & Eccleſia Latina hanc Hiſtoriam ſemper canonicam habuit, & eam in Officio divino legit Sabbatho poſt Dominicam tertiam in Quadrageſima.

De Epiſtola D. Pauli ad Hebræos, & Epiſtolis S. Jacobi, ſecunda S. Petri, tribus S. Joannis, & Epiſtola S. Judæ.

35. Epiſtola ad Hebræos ab Arianis penitus rejecta fuit: Romana vero, & Occidentales Eccleſiæ, nempe Latinæ de authoritate Ejus aliquot ſæculis dubitarunt, quamvis a Primis hujus Eccleſiæ, ſcilicet Latinæ, Patribus canonica, & a D. Paulo ſcripta habita fuerit.

Lutherus in Prôlog. Epist. ad Hebræos ait: hanc Epistolam nec Pauli, nec alterius Apostoli esse, quod quædam contineat contra Evangelicam & Apostolicam doctrinam. Hunc sequuntur Brentius in Confess. Wirtenb. Magdeburgenses Cent. 1. L. 2. col. 56. Kemnitius in Exam. Conc. Trident. & alii. Erasmus in fine Annotationum ad hanc Epistolam ita de ea differit, ut & Authoritatem ejus, & Authorem ipsius in dubium vocare videatur. Contra hos vero

Certum est, Epistolam istam & D. Pauli, & Authoritatis divinæ esse, cujus ratio 1. est: quia Petrus 2. Epist. c. 3, ℣. 15. Hebræos alloquens ait: *Charissimum fratrem suum Paulum ipsis etiam scripsisse;* ubi D. Petrus Epistolam a Paulo exaratam indicat. 2. Ecclesia græca, seu orientalis communi sensu Eam ut D. Pauli, & divinæ authoritatis recepit. Ita testatur Eusebius L. 3. Historiæ c. 38. Theodoretus vero Præfat. Comm. in Epist. ad Hebræos Arianis illam rejicientibus omnium Orientalium Ecclesiarum consensum objicit, in quibus scilicet ab eo tempore, quo Apostolorum scripta accepere, lecta fuit. Eusebius addit loco citato, Eam S. Pauli esse, omnes veteres credidisse. S. Hieronymus pariter asserit Epist. ad Dardanum, hanc Epistolam in Orientalibus Ecclesiis velut ab Apostolo Paulo scriptam, semper receptam fuisse. 3. In Ecclesia quidem Latina necdum tempore Eusebii, & S. Hieronymi ab omnibus recepta fuit: fuit tamen postea ab omnibus suscepta, & sub nomine D. Pauli legitur in die Natali Domini, & alias frequenter. Concilia quoque sub nomine Pauli eam in Canone reponunt: ut Concilium Laodicenum Can. 59. Carthaginense III. Can. 47. Concil. Rom. sub Gelasio I. Insuper Eam a Concilio Nicæno agnitam fuisse tanquam Scripturam divinam, & a D. Paulo exaratam, testatur S. Thomas in hanc Epist. & Universitas Parisiensis in Censura facultatis Theolog. Tit. de Author. Lib. N. T. ut talem etiam approbat Concil. Ephesinum I. & Chalcedonense, dum approbant duodecim Capitula Cyrilli, quorum decimum testimonio capitis tertii hujus Epistolæ firmatur his verbis: *& Apostolum Confessionis nostræ factum esse Christum divina Scriptura commemorat.* Denique in Arausicano II. Can. ult. epistola hæc Apostoli hujus, & divina Scriptura esse dicitur. Accedit magnus numerus aliorum Patrum, quos apud Bellarminum, & alios videndos brevitatis gratia transilio, unum addens testimonium Philastrii in Catal. hæres. hæresi 88. ubi eos hæreticos vocat, qui hanc Epistolam rejiciunt, vel D. Pauli esse negant.

Calvinus ipse L. inst. c. 8. §. 216. & post ipsum Calvinistæ omnes censent, eam esse divinæ authoritatis, quamvis incerti autho-

ris, quod nihil obest ejus authoritati. Lutherani longe a suo duce in hoc recedentes, eam in suis Bibliis legunt, & esse pulcherrimum a discipulo quodam Apostolorum scriptum fatentur.

Pro objectionibus diluendis ista, quæ sequuntur, serviunt. 1. A latinis quibusdam hanc Epistolam non fuisse agnitam, nec lectam, dicit Philastrius supra laudatus, quod ab hæreticis depravata, & quibusdam additamentis, a quibus nunc purgata est, fuerit maculata. Addit celeberrimus Expositor Epistolarum Paulinarum Bernardinus de Biconio in Præfatione ad hanc Epistolam: apud Latinos multis in ecclesiis, præsertim Romana dubitatum quidem fuisse de authoritate, & authore hujus Epistolæ, forte, quia Novatus, & Novatiani ea abutebantur ad denegandam lapsis pœnitentiam. 2. D. Paulus huic Epistolæ non apponit nomen suum consulto, quia illud erat Judæis invisum: unde illud prudenter reticuit, ne Judæi ad fidem necdum conversi ab illius lectione retraherentur, quod ægre tulisset Apostolus eorum conversionis & salutis cupidissimus. Deinde Paulus constitutus erat Apostolus Gentium, non Judæorum, ideo nomen suum Apostolicum non ponit in proœmio, ait Biconius. Adde ex objectione hac absurde sequi, a nemine scriptam esse istam Epistolam, cum nullius authoris nomen ipsi sit inscriptum. 3. Hæc Epistola habet quidem stilum sublimem, splendidum, & figuratum, in reliquis autem Epistolis Pauli est simplex, & impolitus. Verum hoc non obest, quia Paulus omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret, nunc graviori, nunc simpliciori stilo utebatur, prout unicuique expediebat: unde apud Græcos affectantes vanam eloquentiam, & inanem verborum ornatum, simpliciori stilo usus est, ne falso sibi persuaderent, Scripturæ sacræ veritatem egere vano splendore verborum, & eloquentiæ pompa. Scribens vero Hebræis, altiorem adhibebat stilum Prophetis usitatum, ut majestas stili sublimitati rerum responderet. Item cum Biconio allegato ex Theophilacto dici potest: quod Epistola hæc scripta sit hebraice a D. Paulo, & ab Interprete perito traducta in græcum, sive fuerit S. Lucas, vel alius. Vel cum Origene, quod cogitatus quidem sint D. Pauli, dictio vero unius ex ejus Discipulis, qui fuit ipsius Scriba & Interpres. 4. Apostolus in hac Epistola ad Hebræos non asserit, se ab Apostolis, & non a Christo suam doctrinam accepisse, sed duntaxat ait: *Salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, confirmatam fuisse in nos*, id est, in totum genus humanum, contestante Deo *signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem.*

tatem. c. 2. ℣. 3. & 4. Hic D. Paulus alloquitur totum genus humanum, & facit ficut Concionatores, qui fæpe prima perfona utuntur in plurali, quando fermonem ad auditorium totum dirigunt: imo hic non dicit Apoftolus, fe in fide confirmatum effe, fed ipfum Evangelium & fidem Chrifti per miracula ad fua ufque tempora. Ita Biconius. Dein quamvis D. Paulus a Deo fuerit immediate edoctus, ut ipfe dicit c. 1. ad Gal. potuit tamen aliquo in fenfu dicere, fe a difcipulis etiam fuiffe confirmatum in doctrina Chrifti, quia ab Hoc miffus eft ad Ananiam, ut ab eo inftrueretur, & adivit ipfe Apoftolos, ut cum eis conferret Evangelium fuum. 5. Paulus Romæ exiftens, ad Judæos fcribere potuit, fe ad illos reverfurum; non enim Epiftola illa eft directa nominatim ad Judæos Jerofolymæ commorantes, quorum ut rabiem effugeret, Cæfarem appellavit, fed ad Judæos in Afia difperfos, ad quos citra periculum reverti potuiffet. 6. Author hujus Epiftolæ non favet Novatianæ hærefi, dum dicit c. 6. ℣. 4. *impoffibile eft, eos, qui femel illuminati funt, iterum renovari ad pœnitentiam*; et c. 10. ℣. 26. *voluntarie peccantibus poft acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoftia.* Etenim ficut verba Chrifti apud Matthæum c. 12. ℣. 31. *Blafphemiam in Spiritum Sanctum nec in hoc, nec in futuro fæculo remitti*, non favent Novatianorum errori, ita neque illa D. Pauli, quibus tantum magna admodum difficultas, feu impoffibilitas moralis, non abfoluta fignatur. Imo D. Paulus primo textu, ut notant Expofitores, folum intendit, femel illuminatos per Baptifmum lumine fidei, & dein lapfos, non poffe iterum renovari per Baptifmum, utpote irreiterabilem, fed debere renovari per pœnitentiam, fecundam poft naufragium tabulam. 7. Hæc Epiftola c. 1. non favet Arianis, dum Filius non fubftantia Patris, fed *fplendor gloriæ, & imago*, feu *figura fubftantiæ Ejus* dicitur. Tantum abeft, ut hic textus fuffragetur Arianæ hærefi, ut eam potius jugulet: nam dum Paulus dicit, Filium Dei effe fplendorem gloriæ Patris, oftendit, filium effe coæternum Patri, & eandem cum patre habere durationem: ficut enim Sol non eft duratione radio anterior, nec eum libere, fed neceffario diffundit, nec ab eo feparabilis eft: Sic Pater æternus non eft Filio duratione anterior, nec Eum libere, fed neceffario, & naturaliter generat, nec ab eo feparabilis eft. Dum vero fubdit S. Paulus, Filium Dei Angelis effe meliorem factum, loquitur de Filio Dei, quatenus in tempore naturam humanam affumpfit, nobisque confubftantialis factus eft. 8. Non utitur author Epiftolæ hujus infirmo argumento probante Chriftum Filium Dei, dum adducit illud 2. Reg. c. 7. *Ego ero illi in Patrem.* Nam eodem modo argu-

 mentatur

mendatur Apoſtolus ad Rom. c. 10. & 1. Corinth. c. 9. neque tamen propterea dici poteſt, Paulum non eſſe authorem harum Epiſtolarum, nec illum ſolide argumentari in his duabus Epiſtolis. Argumentum itaque hoc ſtringens eſt, quia illi, ad quos ſcribebat, Salomonem, de quo 2. Reg. c. 7. ſermo eſt, typum Chriſti fuiſſe admittebant, nec id negare poterant, ut probat S. Auguſtinus L. de unit. Eccleſ. c. 8. ſiquidem & 2. Reg. c. 7. & Pſal. 71. multa ſcribuntur de Salomone, prout erat figura Chriſti, e. g. *ſtabiliam regnum tuum in æternum*, & iſtud: *dominabitur a mari uſque ad mare, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei;* familiare quoque erat Hebræis, Scripturæ verbis ſenſum myſticum adſtruere. 9. Dum c. 9. ℣. 4. dicitur, in arca Teſtamenti fuiſſe urnam auream habentem Manna, virgam Aaronis, & duas tabulas Teſtamenti, id intelligendum eſt non ſtricte: nam quæ prope arcam aſſervabantur, ut urna aurea continens Manna, & virga Aaronis, poſſunt in hoc ſenſu dici in vel cum arca aſſervari: quare hic textus non opponitur illi 3. Reg. 8. *In arca autem nihil erat aliud, niſi duæ tabulæ.* Vel dic cum Chartier, tempore Salomonis, de quo loquitur môx citatus textus, nihil fuiſſe in arca præter Tabulas Legis, poſtea tamen a Judæis etiam intra arcam poſitam fuiſſe illam urnam, & virgam, quod D. Paulus potuit ſcire ex Traditione. 10. Eodem c. 9. ℣. 20. Paulus dicit: *Hic ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad nos Deus:* loquitur recte de vero Teſtamento, quod morte teſtatoris confirmatur; quippe & vox Hebræa *Berith* ſignificat *Teſtamentum*, prout LXX. vertêre; nam Diathyky græcum idem eſt ac teſtamentum, ut aſſerit S. Hieronymus in cap. 3. Malach. Apoſtolus ipſe Rom 6. Galat. 3. & 4. & alibi loquens de veteri lege *teſtamentum* vocat id, quod Hebræi dicunt Berith, & nihil frequentius audimus, quam *Teſtamentum vetus & novum:* deinde promiſſio vitæ æternæ, de qua per figuras in teſtamento veteri, & aperte in novo agitur, ſimul teſtamentum, & pactum, quod proprie Berith ſignificat, eſt: *teſtamentum* eſt, quia continet diſpoſitionem de hæreditate æterna danda filiis Dei, quæ ante mortem teſtatoris Chriſti Domini ſaltem prævisam rata non fuit: eſt & *pactum*, quia habet annexam conditionem oneroſam meritorum, & obſervationis legis divinæ. Moyſes vocat quidem pactum, ſed de danda hæreditate, & ideo aſperſit ſanguine, qui fuit figura Chriſti pro nobis effundentis ſanguinem, & morientis.

36. Inter ſeptem Catholicas, ſeu univerſales Epiſtolas, ſic dictas, quod pleræque earum non ad particulares Eccleſias erant ſcriptæ, ut illæ D. Pauli, prima ponitur illa S. Jacobi Minoris Apoſtoli, filii Alphæi,

phæi, non quidem quia dignitate, sed antiquitate reliquas præcedebat. De hac Epistola, an vere Canonica, & Jacobi Apostoli esset, quosdam olim dubitasse, testis est Eusebius L. 3. c. 25. ut & Hieronymus L. de viris Illustr. Lutherus vero in Prolog. hujus Epistolæ edit. prima germanica, Brentius, Kemnitius, & Centuriatores Magdeburgenses eam prorsus contemnunt, Lutherus *straminearn* appellat. Erasmus in Annotationibus ad eam Epistolam, illam non redolere Apostolicam authoritatem, affirmat. De ipsius authoritate dubitat quoque Cajetanus; unde & minoris authoritatis, quam reliquas esse vult. Contra hos

Certum est, Epistolam Jacobi & Canonicam, & Apostolicam esse. 1. Concilia Laodicenum, Carthaginense III. Milevitanum Can. 7. Florentinum sub Eugenio IV. & Tridentinum passim laudata eam sub nomine S. Jacobi Apostoli in Canone Librorum divinorum ponunt. Idem faciunt Innocentius I. Epist. ad Exuperium; Gelasius I. in Concilio 70. Episcoporum. Accedit Epistol. 2. Clementis I. cum sententiis Anacleti, Urbani I. Alexandri I. Marcelli I. & quamvis hæc ultima monumenta quibusdam eruditis spuria, & conficta videantur, ea tamen eatenus valere saltem volo, ut antiquorum quorumdam Scriptorum, etiamsi fors prænominati pontifices non sint, authoritatem habeant. 2. Ecclesia ex c. 5. ℣. 14. hujus epistolæ Sacramentum extremæ unctionis confirmat. Adde plures SS. PP. qui hujus Epistolæ tanquam divinæ authoritatis meminerunt: S. Dionysius de Divin. Nominibus; Hieronymus Epist. ad Paulinum de studio scriptus; Augustinus L. 2. de doctrina Christiana; Ruffinus in Expositione Symb. S. Isidorus L. 6. Etymolog. Damascenus L. 4. c. 18. cum aliis. 3. Ipsi hæretici hanc Epistolam ut Apostolicam, & divinæ authoritatis recipiunt: sic cum Calvinistis Calvinus, qui Comment. in Epist. S. Jacobi ait: *ad recipiendam hanc Epistolam sufficit mihi, quod nihil Apostolo Christi indignum contineat.* Etiam Lutherani contra suum Doctorem modo eam recipiunt, & Scripturis Sacris adnumerant.

Pro solvendis objectionibus observa 1. S. Jacobus ideo forte titulum Apostoli Epistolæ suæ non adscripsit, quia Judæis ab fidem conversis satis superque notus erat tanquam Apostolus, utpote Hierosolymorum Antistes: unde se appellat solum Servum Domini Jesu Christi: *Jacobus Dei, & Domini nostri Jesu Christi servus*, non secus ac S. Paulus scribens ad Philippenses, qui ejus apostolatum probe perspectum habebant. 2. Huic Epistolæ titulum Apostoli non præfixit, sed tantum servi Jesu Christi; omittitur quidem seu casu, seu malitia

in quibusdam græcis exemplaribus nomen Jacobi, ſed exſtat in antiquiſſimis latinis Codicibus, & in compluribus græcis tam editis, quam manuſcriptis, quos vidit, & citat Richardus Simonius in Hiſtoria Critica novi Teſtamenti agendo de hac Epiſtola. 3. Quod autem Jacobus loco gratiæ & pacis precetur ſalutem, non debet faceſſere difficultatem, quia ipſi Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano congregati eadem voce uſi ſunt in illa Epiſtola, quam ſcripſerunt ad gentes: *Apoſtoli & Seniores his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem;* Act. Apoſt. c. 15. atque in hac ſalutandi formula S. Jacobus ſatis meminit Dei, & Jeſu Chriſti, dum ſe *ſervum Dei & Jeſu Chriſti* nominat. 4. Quamvis Euſebius cit. dicat, a non nullis hanc Epiſtolam ut ſpuriam, & ſuppoſititiam fuiſſe rejectam, ab horum tamen opinione ſe abhorrere ibidem declarat his verbis: *Verumtamen has quoque* (id eſt, Epiſtolas S. Jacobi & Judæ) *cum cæteris in plurimis Eccleſiis lectitari cognovimus.* 5. Dum S. Hieronymus ſcribit, hanc Epiſtolam ſucceſſu temporis paulatim obtinuiſſe authoritatem, non vult ſucceſſu temporis divinam evaſiſſe, & S. Jacobo adſcriptam eſſe: hoc enim non eſt verum, cum ab initio eccleſiæ & divina fuerit, & Sacra Scriptura D. Jacobo adſcripta audierit, & ex ea Tertullianus & Cyprianus adverſus Judæos, Origenes Hom. 7. in Joſue, & alii bene multi in primis eccleſiæ ſæculis teſtimonia deſumpſerint, ſed vult tantum, ſucceſſu temporis ejus authoritatem certo eſſe compertam, & ut divinam & Apoſtolicam eccleſiæ judicio declaratam, ut aliis ſcripturis Deutero-Canonicis contigit. 6. Author hujus Epiſtolæ c. 1. ℣. 12. dicit, quod *Deus neminem tentet*, nimirum tentatione *ſeductionis*, incitando ad peccatum: & ſic non opponitur aliis textibus, ut Geneſ. c. 22. ℣. 1. *Tentavit Deus Abraham.* Et Deuteron. 13. ℣. 3. *Tentat vos Deus veſter.* Qui textus loquuntur de tentatione *probationis*, quæ eſt ad majus meritum, melioremque coronam. 7. S. Jacobus in ſua Epiſtola confutat hæreſin Simonis Magi, qui docebat, ad ſalutem ſufficere ſolam fidem, nec requiri bona opera. *Quoniam ergo*, dicit S. Auguſtinus L. de fide & operibus c. 14. *hæc opinio fuerat exorta, aliæ Epiſtolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe, ſicut ipſe Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed plane ſalubrem, eamque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* Ex hoc textu facile deducitur contra hæreticos, S. Pauli doctrinam de juſtificatione non eſſe oppoſitam doctrinæ S. Jacobi; hic enim in ſua Catholica Epiſtola vult, hominem juſtificari operibus ex fide, gratia, & charitate factis, quod Simonis Magi ſectatores ex perperam intellectis, & in ſiniſtrum

niſtrum ſenſum detortis ſententiis D. Pauli negabant. Aſt S. Paulus in Epiſt. ad Romanos docet, hominem non juſtificari ex operibus legis, quæ præcedunt fidem & gratiam, vel quæ ſunt ex puris viribus naturæ: diſputat enim S. Paulus contra Judæos, *qui* (ut inquit S. Auguſtinus Serm. 13. de verbis Apoſtoli) *de lege gloriabantur, & libero arbitrio ſuo legem ſufficere arbitrabantur, ignorantes Dei juſtitiam, id eſt, ex fide juſtitiam datam a Domino, & ſuam volentes ſtatuere, quaſi ſuis viribus impletam, non dante fide impetratam, juſtitiæ Dei, ſicut dicit* (Apoſtolus) *non ſunt ſubjecti.* Ad deprimendam igitur Judæorum ſuperbiam ſæpius hac in Epiſtola inculcat D. Paulus, hominem non juſtificari ex operibus legis: per hoc autem non negat, opera ex fide, & gratia Chriſti, ac charitate facta eſſe neceſſaria, & utilia ad ſalutem. Ineptiſſime itaque Lutherus, recoquens peſſimum Simonis Magi dogma de fide ſine operibus juſtificante, D. Paulo, ut ipſi videbatur, contrariam hanc Epiſtolam ſtramineam calumniatus eſt.

37. Secunda Epiſtola D. Petri, quamvis prima Ejus ſine controverſia ſemper canonica habita fuerit, aliquod dubium ſuſtinere debuit, ut teſtatur Origenes Tract. 5. in Joan. Hom. 13. in Geneſ. & Hom. 7. in Joan. Euſebius L. 3. Hiſt. Eccl. c. 3. ubi ita ſcribit: *quod vero attinet ad Petrum, una ejus Epiſtola, quæ prima dici ſolet, tanquam germana ab omnibus ſine controverſia admittitur, cujus teſtimonio veteres noſtræ religionis antiſtites, utpote extra omnem dubitationem poſitæ in ſcriptis ſuis frequentiſſime uſi ſunt: quæ vero ſecunda appellatur, eam quidem inter ſacros novi Teſtamenti libros cenſitam non eſſe, a majoribus accepimus.* S. Hieronymus de Script. Eccleſ. hoc Patrum dubium pariter indicat. Noviter vero Lutherus dubitantibus, vel omnino negantibus, hanc Epiſtolam eſſe canonicam, ſe adjunxit.

Sed certum modo eſt, Epiſtolam hanc eſſe canonicam, & S. Petri; nam 1. Concilia, quæ ſacrorum librorum catalogum edidere, huic etiam Epiſtolam iſtam inſeruerunt. 2. univerſalis eccleſia eam Sacris Scripturis attexit, & in fidelium conventibus, ac ſacris Myſteriis legi juſſit, & jubet. 3. Plures SS. PP. antiqui eam & divinam, & a S. Petro ſcriptam agnoſcunt, quos apud Bellarminum L. 1. Controverſ. c. 8. videre potes, & inferius eorum nomina afferam. 4. S. Petrus ſe ipſum hujus Epiſtolæ authorem dicit c. 1. ℣. 1. ejuſdem: *Simon Petrus ſervus, & Apoſtolus Jeſu Chriſti.* In eadem Epiſtola teſtatur, ſe Chriſto adfuiſſe, cum in monte ſancto transfiguraretur: ergo S. Petrus eſt author ejuſdem. Certe impudentiſſimus nugator deberet eſſe, qui ſic imponere, & hanc Epiſtolam a ſe confictam S. Petro voluiſſet

voluiſſet attribuere. Dein Deus non permiſiſſet eccleſiam ſic errare, ut ſcripturam ab impoſtore compoſitam, tanquam divinam reciperet, & in divinis Myſteriis ſuis filiis prælegeret. 5. Ipſi Acatholici eam ut D. Petri, & divinam Scripturam recipiunt: Calvinus argum. Comm. in 2. S. Petri Epiſtolam ait: in omnibus ejus partibus Spiritum Chriſti ſe manifeſtare, ſibique conſcientiæ ducere, ſi eam rejiceret. Flacius Illyricus Centuriatorum Magdeburgenſium Primipilus ſcripſit quoque Gloſſas in hanc Epiſtolam, quin ullatenus indicet aliquod dubium de Ejus authoritate, vel Scriptore.

Neque obeſt 1. huic aſſertioni authoritas Euſebii ſupra allegata: quippe Euſebius loco laudato affirmat, non obſtante quorumdam dubio hanc Epiſtolam ob ſuam utilitatem cum reliquis Sacræ Scripturæ libris fuiſſe in eccleſia lectam. *Sed tamen*, inquit, *cum utilis eſſe videretur quam plurimis, una cum reliquis S Scripturæ libris ſtudioſe lectitata eſt*: eſto igitur, in primordio eccleſiæ non æqualis hujus Epiſtolæ, ac primæ fuerit certitudo & veneratio, ut affirmat Euſebius, tamen nunc debet eſſe, poſtquam in Conciliis fuerat agnita ut canonica, & germana S. Petri, cum quibus Conciliis ſentiunt etiam veteres Scriptores, & SS. PP. Juſtinus, Origenes, Gregor. Nazianzenus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius Papa, aliique, qui ex Epiſtola illa, tanquam Scriptura divina, & genuino D. Petri partu depromunt teſtimonia. Igitur modo poſt decretoriam eccleſiæ ſententiam non licet amplius de hoc dubitare.

Non obeſt 2. diverſitas ſtili in prima & ſecunda Epiſtola; ſiquidem fieri potuit, ut D. Petrus pro diverſitate temporis diverſis uteretur Interpretibus, ut quæ ipſe ſcripſerit lingua hebraica, vel Syriaca tunc Judæis familiari, Interpretes ſcriberent græce, quidam eloquentius, alii minus eloquenter. Addunt, Epiſtolam ſecundam annis 24. poſt primam fuiſſe editam, quando S. Petrus jam erat ſenex: ætatem autem ſtilum immutare palam eſt, & continua experientia probat. Somniat ergo Hugo Grotius, qui ex meris vanis conjecturis Scriptorem hujus ſecundæ Epiſtolæ credit eſſe Simeonem, in Epiſcopatu Hieroſolymitano ſucceſſorem D. Jacobi; hic enim Simeon non fuit cognominatus Petrus, neque interfuit transfigurationi Chriſti, ut Scriptor ſecundæ Epiſtolæ. Hæ leviſſimæ conjecturæ igitur vel uno halitu exſufflantur, & in inanem aerem abiguntur.

38. Tres Epiſtolæ S. Joannis omnino in Canone Eccleſiæ inveniuntur, & ut Canonicæ referuntur tam a Conciliis, quam Patribus, qui

qui Catalogum Sacrorum librorum conscripsere. In prima solet controverti a Criticis de unico ℣. 7. capitis 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Verum infra L. 1. Sententiarum part. 1. Tract. de SS. Trinitate hæc controversia exacte dirimetur, & ostendetur, hæc verba vere S. Joannis Apostoli esse, & ad textum primæ Epistolæ pertinere. Unde hic transmitto interea istam disceptationem.

In secunda Epistola Apostolus impugnat Basilidem, ejusque Sectatores, qui tunc temporis docebant, Christum non fuisse verum hominem, sed Phantasma, ac proinde eum nec aliquid in terris egisse, nec passum fuisse. Gratulatur itaque Electæ & filiis ejus, quod hos seductores non audierint, prohibetque cum illis omne, etiam in civilibus, commercium, & communionem. Habet hæc Epistola caput unicum, & in eo tantum 13. versus. Tertia ad Cajum scripta unico quoque capite, & 14. versibus absolvitur: in ambabus se Joannes Seniorem appellat, & ab hoc nomine *Senior* exordium facit; quod vocabulum aliquando causa dissidii fuit in Ecclesia, sicut & etiamnum aliqui Protestantes propter id dubitare videntur, an S. Joannes Apostolus scripserit has Epistolas; Nam cum Papias apud Eusebium L. 3. Hist. c. 33. & S. Hieronymus de viris Illustr. tradat, duos fuisse, qui Joannes vocabantur, alterum Apostolum, alterum, qui Senior dicebatur, hinc secundum hunc duarum harum Epistolarum, quarum scriptor se Seniorem appellat, authorem credunt. Sed hæc conjectura nimis levis est, quam ut sententiam S. Matris Ecclesiæ, quæ has Epistolas sub nomine S. Joannis Apostoli in officiis divinis legit, & Conciliorum, & plurimorum SS. PP. convellat. Et ipse S. Joannes Apostolus se *Seniorem*, seu Presbyterum jure vocat: vixit enim, ut S. Hieronymus de viris Illustribus in Joannem tradit, usque ad sexagesimum octavum annum post passionem Christi Domini, & Ephesi longo senio confectus, postquam Asiæ Ecclesias fundavit, obiit anno Christi 100. Papias, assignans duplicem Joannem, forte deceptus est duplici nomine, quo se nominat Joannes in suis Epistolis: testatur autem universa antiquitas, unicum fuisse Joannem Apostolum, qui Ecclesiæ reliquit scripta canonica. Deinde etsi duplicem adstruat Papias Joannem, nullibi tamen audet asserere, Authorem duarum posteriorum Epistolarum esse alium, quam S. Joannem Apostolum.

S. Judas Thaddæus unicam brevissimam, ex uno capite & 25. versibus constitutam Epistolam scripsit, quæ *Catholica* dicitur, quod

ad nullam particularem Ecclesiam, sed ad omnes fideles a Patre dele-ctos, & a Christo Domino vocatos sit directa, & inscripta. An Ca-nonica sit, antiqui quidam hæserunt, ut testatur Eusebius L. 3. Hist. c. 25. qui tamen addit, eam sua ætate a multis fuisse receptam, & L. 2. Hist. c. 23. circa finem: *verumtamen*, inquit, *eam in plurimis Ecclesiis lectitari cognovimus*. S. Hieronymus quoque de viris Illustr. c. 4. & Am-philochius pariter scribunt, quosdam veteres de ejus canonica autho-ritate dubitasse, quibus torrens eorum opponitur, qui Canonem Con-cilii Tridentini, & modernæ Ecclesiæ susceperunt. Neque obstant illa, quæ huic Epistolæ objiciuntur, scilicet quod author in ea ℣. 14. Libri Henoch, & illius Prophetiæ meminerit, & ℣. 9. quædam enar-ret de Moyse, quæ videntur apocrypha, cum nullum de illis in ca-nonicis Veteris Testamenti libris exstet vestigium: hæc, inquam, non obstant; etenim in Libris quoque Apocryphis non omnia sunt falsa, sed possunt aliqua vera contineri, qualia illa, quæ S. Judas adducit, sunt, & quæ ipse vel ex Traditione, vel Dei revelatione habere po-tuit. Dein ex hoc, quod aliqua depromat ex scriptis apocryphis, non sequitur, quod illa integra probet, sicut & D. Paulus Act. 17. 1. Corinth. 15. ad Titum c. 1. producit aliqua ex Ethnicis Poetis, Ara-to, Menandro, & Epimenide, quin per hoc integros horum Poeta-rum libros approbet. Circumfertur etiam sub nomine S. Judæ ali-quod Pseudo-Evangelium a Gelasio Pontifice reprobatum.

Judæ Epistolam, quamvis pro suo pruritu Lutherus rejiciat, Lutherani tamen tanquam divinam Scripturam agnoscunt, & Lutheri furorem mitigare contendunt. Calvinus quoque illam cæteris Cano-nicis Scripturis accenset, teste Simonio Hist. Crit. V. T. apud quem causam reddit, *eoquod illius lectio sit summopere utilis, nihilque contineat, quod doctrinæ Apostolicæ conforme non sit, longoque jam tempore ab omnibus probis velut Canonica fuerit habita.*

De Apocalypsi.

40. Variæ Apocalypses olim circumferebantur, quæ tamen nullius sunt authoritatis. Sic 1. de Apocalypsi S. Petri Apostoli ut libro Apo-crypho agunt Eusebius L. 3. Hist. c. 3. & S. Hieronymus in Catalog. Script. Eccles. nostro tempore non amplius exstat; 2. ut apocryphum codicem Epiphan. hæres. 18. c. 38. & S. Augustinus Tract. 98. in Joan. rejiciunt Apocalypsin S. Pauli, qua utebantur Gnostici hæretici, quam ea omnia continere dicebant, quæ Paulus in raptu viderat, ac inef-fabilia

fabilia eſſe 1. Corinth. c. 12. ℣. 4. ſcripſerat. 3. Apocalypſis Cerinthi, de qua Theodoretus L. 2. Hæretic. Fab. c. 3. etiam inter Apocrypha ſcripta merito reponitur; in hac Hæreſiarcha iſte, neſcio quid, fabulatur de regno mille annorum Chriſti, ac de voluptatibus ſenſuum, quibus toto tempore eo viri Sancti Jeroſolymis eſſent fruituri, mentiebaturque, hæc ſibi a Deo fuiſſe revelata. 4. S. Thomæ Apocalypſis a Gelaſio I. inter apocryphas Scripturas recenſetur.

41. Miſſis his, de una Apocalypſi S. Joannis Apoſtoli remanet ſermo. *Apocalypſis* latine idem eſt ac *Revelatio:* igitur liber Apocalypſis eſt codex revelationum S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, ab hoc conſcriptus in Inſula Patmos, quo juſſu Domitiani Imperatoris fuerat relegatus. Eſt unicus in novo Teſtamento Liber Propheticus, quo futura prædicuntur. Diſſecatur in 22. capita, quorum priora tria inſtruunt Epiſcopos ſeptem Eccleſiarum Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thiatyræ, Sardorum, Philadelphiæ, & Laodiceæ: quindecim ſequentia exhibent perſecutiones Eccleſiæ, ſeu a Judæis, ſeu ab Hæreticis, ſive tandem ab Imperatoribus Romanis, præcipue a Diocletiano, Maximiano, Galerio, Maximo, Severo, Maxentio, Maximino, Licinio, & Juliano Apoſtata ſuſtinendas: ſubinde deſcribitur vindicta Dei in Perſecutores, in Imperium, urbemque Romanam, quæ Babylonis, inſignis proſtitutæ meretricis nomine deſignatur. Quatuor reliqua capita triumphum indicant, quem Eccleſia de hoſtibus poſtea retulit, & Ipſius cum Agno nuptias, ac denique felicitatem triumphantis Eccleſiæ.

Apocalypſin S. Joannis ex antiquis hæreticis Marcioniſtæ non recipiebant, teſte Tertulliano L. 4. contra Marcionem, nec non Alogiani, & Theodotiani, teſte Epiphanio hæreſ. 51. & 54. Ex novis hæreticis Lutherus eſt, qui in antiquiore Præfatione novi Teſtamenti ait, ſe Apocalypſin neque pro Prophetico, neque pro Apoſtolico Libro agnoſcere, ſed ſimilem judicare quarto Eſdræ; cum Luthero ſentiunt Brentius, & Kemnitius: Magdeburgenſes ex oppoſito Cent. 1. L. 2. c. 4. col. 56. cum Calvino acriter pugnant pro Apocalypſi. Eraſmus in fine Annotationum ad hunc librum varias conjecturas anxie quærit, quibus probet, hunc librum non eſſe S. Joannis Apoſtoli.

Fuerunt & Catholici, qui de Libri hujus Authore, & authoritate dubitabant: etenim Cajus quidam antiquus Scriptor librum hunc Cerintho Hæreſiarchæ tribuebat: cujus opinionis videtur ſimiliter fuiſſe S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium L. 7. Hiſt. c. 25.

42. Interim certa manet Sententia Ecclesiæ Catholicæ, Apocalypsin istam & canonicam esse, & a D. Joanne scriptam; Nam in Concilio Ancyrano celebrato anno Christi 314. can. ult. allegatur tanquam divinus Liber a Joanne Apostolo conscriptus Tom. 1. Conc. pag. 275. Item in Carthaginensi III. c. 47. In Concilio Romano sub Gelasio I. anno 495. in Concilio Toler. IV. Can. 6. anno 633. omnes etiam Orientales Ecclesiæ hunc Librum sub nomine D. Joannis Apostoli legunt: plurimi quoque Patres tam Græci quam Latini eum agnoscunt. Sunt & non pauci Hæretici, Calvinistæ speciatim, imo & moderni Lutherani, suum Magistrum Lutherum in hoc puncto deserentes, qui librum hunc & divinum, & S. Joannis Apostoli esse cum Catholicis fatentur.

Pro Objectionibus nota 1. quamvis non pauca sint obscura satis in hac Prophetia, tamen multa sunt etiam præcepta vitæ clarissima: ut de constantia in persecutionibus, de hæreticis odio habendis, de Pseudo-prophetis fugiendis &c. Dein scopus totius libri non videtur alius, quam ut nos hortetur ad patientiam, & perseverantiam tempore persecutionum: ergo potuit bene cap. 1. & ultimo hujus libri dici: *Beatus, qui servat verba Prophetiæ hujus;* cum ea, quantum necesse est, satis intelligantur. Sic cadit cavillus Lutheri. 2. Neque Erasmus juste Authorem hujus Libri accusat arrogantiæ, quod sæpius nomen suum adducat: *ego Joannes*; nam non tam sæpe hoc nomen repetitur, sed ad summum ter; nec novum est apud Prophetas, quod nomen suum sæpius insinuent: certe Daniel, ut minimum octies ait: *ego Daniel.* 3. Non obest, quod in græcis codicibus Titulus non sit *Joannis Apostoli*, sed: *Joannis Theologi;* Nam nullus Apostolorum præter Joannem Evangelistam nomen Theologi meretur, & gerit; ut enim Augustinus notat Tract. 36. in Joannem: cæteris Evangelistis cum animalibus aliis in terra gradientibus, & humanitatem Christi enarrantibus, Iste Aquilæ altius volanti similis divinitatem Christi explicat. Unde & Dionysius Areopagita in Epistola ad Joannem eum Theologum, & Apostolum appellat, & alii veteres nomine Theologi eundem honorant. 4. Dum Author libri c. 20. dicit, Sanctos cum Christo mille annos regnaturos, id mystice accipiendum est; scriptus est enim Liber stilo Prophetico. Non ergo loquitur ibi de regno Hæreticorum millenariorum super terram, sed de regno cælesti, in quo Sancti cum Christo usque ad extremum judicii diem, seu longissimo tempore, quod prophetice per *mille annos* exprimitur, regnabunt, in quo dein judicio omnes corporibus as-

sumptis

sumptis resurrecturi sunt, prout cit. 20. capite declarat Apostolus. Dionysius Alexandrinus jam pridem apud Eusebium L. 7. Hist. c. 25. asseruit, librum hunc non posse intelligi secundum obvium verborum sensum. 5. Diversitas materiæ peperit in hoc libro diversum ab aliis scriptis S. Joannis Apostoli stilum. 6. Credibile omnino est, tempore S. Joannis Apostoli jam Thyatiris fuisse fundatam Ecclesiam: quia S. Joannes diu circa illas regiones Evangelium prædicavit, & procul dubio multos ad fidem convertit, novamque constituit Ecclesiam; & Act. 16. ℣. 14. dicitur, mulier *quædam nomine Lydia purpuraria Civitatis Thyatirenorum* prædicatione S. Pauli conversa, hanc vero multos ex civitate illa secutos fuisse verisimile est: atque etiam credibile est, jam ævo S. Joannis fuisse jacta fundamenta hujus Ecclesiæ, ad quam proinde S. Joannes potuit scribere.

Aliqua Notanda de Scripturis Apocryphis.

Vox græca apocryphy rem occultam, & reconditam significat: quippe ἀποκρύπτειν *celare* sonat, & ἀποκρυφὸ *latibulum*. Primo igitur apud Scriptores Ecclesiasticos liber frequenter appellatur *apocryphus*, quod de ejus authoritate, an sit canonicus & divinus, non constet, licet nullos in se errores contineat. 2. Etiam interdum apocryphi vocantur illi libri, qui errores admixtos habent. Quod Glossa in Can. Sancta Romana dist. 15. dicit, apocryphos vocari eos libros, quorum author ignoratur, non est probabile; sic enim multi libri sacri possent apocryphis facile accenseri, de quorum authore disceptatur, vel dubitatur. 43.

Libri apocryphi, qui exstant, & quorum notitia utilis est, sunt sequentes. 1. Oratio Regis Manassæ, quæ solet annecti libro Paralipomenon; nam non est pars libri cujusdam divini, nec nominatim in canone reponitur ab aliquo Concilio, vel Pontifice, aut a PP. nec habetur in hebræa ac græca, sed sola latina editione. 2. Apocryphus est Psalmus 151, de quo superius jam dictum N. 30. Nam Concilia, quæ construunt canonem librorum Sacrorum, tantum 150. Psalmos ponunt. 3. Apocrypha est appendix Libri Job, quæ duntaxat in græcis exstat codicibus; Concilium vero Tridentinum eos tantum canonicos habet, qui in vulgata existunt. 4. Apocryphis videtur tribuenda præfatiuncula, præfixa Threnis Jeremiæ, utpote quæ nec in hebræis, nec omnibus latinis codicibus reperitur, nec ab Expositoribus attingitur. 5. Omnino apocryphus est liber Enoch, quidquid tenuerint aliqui veteres de ejus authoritate; plerique enim eum

confictum, & falſo Enocho adſcriptum cenſent. Profectò ex fragmento illius libri, quod Georgius Syncellus ſuæ Chronographiæ, & Joſephus Scaliger Notis ſuis ad græca Euſebii inſeruit, clare infertur, hunc librum non Deo inſpirante eſſe conſcriptum, ſed ab homine quodam nugaci & impio, qui multa de ſtellis, & harum virtutibus, de Angelis mulierum amatoribus, & cum ipſis nefarie coeuntibus, de Gigantibus ab illis procreatis, ac de ultimo judicio, & corporum reſurrectione fabulatur. 6. Pariter apocryphus eſt, & ab omnibus cenſetur liber *de Teſtamentis duodecim Patriarcharum*, utpote fabulis, mendaciis, ac erroribus refertus, pugnatque in pluribus aperte cum Sacræ Scripturæ textu, ut videre eſt apud P. Nicolaum le Norry Ord. S. Benedicti e Congreg. S. Mauri c. 2. diſſert. 12. in apparatu ad Bibliothecam maximam Patrum. 7. Inter Apocryphas ſcripturas veniunt Teſtamentum Moyſis, & liber de Aſcenſione Moyſis, quos Eccleſia recepit nunquam, ſed ſemper reprobavit. 8. Claſſi apocryphorum merito accedunt tertius & quartus Machabæorum, nec non tertius & quartus Eſdræ; & licet quartus citetur ab aliquibus, tamen eſt apocryphus, utpote a nullo Concilio relatus in canonem, & continet cap. 6. quasdam fabulas de piſce Henoch & Leviathan, quem maria capere non poterant; quæ Rabbinorum Thalmudiſtarum figmenta ſunt: hos libros nec recepit, nec legit Eccleſia: ergo. 9. Sunt & plura alia, quæ inter apocrypha numerantur a Gelaſio I. ut habetur Can. *Sancta Romana Eccleſia* 3. Diſt. 15. ubi præter alia dicitur: *item itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur S. Clementis apocryphum.*

Actus nomine Andreæ Apoſtoli apocryphi.
Actus nomine Philippi Apoſtoli apocryphi.
Actus nomine Petri Apoſtoli apocryphi.
Actus nomine Thomæ Apoſtoli apocryphi.

Evangelium nomine Thaddæi apocryphum. Evangelium nomine Thomæ Apoſtoli, quo utuntur Manichæi, apocryphum. Evangelium nomine Barnabæ apocryphum. Evangelium nomine Bartholomæi apocryphum. Evangelium nomine Andreæ Apoſtoli apocryphum. Evangelia, quæ falſavit Lucianus, apocrypha. Liber, qui appellatur Paſtoris, apocryphus. Liber, qui appellatur Theſaurus, apocryphus. Liber, qui appellatur de filiabus Adæ, & geneſeos, apocryphus. Liber, qui appellatur actus Theclæ, & Pauli Apoſtoli, apocryphus. Libri, qui appellantur Revelatio Pauli Apoſtoli, Thomæ Apoſtoli, Stephani, apocryphi. Videatur citatus Canon, ubi adhuc plura videre potes reprobata. Hujus furfuris etiam eſt Proto-Evangelium, quod Jacobo adſcribitur, quod pluribus ſcatet fabulis, & commentis. Nec majore autho-

ritate

ritate pollet Evangelium Nicodemo adſcriptum, nugis quoque & fabulis totum, quantum eſt, inſperſum. Hæc breviter ſufficiant pro notitia Librorum genuinorum, & apocryphorum Scripturæ.

ARTICULUS V.

De Variis S. Scripturæ Editionibus, & Verſionibus.

Advertendum 1. nos de Sacra Scriptura non habere authographa, ſive originalia, ſed ſolum apocrypha, ſeu exemplaria varia, editionesque varias variis linguis, & diverſis temporibus ortas, quæ tamen commode ad quatuor reducuntur, ſcilicet *Hebraicam*, *Græcam*, *Latinam*, *&* *Vernaculam*. *Hebraica* Sacrorum Bibliorum editio dicitur illa, quæ a Moyſe & Prophetis ſcripta eſt Hebraicis Litteris. 44.

Circa Hebraicam tres exſtant ſententiæ. Prima eſt, ſcripturam Sacram univerſam periiſſe tempore captivitatis Babylonicæ, quando civitas everſa, & Templum incenſum fuit, deinde autem ab Eſdra fuiſſe iterum reparatam, Spiritu Sancto ei ſuggerente, & dictante omnia. Ita ſentire videtur Baſilius in Epiſtola ad Chilonem, ibi: *Hic campus, in quo ſeceſſu facto Esdras omnes divinos Libros ex mandato Dei eructavit.* Verum hæc opinio Bellarmino, & mihi videtur improbabilis; etenim nititur uno falſo, vel apocrypho teſtimonio libri quarti Eſdræ c. 14. ubi ſcribitur, Eſdram totis 40. diebus divino afflatum ſpiritu quinque viris celerrime ſcribentibus dictaſſe, & ſic reparaſſe univerſam ſcripturam, quæ perierat. Liber iſte quartus nunquam ab Eccleſia eſt receptus, & ex libro 2do Canonico Eſdræ c. 8. deducitur contrarium; ibi nimirum habetur: dixerunt Eſdræ Scribæ, ut afferret librum Legis Moyſis: attulit ergo Eſdras &c. non dixerunt, ut iterum componeret, ſed ut afferret, qui ſciebant, adhuc poſſe reperiri. Eſto præterea, fuerit Scriptura publice in Templo ſervata cum eo combuſta, tamen vix credibile eſt, non remanſiſſe aliqua exemplaria, vel partes ejus apud privatos homines, ut Ezechielem, Danielem, Jeremiam, Aggæum, Mardochæum, & ipſum Eſdram, aliosque, qui tunc vivebant, & curæ habebant legem Domini.

Probabilius itaque eſt, Eſdram quidem Sacros libros inſtauraſſe, non tamen omnes dictando, ſed colligendo, & ordinando omnes in unum corpus, quorum partes in variis locis invenerat, & emendando ac corrigendo, quæ negligentia Scribarum erant corrupta toto tempore captivitatis, quo Lex apud Judæos, nec Templum

nec

nec Tabernaculum habentes, negligenter fuit fervata. Pro hac fententia Bellarminus L. 2. de Verbo Dei. c. 2. laudat S. Chryfoftomum Homil. 8. in Epift. ad Hebræos; Hilarium in Pfalmos; Irenæum L. 3. c. 25. Tertullianum de Habitu mulierum.

Ulterius Hebræa Scriptura non videtur ad nos penitus incorrupta veniffe. Ita convenit fentire contra modernos hæreticos, qui ex odio noftræ vulgatæ nimium tribuunt Hebraicæ. Hebræa igitur Biblia, ut hodie habemus, non omnino pura funt ab omni nævo, idque vel ex Rabbinorum poft S. Hieronymi tempora puncta vocalia inepte interdum addentium infcitia, vel Typographorum, & Librariorum incuria, quæ in hebraica lingua facile admitti poteft ob multas literas fibi admodum fimiles: Interim non funt ifti errores tanti, ut aliquid inducant, quod effet contra bonos mores, aut fidem; non tamen Scriptura Hebraica dici poteft canonica, & authentica, quia de illius cum originali conformitate, & canonica authoritate nullo nobis Ecclefiæ judicio conftat. Oftendit infuper Bellarminus de Verbo Dei L. 2. c. 2. omnino falfam effe illam opinionem, Judæos ex odio erga Religionem noftram corrupiffe vetus Teftamentum, & vaticinia de Chrifto: fiquidem id piaculi in perfidis Judæis non admififfet ipforum maxima, quam ad fuperftitionem usque femper fovent, erga S. Scripturam veneratio: & Deus non permififfet hoc fieri, alioquin purum textum veteris Teftamenti non accepiffet Ecclefia. Et docet S. Auguftinus L. 18. de Civitate Dei c. 46. & in Pfalm. 56. Judæos per orbem difperfos effe, ut ex libris, qui in manibus eorum funt, gentiles convincamus, Prophetias de Chrifto non effe a nobis confictas, cum illas proferamus ex infenfiffimis Religionis noftræ adverfariis: *Codicem*, inquit, *portat Judæus, unde credat Chriftianus, librarii noftri facti funt; quomodo folent fervi poft Dominos fuos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant: fic Judæi apparent de Scriptura Sancta, quam portant, quomodo apparet facies cæci de fpeculo, ab aliis videtur, ab ipfo non videtur.* Ad Hebræam editionem reducuntur *Chaldaica*, *Syriaca*, & *Samaritana*.

45. Advertendum 2. *Chaldaicam*, qualis vulgo circumfertur, reduci quidem ad Hebraicam, cum ex hac chaldaica lingua prodierit, effe tamen aliam, quam illam; eft enim divinæ Scripturæ in Chaldaicam linguam translatio, quæ potius paraphrafis, quam verfio Chaldaica dici meretur, & folet, quia non de verbo ad verbum, fed de fenfu ad fenfum, addita interdum explanatione, & interpretatione aliqua, textum facrum ex hebræo tranfponit in chaldæum. Quare ab

ab Hebræis *Targum*, hoc eſt, interpretatio vocatur: in qua quia Rabbini Authores lingua chaldaica uſi ſunt ſecundum diverſam dialectum, *Jeroſolymitanam* nempe, & *Babylonicam*, inde cœpit dici *Targum* chaldaicum eſſe duplex, Jeroſolymitanum alterum, & alterum Babylonicum. Multi contendunt, illud primum 42. annis ante Chriſtum natum prodiiſſe. Aſt quocunque tempore, & quibuscunque authoribus ortum fuerit, nihilominus purum non eſt, ſed ſcatet Judæorum, & Thalmudiſtarum fabulis & nugis; utile tamen eſt ad Judæos convincendos de SS. Trinitatis, & Incarnationis Myſteriis, quamvis ab Eccleſia non ſit approbatum.

46. Advertendum 3. *Syriacam* ad Hebraicam linguam reduci quoque poſſe, eſto, ab hac & chaldaica plurimum differat; nedum characteribus, ſed & verborum conjugationibus, punctorum notatione, ſono vocalium, & idiotismis. Sicut chaldaica ex hebræa orta eſt, ita ex illa utraque ſurrexit Syriaca; quippe Hebræi ad Babylonicam usque captivitatem ſola uſi lingua hebræa, morantes Babylone cœperunt oblivіſci propriam, & addiſcere alienam, ſeu chaldæam linguam: cumque eam non ita perfecte callere, & pronunciare poſſent, quin aliquid ſemper hæreret de propria hebræa, orta eſt quædam tertia, mixta ex utraque, quam a regione nuncuparunt Syriacam, & hæc deinceps Judeis cœpit eſſe vulgaris, & materna. Ea Chriſtus & Apoſtoli creduntur uſi, & juxta multos S. Matthæus ſuum Evangelium, & S. Paulus Epiſtolam ad Hebræos ſcripſiſſe cenſetur: *Maronitæ* quoque per montem Libanum diſperſi linguam iſtam, poſt ſuum ad Romanam Eccleſiam reditum, in ſuis officiis divinis adhibent, neque aliam quam iſtam etiam extra Eccleſiam loquuntur.

Certum eſt, hodie exſtare tam veteris, quam novi Teſtamenti verſionem Syriacam: & licet ea per Eccleſiam approbata nondum ſit tanquam conformis authographæ ſcripturæ, magnæ tamen eſt utilitatis; de ea enim ſcribit S. Baſilius Hom. 2. Hexameron. *Syrorum vox ſignificantior & evidentior, & ob affinitatem, quam habet cum lingua Hebraica, ſententias Scripturarum propius attingit.* Dein hac verſione uſa fuit Syrorum Eccleſia, in qua non pauci exſtitere Eccleſiæ Doctores, ut Jacobus Syrus, S. Ephrem &c. Præterea eſt utilis ad latinam noſtram multis in locis firmandam, & in hoc maxime commendanda, & ad refellendos Lutheranos apprime apta, quod in Titulis, & capitum inſcriptionibus mentionem faciat jejuniorum quadrageſimæ, Venerationis Sanctæ Crucis, commemorationis defunctorum, & ſimilium aliarum rerum, quas tanquam Romanorum Pontificum Traditiones rejiciunt, & exſibilant Lutheri aſſeclæ.

De editione *Samaritana* pauca hæc ipfis Annati verbis addo: „*Samaritana* pariter Pentateuchi editio ad Hebraicam merito reduci di-„cenda, quia Hebraica lingua, tunc Judæis & Samaritanis communi, „primitus fcripta, quamvis characteribus Samaritanis, hoc eft, He-„braicis antiquis, Samaritis ab Esdra relictis; teftatur enim S. Hiero-„nymus in Prologo galeato, Esdram novos inveniffe characteres, & „tradidiffe Judæis, antiquos relinquendo Samaritis. Unde eft, quod „Samaritana lingua adhuc Hebræa quodammodo dicenda, licet non „iisdem characteribus utens, quibus hodie veri communiter utuntur „Hebræi.

„Antiquiffima eft, & longe ante Chriftum, illa, qualifcun-„que, & cujuscunque fit authoris, adhuc incerti, Samaritana ver-„fio, vulgo *Pentateuchus Samaritanus*, & fummæ authoritatis fuit olim, „quia Hebraicæ conformis authenticæ; & effet adhuc, fi ad nos uf-„que perveniffet illibata, qualem adhuc permanere contendunt Sa-„maritani. Multum tamen, qualis exiftit, juvare poteft ad firman-„dum noftræ Vulgatæ fenfum, ubi dubium; & elucidandum, ubi „obfcurum.

47. Advertendum 4. Græcam verfionem effe multiplicem: no-vem enumerat Annatus L. 2. art. 2. fol. mihi 90. celebriores hic refe-ram. Præcipua, & juxta S. Auguftinum omnium prima eft illa vulgo 70. Interpretum dicta. Fuere autem 72. Seniores Hebræi, utriufque linguæ Hebraicæ, & Græcæ peritiffimi, ab Eleazaro fummo Judæo-rum Pontifice Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Regi roganti miffi, qui non Pentateuchum duntaxat, ut cum non nullis RR. afferit Sca-liger contra fententiam veterum, ut S. Juftini, Irenæi, & Clemen-tis Alexandrini, fed omnem veteris Teftamenti Scripturam ex Hebræo in græcum fermonem ante Machabæorum tempora converterunt fpa-tio 72. dierum in Infula Pharos, ducentis & quinquaginta annis ante Chriftum natum. Putant aliqui, fingulos ex feptuaginta, vel binos in fingulis cellulis feorfim inclufos fuiffe, & divino miraculo fingula pa-ria ipforum iifdem verbis totam Scripturam tranftuliffe. Verum has cellulas ab impoftoribus Judæis S. Juftino fabulofe narratas, & ex Juftino a fubfequentibus aliis bona fide, & fine examine creditas, ri-dent & negant alii cum S. Hieronymo, qui Præfat in Pentateuchon, *Nefcio*, inquit, *quis primus author Septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio fuo exftruxerit &c.* Hic igitur Doctor exiftimat, 72. Interpretes in eadem Bafilica fedentes, & conferentes inter fe S. Scripturam trans-tuliffe. Accedit teftimonium clarum Ariftæi teftis oculati, qui, nullam de cellulis faciens mentionem, diferte ait, eos fingulis die-

bus

bus conſultaſſe uſque ad horam nonam. Joſephus quoque, licet hanc hiſtoriam ad minimas uſque circumſtantias referat, altum de his cellulis ſilet. Et quamvis Philo, Tertullianus, & S. Chryſoſtomus miracula recenſeant, facta in hac verſione, tamen penitus tacent de his cellulis.

Verſio 70. Interpretum olim fuit authentica, & etiamnum noſtris temporibus magnæ eſt authoritatis. Nam 1. Apoſtoli ea verſione uſi ſunt ad confirmanda noſtræ religionis myſteria. 2. Univerſalis eccleſia quinque primis ſæculis eam adhibuit, nec poſtea eam improbavit. 3. Fuit in magno pretio apud Judæos Helleniſtas, id eſt, qui græco ſermone ſunt uſi. 4. Imo & apud SS. Patres tam græcos, quam latinos. S. Auguſtinus L. 18. de Civit. Dei c. 42. & 43. & alibi ſæpius ſcribit, Septuaginta (prout communiter vocantur, quamvis re ipſa fuerint 72.) Seniores Spiritu Sancto afflatos, interpretatos fuiſſe Sacros Codices. 5. Sixtus V. Bulla huic verſioni præfixa eam plurimum roboravit 8. Octob. 1586. ibi: *Volumus, & ſancimus ad Dei gloriam, & eccleſiæ utilitatem, ut vetus græcum Teſtamentum juxta Septuaginta, ita recognitum & expolitum ab omnibus recipiatur, & retineatur, quo potiſſimum ad latinæ Vulgatæ editionis, & veterum SS. Patrum intelligentiam utantur, prohibentes, ne quis de hac nova editione audeat impoſterum vel addendo, vel demendo quidquam immutare.* Quare maximæ eſt authoritatis poſt editionem vulgatam, quam eccleſia illi præfert utpote magis completam. Nec deſunt plures Theologi, qui illam verſionem & laudant, & ut authenticam vendicant ex eo, quod tota eccleſia græca a tempore Apoſtolorum uſque ad ſæculum IX. quo ſchiſma ejus eſt ortum, conſtanter eam adhibuerit: quis vero credat, adulteratam fuiſſe eam verſionem, quæ tanta cura aſſervata eſt ab eccleſia græca? neque exiſtimandum, eccleſiam græcam tempore ſchiſmatis non habere veras & ſinceras Scripturas, cum nullus adhuc hoc illi objecerit.

Facile quidem concedendum, exemplaria ſeu Judæorum ſeu Hæreticorum fuiſſe ab ipſis corrupta, ubi 70. Interpretes eorum ſententiæ & erroribus adverſabantur, & contra eos favebant Religioni Catholicæ: fieri tamen haud potuit, ut in iis, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, exemplaria, quæ religioſe ſervabat eccleſia ad confirmanda ſua dogmata, omnia fuerint vitiata. Quæ ergo S. Hieronymus emendanda cenſuit in illa verſione, non ſpectant fidem & bonos mores, ſed alia leviora, quales nævos adhuc juxta Concilium Tridentinum reperire eſt in noſtra quoque Vulgata.

Sunt & aliæ verſiones græcæ. Una eſt Aquilæ Pontici, qui ex Chriſtiano Judæus factus eſt circa annum poſt Chriſtum natum 130. videatur S. Epiphanius L. de menſuris n. 15. Alia eſt Symmachi Samaritani, qui ex Judæo Chriſtianus, & ex Catholico factus eſt Ebionita Hæreticus; ſcripſit poſt Aquilam imperante Commodo. Aliam adornavit Theodotion, qui poſt ſuſcepta Chriſtiana ſacra Marcionis hæreſin amplexus ad Judæos tranſiit ſub Antonino Caracalla, ineunte tertio ſæculo. Hæ tres editiones nunquam ab univerſa eccleſia ſunt approbatæ, timendumque eſt, ne iſti perfidi deſertores Religionis Chriſtianæ ea, quæ ad Chriſtum & religionem Ejus ſpectant, de induſtria obſcuraverint, vel perverterint: de cætero tamen utiles ſunt, ut conſtat ex Origene, qui in ſuis Hexaplis ea, quæ in ſeptuaginta deerant, ſupplevit ex Theodotione: tum ex S. Hieronymo, qui Theodotionis pariter verſione uſus eſt, ut teſtatur præfatione in Pſalterium: tum ex eccleſia, quæ olim Danielem non juxta Septuaginta, ſed juxta Theodotionis verſionem legebat, teſte S. Hieronymo Præfat. in Danielem.

Origenes quatuor illas verſiones in unum Codicem collegit, qualibet pagina in quatuor columnas diſtincta, ita, ut uno intuitu omnes videri poſſent: quod opus appellatum eſt τετραπλᾶ, id eſt, quaternaria exemplaria. Subin addidit textum hebraicum, characteribus Hebraicis in una, & græcis in altera columna, atque adeo opus iſtud ex ſex columnis vocatum eſt ἑξαπλᾶ. Demum ſex illis columnis adjunxit adhuc alias duas, in quarum altera deſcripta erat verſio, quam in urbe Jerichuntina, & in altera ea, quam Nicopoli repererat, & ex illis octo columnis opus hoc dictum fuit ὀκταπλᾶ. Hæc opera magna ex parte interciderunt; nihilominus D. Bernardus de Monte Faucon Monachus Benedictinus ex Congregatione eruditiſſima S. Mauri, ingenti labore, & improba diligentia ex manuſcriptis, & libris editis, quos in variis & multum diſtantibus Bibliothecis quæſivit, & invenit, magnam eorum partem eruit, & inſtauravit in ſuo egregio opere Pariſiis edito anno 1713. quæ ideo referre volui, quia apud Eccleſiaſticos Scriptores frequens horum operum fit mentio. Hæc de præcipuis editionibus græcis, reliquorum meminiſſe non eſt operæ pretium.

48. Advertendum 5. de Latinis Verſionibus. Primo ait S. Auguſtinus L. 2. de Doctr. Chriſt. c. 11. *qui ex Hebræa Lingua Scripturas in græcam verterunt linguam, numerari poſſunt, latini autem nullo modo; ut enim primis fidei temporibus in manus venit Codex græcus, & aliquantulum faculta-*

tis

tis ſibimet utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari. Inter has tamen omnes verſiones latinas duæ fuere præcipuæ, quæ magnam in eccleſia venerationem ſunt conſecutæ, una videlicet *antiqua* incerti authoris, quam *Italam*, quia latinam, vocat S. Auguſtinus, *communem* S. Hieronymus, *veterem* S. Gregorius, Oroſius & cum hoc totus orbis Chriſtianus *vulgatam*, quia illius vulgaris, & frequentiſſimus eſt uſus: altera *nova* poſt hanc Italam a S. Hieronymo data, qui juſſu S. Damaſi Summi Pontificis vetus Teſtamentum ex Hebræo in Latinum tranſtulit, & novum a mendis purgando græcæ fidei reddidit, ut teſtis eſt ipſe S. Doctor in fine Libri de Scriptoribus eccleſiaſticis dicens: *Novum Teſtamentum græcæ fidei reddidi, vetus juxta Hebraicum tranſtuli.* Cum vero illis temporibus circa duas iſtas orta eſſet diſceptatio, quænam alteri præferri mereatur, ita ut S. Auguſtinus *antiquam tanquam verborum tenaciorem cum perſpicuitate ſermonis*, & S. Iſidorus *novam* S. Hieronymi anteponeret, licet & D. Auguſtinus magno in pretio haberet verſionem D. Hieronymi, ex illis duabus non longe poſt S. Gregorii tempora conflata eſt una ad communem & vulgatum Eccleſiæ uſum, quæ nec antiqua, nec nova, ſed vulgata communis diceretur, in qua libri non nulli leguntur ut in antiqua, & alii ut in nova verſione: & hæc eſt noſtra moderna vulgata.

Hæc igitur potiſſimum conſtat in veteri Teſtamento libris, quos S. Hieronymus ex Hebræo vertit. Dixi, *potiſſimum*, nam libros, quos duntaxat græco idiomate ſcriptos reperit S. Hieronymus, reliquit intactos. Unde libri Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum gemini, Prophetia Baruch, Epiſtola Jeremiæ, additiones ad Calcem Eſther, & duo ultima Danielis capita cum cantico trium Puerorum ex veteri ſunt vulgata, ſeu Itala, ex qua etiam totum Pſalterium, paucis a S. Hieronymo mutatis & correctis, noſtra ætate habemus; verſio enim Pſalmorum a S. Hieronymo ex Hebræo adornata in quibusdam noſtris Bibliis latinis tantum ſeorſim excuſa perhibetur. Novi Teſtamenti libros in vulgata habemus, ut erant in Itala & antiqua in latinum translati, ac a S. Hieronymo ab erroribus & mendis librariorum expurgati, & correcti. De his laudatus Doctor in fine de viris Illuſtr. & Præfat. in Evang. ad Damaſum ita loquitur: *calamo temperavimus, ut iis tantum, quæ ſenſum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant*, nempe in vulgata vetere, quæ inter eas, quæ S. Hieronymum antecedebant, erat latinas inter celeberrima.

Hæc eſt illa vulgata, quam Concilium Tridentinum Seſs. 4. c. 2. ſolemni Decreto authenticam declaravit his verbis: *Sacroſancta*

Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiæ Dei, si ex omnibus editionibus latinis, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, expositionibus Theologicis, pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.

Ubi nota, Sacram Synodum, cum hanc noſtram Vulgatam ſuo Decreto declaravit authenticam, id ſignificare voluiſſe, eam inter omnes latinas Scripturæ editiones, quæ tunc temporis circumferebantur, atque de hæreticis ut plurimum, vel ignotis authoribus erant ſuſpectæ, eſſe præcipuam, fideliſſimam, ac tutiſſimam, nec non quantum ad ſubſtantiam, res fidei & morum, ab omni erroris ſuſpicione immunem, quam proinde unam in lectionibus, diſputationibus, expoſitionibusque præ omnibus aliis tanquam veram & fidelem adhibere oporteret. Ita Cartier cum aliis.

Cum autem Tridentinum Concilium cit. Seſs. 4. ſtatuiſſet, ut Vulgata editio *quam emendatiſſime imprimeretur*, Sixtus V. Papa omnem impendit curam, ut quam emendatiſſima Vulgatæ editio, ad cujus normam cæteræ excuderentur, prodiret. Sapientiſſimis igitur Theologis in eam rem adhibitis, eorum labore factum eſt, ut anno 1589. emendata verſio typis exhiberetur. Aſt cum opus iſtud adhuc imperfectum videretur, Pontifex Clemens VIII. novam aliam editionem procudi curavit anno 1592 ad cujus normam cæteræ adornatæ ſunt, utpote quam ipſe Pontifex tanquam authenticam juxta Tridentini declarationem decrevit in ſua Bulla. Nihilominus Cardinalis Bellarminus, qui cum aliis Theologis huic correctioni allaboravit, in ſua ad Lucam Burgenſem epiſtola hæc ſcripſit: *Scias velim, Biblia vulgata non eſſe a nobis accuratiſſime caſtigata, multa enim de induſtria juſtis de cauſis pertranſivimus.* Ita Calmet Dictionar. Bibl. ỹ. *Vulgata* ad finem. Cum verbis Bellarmini hic relatis conſentit omnino ipſe Clemens VIII. in ſua Bulla editionis emendatæ, dicens: *in hac Vulgata editione viſa eſſe non nulla mutanda, quæ conſulto mutata non ſunt.*

49. Aſſertio unica: Merito Tridentina Synodus noſtram Vulgatam vere authenticam declaravit. Ita ſentire debent omnes Catholici contra modernos hæreticos.

P. 1. Editio vulgata conſtanti complurium ſæculorum uſu in eccleſia probata eſt, eamque plus quam mille & centum annis ante Tridentinum Patres, Concionatores, & Doctores explanarunt, & populis

populis propofuerunt, ex ea infuper Concilia fua teftimonia ad confirmanda fidei dogmata deprompferunt: ergo eam Tridentinum jure merito authenticam declaravit. a. conftat; noftra enim Vulgata eft illa, quæ partim coalefcit ex antiqua Itala, partim ex iis libris, quos S. Hieronymus latinos reddidit, vel juxta originarium textum emendavit: atqui hæc editio fuit tamdiu in ufu ecclefiæ, ut patet ex lectione Scriptorum & operum, quæ plus quam a mille centum annis a Patribus, & aliis fupra laudatis funt vulgata: ergo.

Confirm. Non eft credendum, quod divina providentia permiferit ecclefiam fuam, quæ juxta illud 1. ad Timoth. 3. ℣. 15. *eft columna & firmamentum veritatis*, permiferit tot annis & fæculis carere vera Scriptura, & in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, pafci erroribus alicujus ignavi impoftoris falfam pro vera Scriptura obtrudentis: ergo illa Scriptura fuit vera, & conformis primigenio divino textui: ergo jure merito ut talis ab ecclefia in univerfali Synodo fuit probata.

P. 2. Authoritate PP. Primo S. Auguftinus jam fupra laudatus L. 2. de Doctrina Chriftiana c. 15. verfionem veterem Italam omnibus latinis aliis anteferendam cenfuit. Commendat quoque S. Hieronymi verfionem & emendationem S. Scripturæ L. 18. de Civit. c. 43. ibi: *Non defuit temporibus noftris Presbyter Hieronymus homo doctiffimus, & trium linguarum peritiffimus, qui ex Hebræo in latinum divinas Scripturas convertit, cujus tantum literarum laborem Hebræi fatentur veracem.* Ejusdem Hieronymi emendationem novi Teftamenti omnibus probari afferit Epift. 10. ad laudatum Hieronymum.

Secundo: S. Ifidorus L. 6. Etymolog. c. 5. ait: *Presbyter Hieronymus trium linguarum peritiffimus, ex Hebræo in latinum eloquium divinas Scripturas convertit, eloquenterque transfudit, cujus interpretatio merito cæteris anteponitur.* Item L. 1. de Offic. divin. c. 12. fcribit: *De Hebræo in latinum eloquium tantummodo* (id eft folus) *Hieronymus Presbyter facras Scripturas convertit, cujus editione generaliter omnes ecclefiæ ufquequaque utuntur, eoquod veracior eft in fententiis, & clarior in verbis.* Hos fecuti funt alii PP. & DD. ac Expofitores, qui hanc editionem Vulgatam folam explanandam fufcepere: ergo.

Confirm. denuo: Hebræi in fua lingua habuere authenticam Scripturam veteris Teftamenti, Græci quoque in Græca lingua, Teftamentum vetus nempe ex verfione Septuaginta, & novi Teftamenti fontes ipfos: ergo omnino juftum erat, & æquum, ut latina eccle-

fia,

ſia, quæ omnium latiſſime ſe diffundebat, & caput ipſum totius Ecclesiæ haberet, in ſua quoque lingua teneret veram Scripturam divinam. Merito ergo optima, & fideliſſima verſio fuit ut authentica determinata: quam quidem non ſolum Latini, ſed & Græci probaverunt, qui Codices ſacros ab Hieronymo in Latinum ex Hebræo translatos, ipſi ex latino in Græcum idioma converterunt, ut ipſe S. Hieronymus de viris illuſtr. in Sophronio, & L. 2. contra Ruffinum teſtis eſt.

Sunt & ex hæreticis modernis, qui Vulgatam noſtram plurimi faciunt, ut Joannes Bois Canonicus Elicienſis in Anglia Collat. veter. Interpret. cum Recentioribus: Waltonus Proleg. 10. Poliglot. Anglic. Ludovicus de Dieu Not. ad Evang. Grotius Vulgatam noſtram ſuis annotationibus illuſtrans, ait: *Vulgatum Interpretem ſemper plurimi feci, non modo, quod nulla dogmata inſalubria continet, ſed etiam, quod multum habet in ſe eruditionis.* Paulus Fagius Præfat. ad Translat. Vet. Teſt. *omnes illos, qui hanc celeberrimam vulgatam verſionem invido dente dilacerarunt, tamquam impudentes, atque ſemi-ſapientes* traducit. Et C. 4. in verſ. lat. Paraphr. Chald. concludit: *Non eſt ergo temere nata vulgata editio, ut quidam ſcioli temere & imprudenter clamitant.* Ergo ipſo etiam inimicorum noſtræ Religionis teſtimonio probatur Vulgata editio.

ARTICULUS VI.

Diluuntur Objectiones Hæreticorum contra præcedentem Aſſertionem.

50. Objic. 1. Kemnitius: Synodus Tridentina ideo Biblia vulgata declaravit authentica, quia tota transformata ſunt ad dogmata Pontificia: ergo vel ex hoc capite ſunt rejicienda.

℞. n. a. alia motiva habuit eccleſia pro ſtabilienda authoritate Bibliorum vulgatorum, nempe ipſum conſtantem & longævum uſum, quo illa probabantur, ut in probationibus dictum eſt. Quod autem dogmata Pontificia Scripturæ vulgatæ concordent, hoc eadem confirmat, tamquam antiquiſſima a primis eccleſiæ & Apoſtolorum temporibus derivata, & ad nos transmiſſa.

Objic. 2. Latina vulgata Scriptura non fuit authentica ante Tridentinum: ergo neque eſt poſt illud.

℞. D. a. Latina vulgata non fuit ante Tridentinum authentica, ſeu per ſolenne & publicum decretum eccleſiæ ut talis declarata c. a. id eſt, non fuit ſuis fontibus primitivis conformis, aut non fuit

fuit verbum Dei purum aut integrum n. a. &c. Latina vulgata fuit semper conformis fontibus primigeniis, atque adeo in se semper etiam authentica: ipse antiquissimus per mille & amplius annos usus tribuit ei authoritatem non modicam, imo tantam, ut majorem nec ipsi fontes habere queant, quos utique non alio ex capite authenticos novimus, quam ex vetusto ecclesiæ usu. S. Trid. Concilium ob exurgentes novas hæreses in ecclesia, quæ in ipsam S. Scripturam violentas manus injecerunt, necessarium judicavit, ut unam ex tot editionibus & linguis præ cæteris aptiorem eligeret pro suis genuinis filiis: nec potuit meliorem, quam vulgatam latinam determinare authenticam; etenim hæc per tot sæcula jam erat in usu publico, & simul erat conscripta idiomate latino, quo major & nobilior pars ecclesiæ utebatur in officiis divinis, & ex qua hæreses oriebantur novæ; cui proin maxime providendum erat.

Objic. 3. Biblia vulgata sæpius recedunt a suis fontibus: ergo non sunt authentica; nam instrumentum apographum suo autographo non per omnia conforme, non est authenticum.

℞. d. a. Vulgata recedunt sæpius a suis fontibus, Hebræo nempe & Græco, in rebus paucis, & levioris momenti, quæ substantiam, atque doctrinam fidei & morum non immutant c. a. secus n. a. Quamvis Vulgata nostra latina in quibusdam levioris momenti, in quantum forte rem minus clare explicant, discrepare videantur a fonte, secundum doctrinam tamen fidei & morum, atque substantiam, omnino respondet fonti, ut evidenter ostendunt Catholici Expositores linguarum periti. Quod vero secundum quædam accidentalia, & non nullas voces non habeant plenam conformitatem cum fonte, parum morandum est: siquidem omnibus liquet in versionibus, præsertim si fuerint e lingua quadam mortua, rarissime verba verbis ita reddi posse, ut translatum in nullo discrepet ab autographo; vel enim aliquando sensus minus clare exprimitur, vel aliquando refertur verbis, quibus eadem energia & virtus haud inest. Hanc igitur, & non ob aliam rationem patres interdum suadent recursum ad fontes, non ut inde Biblia vulgata emendentur & corrigantur, sed ut textus vulgatus legatur clarius, & magis contra hæreticos confirmetur. Interea a Vulgatæ Scripturæ partibus stat præsumptio, & huic potius adhærendum est, quam fonti, in casu, quo inter se discrepant; nam Vulgata solemni decreto ecclesiæ probata est, hujus autem decreti authoritas desideratur in fontibus, qui non constant originali textu: transsumpta vero exemplaria, quæ tantummodo habentur, non

ſunt publice per eccleſiam declarata ut conformia primigenio textui.

Addo ex Graveſonio Tract. de Scriptura ſacra tres regulas generales, in caſu diſcrepantiæ Scripturæ vulgatæ a ſuo fonte, præſertim Hebræo, obſervandas. Prima eſt: cum Vulgata editio ſic diſcrepat a textu Hebræo vel Græco, non continuo ſequitur, ut ea ſit mendoſa, quin & ipſi Hebræi & Græci Codices poſſunt eſſe vitioſi, eoſque pluribus locis vitio librariorum eſſe corruptos, oſtendunt eruditi.

Secunda eſt: Vocabula Hebræa varios quandoque ſenſus admittunt, ut ſciunt omnes Hebrææ linguæ gnari; vitio igitur dari non debet Concinnatori noſtræ Vulgatæ, ſi vocem interdum vertat ſenſu diverſo ab illo, quem nunc alii meliorem ſibi falſo perſuadent. Neque credibile eſt, modernos Hebræos in intelligendis, & reddendis vocum ſenſibus eruditiores eſſe illis antiquis Hebræis, quos author editionis vulgatæ ſecutus eſt: tanto enim ignotior fit Hebraica lingua, quanto longiori tempore a ſua origine recedit. Maxime, quod Vulgatam modernam ex Hebræo adornaverit S. Hieronymus peritiſſimus linguæ Hebraicæ, & ſimul Magiſtros hebraice doctiſſimos in dubiis conſuluerit, & in partem laboris aſſumpſerit.

Tertia regula eſt: pleraque loca, quæ Hebræo textui ſunt difformia, ab illo diſcedunt, ut eſt notatus punctis modernis Maſorethicis: ſunt autem, ut Critici & eruditi noverunt, hæc puncta ſerius inventa, nec certo conſtat, ea non reddere ſenſum a primigenio diſcordem: ergo ex tali Hebræo textu non poteſt duci argumentum ſolidum contra noſtram editionem Vulgatam, quam S. Hieronymus ex Hebræo necdum punctis notato tranſtulit. Hæc ex Graveſon notata diſſipant plura argumenta hæreticorum.

Cæterum ſi qui errores in noſtra Vulgata reperiuntur, ii non ſunt ſubſtantiales, ſed vel Amanuenſium, vel Typographorum, ab his, & non ab aliis Concilium Tridentinum Biblia vulgata purgari voluit, & per Sixtum V. & Clementem VIII. purgata ſunt: approbavit ergo illa ut purum Verbum Dei, non item probavit errores Amanuenſium & librariorum, quos nunquam fecit ſuos. Etiam hoc notaſſe juvat, interdum Scripturam eſſe authenticam ſecundum ſe, non autem in ordine *ad nos*, quando ipſi Doctores & Expoſitores dubitant, quænam lectio vocis ſit tenenda: exemplum hujus dat iſte textus 1. Machab. 14. ℣. 24. 25. *cum autem audiſſet populus Romanus ſermones iſtos, dixerunt.* In quo Salianus Serrarius cum aliis cenſent, voci

Romanus

Romanus ſubſtituendam eſſe vocem *Judaicus*, e contrario Lyranus & alii conſtanter legunt *Romanus*, quæ vox Romanus in textu Græco omnino non additur.

Objic. 4. Verſores Vulgatæ editionis fuere homines, qui errare poterant, nec eccleſia poterit ſpondere, vel vadem dare, eos non erraſſe: ergo nos non poteſt certos reddere de hujus Editionis authenticitate. ℞. c. 1. m. a. n. 2. m. & conſ. Irrefragabilis vas, qui Concilium Tridentinum, & Eccleſiam per illud repræſentatam ſecuram reddidit, fuit conſtans & perpetua traditio, vi cujus certitudinem habuit, Vulgatam per tot ſæcula ut purum Verbum Dei eſſe habitam. Nec probavit eam Eccleſia, ut opus authoris privati, qui errare ut homo potuit, ſed quatenus longo ſæculorum uſu comprobatam.

Objic. 5. Ex dictis infertur, etiam authenticam eſſe Hebraicam; nam & hæc juxta Bellarminum nulla continet vitia, quam levia, nec fidei boniſque moribus adverſa: ſed ſequela non admittitur: ergo nec id, unde ſequitur. ℞. n. M. nam ut authentica ſit editio, non ſufficit, ut nihil contra fidem, vel bonos mores contineat, ſitque ſuo autographo conformis: ſed inſuper requiritur, ut hoc conſtet publico Eccleſiæ teſtimonio. Quod cum non conſtet de Hebræa, ſed de Vulgata Latina ſola, ideo hæc ſola, non autem alia eſt authentica.

ARTICULUS VII.

De Verſionibus in Lingua vernacula.

Vernacula Scripturæ verſio dicitur ea, quæ vernaculo, ſeu vulgari & materno ſermone ſcripta eſt, quæ omnino multiplex eſt, ſicut lingua vernacula. Præcipuæ tales verſiones ſunt inter Orientales *Arabica*, *Æthiopica*, *Perſica*: ex Occidentalibus *Gallica*, *Germanica*, *Hiſpanica*, *Anglica*, *Italica*, *Polonica*, *Hungarica*, *Belgica*, *Hibernica*, & variæ aliarum Regionum. Licet nulla vulgaris ſit authentica, quia nulla ut talis per eccleſiam declarata, utiles tamen eſſe poſſunt, ubi Vulgatæ ſunt conformes ad textus ejus obſcuros interdum explanandos. Qua de cauſa ſumme commendari meretur verſio Germanica, adornata a D. Patre Germano Chartier Benedictino doctiſſimo. 51.

Duo de Vulgaribus ſunt ab eccleſia prohibita. Primum eſt, ne legantur in publico eccleſiæ uſu, officiis divinis, maxime in Miſſa, ut Concilium Trid. Seſs. 22. c. 8. de Sacrificio Miſſæ ſtatuit: *Etſi Miſſa contineat maximam populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum*

eſt Patribus, ut vulgari paſſim lingua celebraretur. Secundum eſt: ne hujusmodi vulgares verſiones omnibus indiſcriminatim legi permittantur, cum juxta quartam Indicis regulam a Sixto V. Clemente VIII. & Pio IV. approbatam, *experimento manifeſtum ſit, plus inde detrimenti, quam utilitatis oriri ob hominum temeritatem.* Plura de hoc poſtea. Modo ſit

52. Aſſertio unica: Poteſt quibusdam ab Eccleſia prohiberi lectio Scripturæ, præſertim in Verſionibus non approbatis. Ita Catholici contra hæreticos.

Prob. Eccleſia, ut vera & pia Mater, a ſuis filiis poteſt, & debet avertere, quod ipſis poteſt nocere; atqui lectio S. Scripturæ ipſis interdum nocere poteſt, & ſæpe experientia teſte jam nocuit, ut teſtantur ipſæ hæreſes ex abuſu Scripturæ exortæ: & periculum hoc ſemper manet, ſi promiſcue liceret legere quasvis Verſiones ab hæreticis factas, & alias necdum probatas: ergo Eccleſia præcepto ſuo debet & poteſt hanc noxiam & periculoſam lectionem avertere, ſeu illam non promiſcue cuivis concedere.

Neque eſt ulla neceſſitas, ut omnibus lectio S. Scripturæ promiſcue permittatur; etenim quæ vulgo ſunt ſcitu neceſſaria, captu faciliora, genio magis accommodata, Mater Eccleſia jam pridem ſelegit in certas Epiſtolas & Evangelia, quorum lectio non ſolum omnibus permittitur, ſed & commendatur. Cætera, quæ captum ſuperant, committit Epiſcopis, Parochis, Doctoribus & Paſtoribus, ut data occaſione inde oves creditas paſcant, inſtruantque.

53. Objic. 1. Quod Deus præcipit, Eccleſia, vel Papa prohibere non poteſt; ſed lectionem S. Scripturæ omnibus præcipit Deus: ergo m. p. Joſ. c. 1. ℣. 8. dicitur: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo cunctis diebus, ac noctibus, ut facias ea, quæ ſcripta ſunt in eo.* Ergo. ℞. n. m. ad prob. dico: illa Scripturæ verba præceptum tantum inſinuant pro Joſue Duce, ad quem directa ſunt, non autem pro ſingulis, ut ex eo loco ſatis conſtat.

Objic. 2. S. Scriptura eſt Epiſtola Dei ad omnes ſcripta: ergo & ab omnibus legenda. ℞. n. c. ratio etenim eſſe poteſt, ut epiſtola ad omnes ſcripta, non ab omnibus, ſed ſolum a Majoribus, qui communitati præſunt, legatur.

Objic. 3. S. Chryſoſt. Homil. 9. in c. 3. ad Coloſſ. ſcribit: *Audite, quicunque eſtis mundani, & uxori præeſtis & liberis, quomodo vobis quoque mandet maxime Apoſtolus legere Scripturas, non leviter, nec temere, ſed*

sed magno studio, ac diligentia. Novum certe Testamentum vobis parate, Apostolorum actus, Evangelia - - - hoc est omnium malorum causa, nescire Scripturas: ergo præcepto etiam mundani adstringuntur ad legendas Scripturas.

℞. n. conf. SS. PP. consulunt, imo etiam mandant lectionem Scripturæ iis, quibus præsumitur prodesse, non vero obesse, & in versione authentica, non quavis vulgari, de qua timeri potest & debet, an non sit corrupta, sicut versiones hæreticorum ordinarie corruptæ sunt. Unde in lectione Bibliorum vulgarium magna cautela opus est.

Objic. 4. S. Scriptura est lucerna illuminans, medicina sanans, cibus animæ: ergo male ejus lectio inhibetur. R. d. a. S. Scriptura est medicina, cibus &c. omnibus n. a. aliquibus, & quidem iis, qui legunt versionem approbatam, & quidem cum debita dispositione tam animi, quam intellectus c. a. n. c. lectionem S. Scripturæ aliquibus nocere posse, & reapse nocuisse, experientia testis est; unde & Lutherus Biblia librum hæreseon, seu *librum omnium hæreticorum* vocitavit in Sympos. de Sectariis.

Objic. 5. Scriptura in lingua vernacula a plerisque modo, etiam indoctis Catholicis solet legi: ergo ipsi agnoscunt male prohiberi hujus lectionem, ℞. d. a. legitur a plerisque licite, vel illicite c. a. semper licite subd. si debitis cum cautelis fiat c. a. secus n. a. &c.

Objic. 6. Est necessitas inquirendi textus a Concionatore allatos: ergo & legendi & volvendi Scripturas. ℞. n. a. nam præsumendum est de Concionatore, ipsum fideliter allegare textus. Et plane probrosum est Lutheranis & Calvinianis Pastoribus, tantam fidem a plebe eos obtinere non posse, ut præsumerentur, fideliter textus in suis concionibus allegare.

54. Cæterum operæ pretium est ostendere, qua ratione Ecclesia lectionem S. Scripturæ prohibuerit, ad retundendam hæreticorum dicacitatem. Concilium Tridentinum jussit edi Judicem librorum prohibitorum, in quo ita legitur: *Biblia hæreticorum opera impressa, vel eorundem annotationibus, argumentis, Summariis, Scholiis, indicibus referta omnino prohibentur.* Regula vero tertia ita sonat: *Versiones V. T. ac maxime N. T. ab authoribus primæ classis factæ nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum ex ea lectione manare solet.* Respexit hæc Regula ad celebre dictum S. Ambrosii L. de Paradiso c. 12. *Cavendum, ne Scripturæ discantur ab hæreticis docentibus.*

Eſt ergo prohibita lectio Scripturæ, vel Verſionis ab hæreticis adornatæ, in quacunque lingua ſit, etiam Græca & Latina, quia ex tali lectione commodi parum, periculi plurimum manat. Non eſt autem ab Eccleſia omnis omnino lectio Scripturæ in lingua vernacula prohibita, ſed tantum, ne paſſim ab omnibus in hac lingua legatur, propter tot verſiones ab hæreticis factas, inter quas Laici non diſcernere poſſunt. Ita loquitur ulterius Eccleſia in Regula 4. Indicis: *cum experimento manifeſtum ſit, ſi S. Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Epiſcopi, aut Inquiſitionis ſtetur, ut cum conſilio Parochi, vel Confeſſarii, Bibliorum a Catholicis authoribus verſorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerunt ex hujusmodi lectione non damnum, ſed fidei & pietatis augmentum capere poſſe, quam facultatem in ſcriptis habeant.* Itaque ſi verſio in vernacula facta eſt, & per Epiſcopum probata, ea non interdicitur omnibus, ſed iis tantum, qui ob imbecillitatem animi vel intellectus portare nequeunt, quæ legunt, & qui non poſſunt diſcernere inter editiones, Catholicane, an hæretica ſit. Super quod cognoſcere ſpectat ad Epiſcopum, Parochum, vel Confeſſarium, quorum quivis ſuo ſubdito licentiam legendi Scripturam in vernacula ab orthodoxo Verſore editam impertiri poteſt, dummodo prævideat, exinde non damnum, ſed emolumentum ſpirituale exoriturum. Ita obſervant Germani Moraliſtæ & Polemici.

Quod vero recentior appendix, ſeu annotatio ad regulam mox adductam de lectione Scripturæ in lingua vernacula habet, non eſſe penes Epiſcopos aut Prælatos, hujusmodi facultatem dare, ſed penes Inquiſitores, non obtinet locum in Germania, ubi Inquiſitores non ſunt. Ita noſter P. Herinx P. 3. Diſp. 3. de Script. Sacr. n. 55. Imo ibidem juxta Tannerum D. 1. q. 5. n. 88. in Germania ipſo uſu lectio Bibliorum Germanicorum videtur eſſe licita: alibi quoque ob cauſas rationabiles Ordinarii iſtam prohibitionem, alioquin juſtiſſimam, & de ſe gravem, non ita graviter urſerunt, aut conſuetudo ſeu uſus aliquid de ejus rigore remiſit: ſic in multis locis Belgii conſuetudo invaluit, ut honeſtis quibusdam Laicis concedatur, legere Biblia vernacula lingua edita, diſſimulatione potius piæ tolerantiæ, quam facultate expreſſa, ut teſtatur noſter P. Marchant t. 2. Tribunalis Sacram. tit. 2. Sec. 4. q. 3. dubio 6. & ex eo Baſſæus N. Hæreſis n. 6. quamvis Paſtores in hoc puncto teneantur invigilare tam ſuper editione Bibliorum, quam qualitate legentium, ut addit laudatus Marchant.

Objic. S. Paulus jubet, publicas preces, officia, & Cantica fieri in Ecclefia lingua vernacula: ergo ita fieri, male prohibet Ecclefia Romana. a. p. 1. Corinth. 14. dicitur: *fi incertam vocem det tuba, quis parabit fe ad bellum? ita & vos per linguam nifi manifeftum fermonem dederitis, quomodo fcietur id, quod dicitur? eritis enim in aera loquentes.* ℣ 8, & 9. ℣. autem 13 & 14. *qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur. Nam fi orem lingua, fpiritus meus orat: mens autem mea fine fructu eft;* quibus verbis indicat D. Paulus, non ignota, fed omnibus cognita lingua in Ecclefia utendum: ergo.

℞. n. a. ad textum primum objectum ℞. in illo, ficut in maxima parte hujus capitis non effe fermonem de lectione Scripturarum, nec de officiis divinis, fed de exhortatione, & collatione fpirituali; nam ut indicat Juftinus in fine Apologiæ 2. Chriftianis convenientibus diebus dominicis primum legebantur Scripturæ, dein fiebat Concio ab Antiftite, poftea celebrabantur myfteria, poftremo inter fe de rebus divinis colloquia mifcebant. Et quia apud Corinthios interdum aliqui erant, qui oftentantes donum linguarum peregrinam adhibebant Linguam, Apoftolus hunc errorem corrigit, quia exhortationes ab omnibus debent intelligi. Hunc effe verum fenfum textus, ex majori parte hujus capitis colligitur. Neque verfus 13. & 14. loquuntur de officiis divinis, quæ cum tunc temporis in græca lingua peragebantur, a plerisque illis Chriftianis, qui fere omnes græce loquebantur, intelligebantur: fed de oratione & laude Dei, ac gratiarum actione, quam privati aliqui in collatione illa canebant, & dicebant lingua peregrina. Fuit autem in more apud antiquos Chriftianos fpiritualia cantica componere, & canere in Ecclefia tempore collationum dictarum, ut teftantur Eufebius L. 2. Hift. c. 17. S. Dionyfius c. 3. de Divin. Nom. Tertullianus in Apologetico c. 39. defcribens Agapem Chriftianorum, feu publicam cœnam in Ecclefia, dicit, confueviffe, qui poterant, ex proprio ingenio aliquid canere Deo. Infuper Apoftolus Ephefios c. 5. Colloffenfes c. 3. hortatur, ut Pfalmis & Canticis fpiritualibus commoneant fe ipfos: quem locum intelligit Haymo de Canticis, quæ ipfi componebant.

Recte etiam advertit Bernardinus de Biconio, Nobilis Expofitor Epiftolarum Paulinarum, nullam effe hoc capite Apoftolo quæftionem, vel fermonem de publico officio Ecclefiæ: fed de quibusdam orationibus & benedictionibus, quas aliqui particulares dono linguarum præditi five privatim recitabant, five publice proferebant; & quia hæ orationes erant novæ, a privatis hominibus compofitæ & prolatæ,

prolatæ, ideo poterat eis error ineſſe, hincque ut ℣. 16. dicitur, Idiota & rudis non poterat eis ſecure reſpondere *Amen.* Cum vero publicum officium ab Eccleſia approbatum, & nomine totius Eccleſiæ prolatum, certiſſime ab omni errore ſit liberum, etiamſi proferatur lingua incognita, poteſt ei Idiota & ſimplex reſpondere: Amen.

Denique, ut pergit laudatus Bernardinus, morem noſtræ Eccleſiæ immerito damnant Sectarii, quem omnes prorſus Eccleſiæ ſequuntur, Syræ, Ægyptiacæ, Arabicæ, Græcæ &c. omnes enim lingua vulgariter ignota celebrant officium, lingua ſcilicet antiqua Syriaca, Ægyptiaca, Græca &c. quæ non amplius ſunt in uſu apud plebem, ut probat Author Hiſtoriæ Criticæ novi Teſtamenti Tom. 1. Cap. 1. Equidem Eccleſia primis temporibus officium lingua vulgari celebravit, & adhuc fortaſſis celebraret, niſi linguæ Latinæ per varias nationes Romanum Imperium invadentes fuiſſet multiplex facta immutatio: aſt nunc ob antiquitatis venerationem, & innumera vitanda incommoda, ex infinitis prope translationibus exoritura, primitivam linguam ſervat. Et in hoc omnes prorſus Eccleſiæ ſunt conformes, ſi Proteſtantium excipias, qui in hoc, ſicut in multis aliis ſunt veri Novatores. Idem, quod Eccleſia Catholica, fecere quoque Judæi: deperdito enim in captivitate linguæ Hebraicæ uſu, ſemper tamen in Synagogis hebraice legerunt Scripturam, quem morem etiam tempore Chriſti ſervabant, eum tamen Dominus nunquam damnavit; & hunc morem ſervant nunc quoque. De quibus videri poteſt Hiſtoria allegata.

ARTICULUS VIII.

An S. Scriptura ſit ex ſe clara, & aperta?

55. Hic Hæretici iterum pugnant contra Catholicos, dum putant, Scripturam minime eſſe obſcuram. Lutherus Præfatione Aſſertionis Articulorum a Leone Pontifice damnatorum, pronuntiat Scripturam *ipſam per ſe certiſſimam, facillimam, apertiſſimum ſui ipſius Interpretem, omnia probantem, judicantem, & illuminantem &c.* Contra hunc, & ſimilis furfuris Novatores ponitur

Aſſertio Catholica: S. Scriptura non eſt ubique in ſe clara, & aperta.

P. 1. ex S. Scriptura. David orat Pſal. 118. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. Revela oculos meos, & conſiderabo legem tuam:*

am: faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas: ergo Scriptura, quæ per legem intelligitur, fuit Davidi obscura, & non ubique aperta: nam eorum, quæ aliunde sunt evidentia & clara, non petitur notitia. In mox citata Psalmistæ verba scribens D. Hieronymus ad Paulinum de institut. Monach. ait: *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos, & pene lactentes inscitiæ nocte circumdari?*

Per hos textus sternuntur etiam effugia Lutheri: primum est, quod Scriptura, quamvis alicubi sit obscura, tamen id, quod hic obscurum videtur, alibi clare proponat. Alterum, quod Scriptura in se clarissima, sit obscura superbis & infidelibus, ob eorum cœcitatem & pravum affectum; quibus Brentius addit tertium, dictitans, eam esse interdum obscuram ob phrases alienæ linguæ, scilicet Hebraicæ. Ast hæc omnia tria effugia corruunt, si David, vir secundum cor Dei, non superbus, sed certe humilis, pius, & omnis Scripturæ, quæ tunc erat, & linguæ Hebraicæ, ac phrasium ejusdem peritissimus, tamen in Scriptura intelligenda difficultatem invenit.

Confirm. 1. Act. 8. Evnuchus Reginæ Æthiopum, vir pius & fidelis, & diligenter versatus in lectione S. Scripturæ, ut D. Hieronymus de ipso docet, non intelligebat Isaiæ locum, quem legebat sedens in curru suo; interrogatus enim a Philippo: *putas, intelligis, quæ legis?* respondit: *quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi*: ergo.

Confirm. 2. Apostoli ipsi multa, quæ a Christo dicebantur, non intelligebant, ut Matth. 13. ℣. 36. item c. 16. ℣. 11. Luc. 18. ℣. 34. item c. 24. ℣. 27. Deinde 2. Petri ultimo loquens de Epistolis D. Pauli: *in quibus*, inquit, *sunt quædam difficilia intellectu*, non ait autem, indoctis, *infidelibus*, *impiis*, *superbis*: sed absolute enuntiat esse difficilia, ut observat Bellarminus: ergo.

P. 2. ex SS. PP. etiam antiquis. S. Irenæus L. 2. contra Hæreses c. 28. alias 47. postquam in rebus creatis & naturalibus plurima nos latere asseruit, multa etiam in Scripturis obscura esse docet: *In Scripturis*, ait, *quædam absolvimus secundum Dei gratiam, quædam autem commendamus Deo. - - ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ sunt a Deo* S. Augustinus L. 2. de doctrina Christi c. 6. dicit: *Multis & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes: quibusdam autem locis, quid vel falso suspicentur, non inveniunt, ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore su-*

perbiam, & intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt. Pluries in aliis locis testimonium dat pro obscuritate S. Scripturæ, ut apud Bellarminum & alios videre licet.

Origenes L. 7. contra Cels. ait, quod *S. Scriptura revera multis locis sit obscura.* S. Chrysostomus Hom. 44. in Joan. dicit: *Scrutamini Scripturas; non enim rem in superficie & promptu positam effodimus, sed quæ tamquam thesaurus profunde reconditur. Qui enim hujusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam, nunquam quæsita inveniet.*

S. Hieronymus præfat. Comment. in Epist. ad Ephes. q. 8. fatetur, *se Alexandriam perrexisse, ut a Didymo, quæ in Scripturis habebat dubia, sciscitaretur.* Et Epist. ad Algasiam q. 8. affirmat: *omnis,* id est, tota *Epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus involuta est.* S. Ambrosius Epist. 2. alias 44. *Est Scriptura divina habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum.* Si ita sentiunt in lectione S. Scripturæ versatissimi Patres, quid nos debemus dicere? quales tenebras obscuritatis in ea offendemus?

P. 3. Ratione sat efficaci. In sacra Scriptura duo in considerationem veniunt, res, quæ tractatur, & modus, quo tractatur, seu exprimitur: atqui ex utroque magna obscuritas enasci debet: ergo. P. 1. m. Minoris. Res, quæ tractantur, sunt altissima Mysteria de Deo, SS. Trinitate, de Incarnatione Verbi divini, de gratia Christi, & hujus operatione in mentibus humanis, de Prædestinatione hominum, de SS. Sacramentis, deque aliis rebus spiritualibus & arcanis, quæ non sine magno studio & labore inquiruntur. Magna pars S. Scripturæ continet quoque vaticinia de rebus futuris, quorum notitia difficillima, & obscurissima est.

P. etiam 2. m. In Sacra Scriptura plura prima fronte videntur penitus contraria, aut sibi contradicere. 2. Sunt multæ orationes ambiguæ, 3. & imperfectæ, 4. præposteræ. 5. Phrases Hebræis & Græcis propriæ. 6. Figuræ, Tropi, Metaphoræ, Allegoriæ, Ironiæ, Hyperboles, & alia id genus fere innumera obscuritatem parturientia, ut legenti patet: ergo ex modo quoque nascitur obscuritas.

Confirm. Si tam clara est Scriptura, ut Novatores volunt, ad quid tot illius interpretationes, & commentaria? unde inter ipsos Acatholicos tanta circa nonnulla Scripturæ loca exponenda dissensio? ut reliqua prætereeam, circa istum nobis clarum & patentem textum: *Hoc est corpus meum,* numerantur apud Heterodoxos octoginta variæ expositiones. Clarus hic videtur Luthero & suis Sectariis ad adstruen-

adſtruendam Chriſti realem præſentiam in ſumptione: Calvino vero apparet clarus ad rejiciendam realem, & ſolam virtutis præſentiam comprobandam. Ergo infinita propemodum Expoſitorum S. Scripturæ volumina, & de illius ſenſu apud adverſarios ipſos excitata diſſidia, ſunt aperta obſcuritatis Scripturæ divinæ argumenta.

Dicent Proteſtantes: Scriptura ſaltem clara eſt in iis textibus, quibus capitales fidei articuli continentur.

Sed contra inſto: De ipſis etiam capitalibus articulis apud adverſarios noſtræ Religionis ſæpe fuit, & eſt quæſtio, quam tamen ipſis S. Scriptura non potuit clare definire. Certe capitales fidei Chriſtianæ articuli ſunt unitas Eſſentiæ divinæ in tribus diſtinctis Perſonis: Divinitas Chriſti: Hypoſtatica & Subſtantialis divinitatis cum humanitate conjunctio: ſed iſti Arianis, Sabellianis, Neſtorianis, Socinianis &c. non ſunt viſi ita clare declarati in S. Scriptura, ut eos proterve non impugnaſſent. Nonne & capitales articuli ſunt de Euchariſtia, de aliis Sacramentis? Si autem ſic clare in Scriptura ſunt deciſi, cur tot lites ipſos inter adverſarios noſtros circa hæc ſunt exortæ?

Objic. 1. Brentius. Deuter. 30. dicitur: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, neque trans mare:* ergo juxta Brentium eſt ſumme facilis Scriptura, ut *pro ejus interpretatione non ſit opus montes ſuperare, & ire Romam.* 56.

R. n. c. Locus enim iſte non agit de facilitate intelligendi Scripturas, ſed de facilitate implendi præcepta Decalogi, quæ *Mandati* nomine ſolum veniunt, vel ea percipiendi, utpote naturalia, & ideo cordi cujusvis inſcripta, & quæ Moyſes Judæis jam explicaverat, ipſique ſe percepiſſe faſſi ſunt, ac ſe obſervaturos promiſerunt. Sic etiam illud Pſal. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos;* & iſtud Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum;* & iterum iſtud Proverb. 6. *Mandatum Lucerna eſt, & Lex Lux:* non agunt de univerſis Scripturis, ſed duntaxat de præceptis Domini, quæ dicuntur lucida, Lucerna, & Lux, quod intellecta dirigant hominem in operando. Si contendas, de univerſis Scripturis intelligi, dico, eas eſſe lucidas &c. non quod facile intelligantur, ſed quod ſemel intellectæ mentem illuſtrent. Iſtud vero Matth. 5. *Vos eſtis Lux mundi,* dictum ad Apoſtolos, tangit lucem exemplorum & morum; unde ſtatim ſubditur: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Vel ſi etiam de Scripturis Apoſtolorum intelligi velis, ſunt eæ lux, quia intellectæ mentem illu-

illuminant, & tenebras errorum diſpellunt, non quia faciles ſunt intellectu. Ita & exponi petunt hæc 1. Petri 2. *habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam Lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Prophetarum voces vocantur lucerna lucens, quia intellectæ illuminant, non quia facile intelliguntur.

Inſtant Adverſarii. 2. ad Corinth. 4. habetur: *quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit oculos infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Chriſti.* Ergo ex oppoſito fidelibus Scriptura eſt facilis & aperta.

℞. n.c. Apoſtolus non loquitur ibi de intellectu Scripturarum, ſed de cognitione & fide in Chriſtum, quam Apoſtoli prædicabant; dixerat enim capite 3tio præcedente, hoc eſſe diſcrimen inter vetus & novum Teſtamentum, quod in antiquo Teſtamento homines non viderint myſteria Chriſti, Incarnationem nempe, Paſſionem &c. niſi per velamen figurarum, & umbrarum, quod ſignabat velamen illud, quo Moyſes faciem ſuam tegebat, cum loqueretur ad populum: at in novo Teſtamento, figuris jam omnibus impletis, revelata facie gloriam Domini ſpeculamur, & non eſt puer Chriſtianus, aut quantumcunque ſimplex, qui non cognoſcat Deum incarnatum, paſſum in carne humana, & mortuum &c. Cur autem Judæi etiamnum, aperto jam & remoto velamine nil niſi umbras videant, & infideles iſta myſteria nondum credant, rationem dat D. Paulus, quia internis pravis affectibus ſunt excæcati, de quibus Chriſtus Joan. 5. inquiebat: *quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?*

Exinde ſolves etiam illud Iſaiæ 29. *aperuit agnus occiſus librum*, & quod in morte Chriſti *velum Templi ſciſſum* ſit. Hoc enim diſcriminis eſt inter vetus & novum Teſtamentum, quod in veteri non ſolum ſententiæ Scripturarum, ſed etiam myſteria Chriſti fuerint tecta, & clauſa figuris & umbris, ſicque liber fuerit *ſignatus* Iſa. 29. tam ſcienti, quam neſcienti Literas: in novo autem Teſtamento, etſi multi non intelligant Scripturas, intelligunt tamen myſteria Redemptionis.

Objic. 2. Patres primitivæ Eccleſiæ ſine commentariis Scripturas legerunt, quod poſtea etiam omnes antiqui fecerunt: ergo Scripturæ per ſe ſunt claræ, nec indigent interpretatione. ℞. n. a. quod innumeris argumentis & exemplis falſum eſſe demonſtrari poſſet. Equidem primi P.P. qui tempore Apoſtolorum, vel ſtatim poſt Apoſtolos floruerunt, non legerunt ſcriptos commentarios, cum nulli tunc

tunc adhuc existerent: sed tamen consulerunt vivos commentarios, nimirum Apostolos ipsos, vel horum discipulos, nec proprio ingenio Scripturas intelligere valuere. Ita de se ipsis testantur Papias apud Eusebium L. 3. Hist. c. ult. & Clemens Alexandrinus L. 1. Stromatum. Subinde Justinus & Irenæus cœperunt commentarios exarare in divinos libros, ut refert S. Hieronymus de Vir. Illustr. in Joan. similiter & Posteriores Priorum scripta evolverunt, quod de Basilio & Gregorio testatur Ruffinus L. 11. Hist. c. 9. & de se ipso S. Hieronymus Præfat. in Comment. ad Ephesios, & deinceps multi alii.

Objic 3. D. Augustinus L. 2. de Doctrina Christiana c. 6. ait: *Nihil fere in illis obscuritatibus* (Scripturarum sacrarum) *eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur:* ergo Scriptura est clara, quia ejus loca obscura per alia clariora dilucidantur. ℞. n. c. universim de omnibus Scripturæ locis intellectam. D. Augustinus non gratis adjunxit particulam limitantem *fere*. Et profecto sunt in Scripturis sacris loci obscurissimi, qui nullibi in illis declarantur, ut magna pars Apocalypseos, principium & finis Ezechielis, & alia loca plura. Si omnia tam expedita, & aperta sunt in sacro Codice, quomodo S. Augustinus in studio & lectione Scripturæ versatissimus potuit scribere Epist. 119. c. 21. *se plura in sacris Literis nescire, quam scire.* Præterea quis ostendet statim alicui locum illum, quo aperte explanantur, quæ alibi obscure dicuntur? Dum S. Chrysostomus Homil. 3. in 2dam ad Thessal. ait: *omnia clara esse ex Scripturis*, utitur auxesibus ad excitandum teporem eorum, qui possent cum fructu legere Scripturas, & negligunt: alias autem, ut ex textu in probationibus laudato patet, satis aperte indicat obscuritatem Scripturæ.

Objic. 4. P. P. probant Commentarios suos, & asserta in iis ex S. Scriptura: ergo hæc debet esse clarior & notior ipsis illorum commentariis. c. patet: quia non probatur notius ex minus noto, sed vicissim. ℞. d. c. Scriptura est notior commentariis P. P. notitia veritatis, quæ intellectum magis ad assensum trahit c. c. notitia, ac perspicuitate verborum & sententiarum, de qua hic agitur n. c. P. P. confirmant sua dicta sententiis S. Scripturæ, quia notius est, verum esse, quod Scriptura, quam quod PP. dicunt; per hoc tamen obscura verba & sententias Scripturæ possunt suis commentariis explanare, & declarare, ut facilius eorum sensus capiatur.

Objic. 5. Si Deus voluisset, S. Scripturam obscuram esse, voluisset nos decipere, vel saltem periculo deceptionis exponere:

ergo noluit esse obscuram. Teste Bellarmino hoc est argumentum proprium Lutheri. ℞. n. a. quia suppeditavit etiam media, quibus inter tenebras obscuritatum claram possimus invenire lucem veritatis. Dein Deo fuit liberum, hoc vel illo modo nobis suum Verbum communicare: quis Ipsi regulas præscribet? Nec sine causa hoc factum est, ut ex probationibus liquet.

ARTICULUS IX.

Quis sit legitimus S. Scripturæ Interpres & Judex, sicut & aliarum Controversiarum fidei?

57. Ex priore articulo, & quæstione fluit ista: Nam cum Scriptura obscura sit, & Interprete non raro indigeat, quæri potest, an interpretatio Scripturæ sacræ sit petenda ab uno aliquo visibili, & communi Judice, an uniuscujusque arbitrio relinquenda? Cum hæc quæstio magnam connexionem habeat cum illa de aliis Controversiis fidei & Religionis, quis illarum sit Judex, ideo hic confunditur utraque, & per modum unius tractabitur.

Assero 1. Scriptura non est Interpres aut Judex legitimus controversiarum circa Scripturam, vel fidem & Religionem emergentium. Ita Catholica Ecclesia contra Lutherum, Calvinum &c.

P. 1. Sæpius S. Scriptura vocatur in controversiam & dubium: ergo illa non potest esse sufficiens Interpres & Judex. a. constat variis exemplis: ut quinam Libri sint Canonici? quisnam sit germanus sensus hujus vel illius textus? an hæc vel illa pertineant ad contextum hujus vel illius veritatis? ergo debet esse alius Judex, qui de S. Scriptura judicet; & certe in tota Scriptura non reperies textum, ex quo evincas, hos libros esse canonicos, non alios; & sic ulterius.

P. 2. Scriptura sacra nec secundum literam, nec secundum sensum spectata potest esse Judex supremus & ultimus controversiarum fidei: ergo nullo modo. p. 1. m. a. litera secundum se spectata jam plures occidit, & in hæreses induxit juxta illud D. Pauli 2. Corinth. 3. ℣. 6. dicentis: *litera occidit.* Sic Sabellianos occidit illud Joan. 10. ℣. 20. *Ego & Pater unum sumus.* Ex quo nudæ innixi literæ inferebant, Patrem & Filium, per consequens etiam Spiritum S. esse unum secundum Personalitatem, cum tamen juxta genuinum Christi sensum, Judice Ecclesia, Christus significet his verbis, se cum Patre unum esse secundum Essentiam, non secundum Personam. Arianos etiam

etiam occidit litera illorum verborum Chrifti apud Joan. c. 14. ℣. 28. *Pater major me eft*: putabant enim, hoc effe abfolute affertum, cum tamen fecundum judicium Ecclefiæ & PP. Chriftus ibi loquatur de fe ut homine præcife. Sic innumeri alii in errores graviffimos inciderunt una nixi litera, nec alium legitimum Interpretem aut Judicem admittentes. P. 2. m. Senfus S. Scripturæ fæpius eft dubius & obfcurus: ergo tunc eft alius Judex & interpres quærendus, ne dubium per dubium, obfcurum per obfcurum explicetur. a. conftat ex priore articulo.

P. 3. Variæ funt controverfiæ fidei & Religionis, de quibus nulla, vel non fufficiens mentio fit in S. Scriptura: ergo in his non poteft effe Judex. a. p. exemplis: quæftio eft, an libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ & Machabæorum fint canonici, vel non? negant Lutherani, affirmant Catholici, & de hac controverfia nulla fit mentio in Scriptura. 2. In controverfia de numero Sacramentorum, in quo nos & Adverfarii adeo difcrepamus, nihil definit clare S. Scriptura. 3. Fuit quæftio olim, an baptizati ab hæreticis effent baptizandi, affirmante S. Cypriano, negante S. Stephano? neutra autem pars ex S. Scriptura potuit decidere, fed ex Traditione & Ecclefiæ praxi. Et fic de pluribus aliis.

Affero 2. Nec talis Judex vel Interpres eft Spiritus privatus. 58. Catholici contra Schwencfeldianos, & eorum Ducem Schwencfeldium, qui non Scripturam, fed Spiritum privatum, feu privatam Spiritus S. revelationem, ut Judicem audiendum effe docet. Hic enim tefte Hofio L. 1. de Hæref. noft. temporis apud Prateol: *cum videret, Lutheranos, & Sacramentarios, & Anabaptiftas, & omnes non hujus modo tempeftatis, verum etiam prifcorum fæculorum hæreticos e Scripturis errores fuos confirmare* —— *excogitavit & ipfe novam hærefin, ac Scripturarum nixus præfidio, Scripturis authoritatem omnem abrogare conatus eft; fic enim loquitur cum fuis: non oportet quemquam Legis aut Scripturæ effe peritum, fed a Deo doctum: nam etfi millies percurreris Bibliorum lectionem, tamen non nifi Scripturæ peritus evades, & nunquam a Deo doctus.* —— *Non convenit Chriftiano, Scripturæ nimium addictum effe. Deum audire oportet: hujus voces de cælo exfpectandæ funt, ut erudiant. Beatus vir, inquit David, quem Tu erudieris Domine. Æque nos docet hodie, atque olim Patriarchas & Prophetas. Vifionibus & fomniis attendendum: illis enim loquitur nobis Deus Vox Dei recte docet. Scriptura non eft Verbum Dei, fed mortua tantum litera, & inter alias creaturas reputanda.* Ita defcribit Hofius errorem Schwencfeldiorum. Hanc tam craffam ftultitiam licet non amplectantur adæquate

quate alii extra Scwencfeldianos, moderni tamen hæretici omnes docent, Spiritum Sanctum Scripturæ Interpretem non esse alligatum Episcopis, vel ulli hominum generi, & ideo unumquemque judicem debere esse, sive Spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat, sive alicui alteri adhærendo, quem eodem Spiritu præditum viderit. Contra hos igitur

P. Assertio. Ille Spiritus privatus est manifeste reprobatus: ergo non potest esse judex & Interpres controversiarum fidei & Scripturæ infallibiliter. a. prob. multipliciter:

Primo est reprobatus a Deo, ut patet in Maria Moysis Sorore, & Aarone fratre, qui murmurantes contra Moysen, & putantes sibi æque, ac illi Dominum loqui per Spiritum illum privatum, vel privatam revelationem Num. c. 12. ℣. 2. *Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter locutus est?* ob quod Dominus iratus, gravi lepra percussit Mariam sororem Moysis. Deinde c. 13. ℣. 3. Dei jussu dicit Ezechiel: *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident.* Ergo reprobat Deus Spiritum illum privatum.

Reprobatur etiam ab Ecclesia: sic teste Eusebio L. 5. Hist. Eccl. c. 15. eo ipso, quod Montanus, & Maximilla prophetare, hoc est, suas privatas prætensas revelationes manifestare cœperint, eos hæreticos declaravit Ecclesia.

Reprobatur etiam naturali ratione. Vel ille Spiritus privatus diceret semper falsum, vel semper verum? si primum: per se non esset aptus Judex controversiarum, utpote a quo nulla veritas, quæ tamen quæritur, speranda foret. Si diceret semper verum, contradictoria possent simul esse vera, ut iste Spiritus apud Lutheranum diceret: Christum in Eucharistia esse præsentem cum pane in sumptione. Apud Calvinistam diceret: non esse præsentem, quæ sunt contradictoria, quæ simul vera esse nequeunt: adeoque hic Spiritus privatus repugnat etiam rectæ rationi. Adde, si Spiritus iste privatus est Judex infallibilis, cur Lutheranus non acquiescit in omnibus Calvinistæ per Spiritum privatum edocto? Nempe complacet sibi sensus humanus in suis inventionibus, & quivis sibi blanditur, se habere verum Spiritum, verum Scripturæ sensum, & sic nunquam fiet unio, sed erunt non raro tot sententiæ, quot homines, quia diversis diversa placent. Itaque alius investigandus S. Scripturæ Judex, qui controversias felicius dirimat, rationem afferat, & irrefragabilem fidem mereatur. Et hunc dabit sequens

Assertio 3.

Assertio 3. Judex infallibilis controversiarum fidei, Scripturæ & Religionis est Ecclesia. Catholici contra Hæreticos.

P. 1. ex S. Scriptura. Aggæi 2. ℣. 12. sic Dominus loquitur ad populum suum: *Interroga Sacerdotes legem:* ergo lex sacra, & ejus sensus ab Ecclesiæ Principibus seu Sacerdotibus, consequenter ab Ecclesia est requirendus.

P. 2. ex continua praxi Ecclesiæ. *Primo* jam tempore Apostolorum prædicantibus Antiochiæ Paulo & Barnaba, orta est gravis de circumcisione, & legalibus controversia: asserebant cum Cerintho aliqui ex Judæis conversi, gentiles per fidem Christi non posse salvari, nisi circumcisi, cæteras servarent Legis Mosaicæ Ceremonias; negabant Paulus & Barnabas, ut legitur Act. 15. ℣. 2. Jam ad controversiam illam dijudicandam non ad Scripturam tanquam Judicem, nec ad Spiritum privatum recurrendum esse dixerunt illi ambo Apostoli & Prophetæ, ambo Doctores, ambo a Spiritu S. docti & illuminati, ac ad prædicandum gentilibus Evangelium electi: sed de communi partium consensu recurrunt ad Ecclesiam, hoc est, ad Apostolos & Seniores, ut ipsi hac de re in generali Concilio judicarent, & reapse Apostoli Jerosolymis conciliariter congregati, & Spiritu Sancto invocato dirimentes controversiam respondere: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis Simulacrorum, a Sanguine & suffocato, & fornicatione.* Ergo docuerunt Apostoli suo exemplo, nec S. Scripturam, nec Spiritum privatum, sed Ecclesiæ Principes, & Ecclesiam ipsam esse Judicem verum controversiarum Religionis.

Secundo hæc praxis etiam post Apostolorum tempora constanter fuit continuata. Exsurrexere enim variæ controversiæ & hæreses, eæque non alio quam Ecclesiæ judicio sunt decisæ, & hæreses damnatæ: fatentur ipsi Lutherani & Calvinistæ, recte esse damnatos, & ut hæreticos habendos *Novatianos*, *Sabellianos*, *Arianos*, *Macedonianos*, *Nestorianos*, *Eutychianos*, *Monothelitas*, *Donatistas*, & *Pelagianos*. Verum illi non alio quam Ecclesiæ judicio cum suis hæresibus sunt damnati.

P. 3. ex SS. PP. uno ore id confitentibus. S. Irenæus L. 3. adversus Hæreses c. 4. ait: *Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est apud Ecclesiam sumere, cum Apostoli quasi in dives depositorium plenissime contulerint omnia, quæ sunt veritatis. . . . Propter quod oportet —— quæ est Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere & apprehendere veritatis Traditionem.* Ergo apud Ecclesiam quærenda est veritatis, & sensus S. Scripturæ Traditio.

Tertullianus jam antea docuerat de Præſcript: *Non debere cum Hæreticis diſputari ex Scripturis: quia, cum poſſeſſio & intelligentia vera Scripturarum ſit Eccleſiæ Catholicæ, prius debet conſtare, quæ ſit vera doctrina Eccleſiæ, & tunc ex illa intelligendæ Scripturæ.* S. Auguſtinus L. de unitate Eccleſiæ c. 22. ex occaſione illius celebris controverſiæ contra Donatiſtas: *an Baptiſmus collatus extra Eccleſiam ab hæreticis ſit validus, nec propterea iterandus?* probat, hoc ex S. Scriptura firmiter probari non poſſe, ſed Eccleſiæ judicio ſtandum eſſe demonſtrat, proinde Eccleſiam eſſe ſimilium controverſiarum Judicem. Item contra Epiſtolam fundam. c. 5. dicit: *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas.* Similia adhuc plura ex SS. PP. recitari poſſent.

P. 4. Ratione Theologica. Niſi Deus ſuæ Eccleſiæ providiſſet de infallibili Judice controverſiarum Religionis & S. Scripturæ &c. Defuiſſet ei in re ſumme neceſſaria: ſed hoc eſſet contra divinam Providentiam, quæ in neceſſariis non deficit, & quæ Eccleſiam ſuam ſingulariter protegit, atque gubernat: ergo. M. videtur innegabilis; prævidit enim Deus exorituras multas & graves quæſtiones circa ſenſum S. Scripturæ & alia puncta fidei & Religionis, quæ ſine Judice infallibili terminari non poſſent: adeoque prævidit ad bonum gubernium Eccleſiæ neceſſarium talem Judicem: atqui talis Judex non poteſt eſſe ipſa Scriptura, nec eſt Spiritus privatus: ergo remanet ſola Eccleſia omnium aptiſſima; huic enim appromiſſa eſt aſſiſtentia Spiritus Sancti: hujus Præſulibus dictum eſt Matth. ult. *docete omnes Gentes*, & *ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi omnibus diebus*: de hac ex promiſſione Chriſti certi ſumus, quod *portæ inferi adverſus eam non ſint prævaliture.* Matth. 16. huic prærogativa conceſſa eſt, ut *qui eam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus* Matth. 18. Hæc ſola 1. Timoth. 3. dicitur *columna, & firmamentum veritatis.* Ergo hæc merito ſtatuitur, imo ſtatuta a Deo cenſenda eſt Judex infallibilis controverſiarum fidei, Scripturarum, & Religionis.

Id, quod modo omnino tenendum eſt poſt Concilium Tridentinum, quod Seſs. 4. Decreto de editione & uſu Sacrorum librorum ita pronuntiat: *ad coërcenda petulantia ingenia decernit S. Synodus, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum; aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam ſacram Scripturam interpretari audeat.*

Objectio-

Objectiones contra assertionem primam.

Objic. 1. Verbum Dei verissimum est; ergo est tutissima regula controversiarum fidei & Scripturarum. ℞. d. a. verissimum est, sed tamen non semper clare de ejus existentia, vel sensu constat, nisi ad aliam regulam vel Judicem recurratur c. a. secus n. a. &c. Cum S. Scriptura non in omnibus sit clara, & de quibusdam libris dubitatum sit, an sint Divini, non potest esse sui ipsius sufficiens Judex & Interpres. Hinc Propheta Regius Legis divinæ peritissimus, sæpius invocat lumen, ut S. Scripturæ sensum rite intelligat: *da mihi*, clamat, *intellectum, & scrutabor legem tuam.* Et Deuteron. c. 17. ℣. 8. legitur: *si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam & causam, ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotem Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Ubi alius Judex statuitur quam ipsa Lex, quando hæc est difficilis & ambigua.

Objic. 2. In veteri Testamento Judæi exorta controversia aliqua mittebantur ad S. Scripturam tanquam Judicem, juxta illud Isai 8. ℣. 20. *ad Legem magis & ad testimonium.* Ergo & in novo Testamento.

℞. n. a. quod non dicunt laudata Isaiæ verba: agitur enim ibi, ut ex ℣. præced. 19. liquet, contra eos, qui Pythonissas & Ariolos superstitiose consulebant: & remittuntur partim ad Legem, partim ad testimonium Prophetarum. Sensus ergo Isaiæ est: si vultis in notitiam futurorum eventuum venire, non debetis Pythonissas consulere, ut fecit Saul 1. Reg. c. 28. ℣. 7. quia hoc est in Lege, ad quam vos remitto, a Deo prohibitum, sed consulite Prophetas, quorum officium est, futura prædicere. Ex quibus colligitur, nihil hoc textu agi de Judice controversiarum fidei, vel S. Scripturæ.

Objic. 3. Ipse Christus Dominus ad Scripturam tanquam Judicem provocabat ad dirimendam controversiam illam, qua Judæi ipsum negabant esse filium Dei, dicens Joan. 5. ℣. 39. *Scrutamini Scripturas:* ergo Christus ipse S. Scripturam agnoscit esse talem Judicem.

℞. n. a. Christus non remisit Judæos ad Scripturam tanquam ad controversiæ de sua divinitate Judicem, sed ut ad fidelem testem, cujus authoritatem, utpote firme in eam credentes, Judæi rejicere non poterant. Legatur citatus Scripturæ locus, & evidenter apparebit, Christum Judæis prius allegasse testimonium S. Joannis Præcursoris, postea provocasse ad opera & miracula a se patrata, deni-

que ad ipſam S. Scripturam, quaſi dicere voluiſſet: non creditis de me teſtimonio Joannis, ad quem exiſtis in deſertum, nec creditis miraculis meis & operibus: ergo conſulite S. Scripturas veſtras, quas certa fide tenetis, atque hæ divinitatis meæ teſtimonium ferent apertum. Sic enim ait Chriſtus cit. loc. ℣. 33. *Vos miſiſtis ad Joannem, & teſtimonium perhibuit veritati*, ſcilicet dum dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Dein ℣. 36. ait: *Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne - - - - ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Dein addit ipſum teſtimonium Patris ℣. 37. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*, nempe cum in meo baptiſmo intonuit de cœlo Matth. 3. ℣. 16. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* quia autem Judæi rejiciebant hæc teſtimonia, S. Scripturam in teſtem infallibilem adduxit ℣. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Loquitur ergo ibi de teſtimonio ſuæ Divinitatis, non de Judice controverſiarum.

Objic. 4. Act. 17. ℣. 11. ſcribitur, quod cum Berææ Dei Verbum prædicaret D. Paulus, audiverint ipſum Beræenſis cum omni aviditate, examinantes omnia, an eſſent conformia S. Scripturis, quæ a Paulo dicebantur: ergo agnoſcebant illi Scripturam controverſiarum fidei Judicem. ℞. n. c. ad Scripturam illi non recurrebant ut ad Judicem, ſed ut motivum ſuſcipiendæ fidei; cum enim Paulus ſuam doctrinam, quam de Chriſto prædicabat, roborabat adductis teſtimoniis veteris Teſtamenti, ſcrutabantur quotidie Scripturas, & cum his dicta Apoſtoli conformia deprehenderent, moti ſunt ad credendum, *& multi quidem crediderunt ex eis.* ibidem ℣. 12. Infideles necdum in rebus fidei ſolide inſtructi, aut de credibilitate myſteriorum noſtrorum convicti, poſſunt quidem, & etiam debent inquirere in veritatem eorum, uti iſti fecerunt: aſt nobis non licet amplius dubitare de illis, & ea ad examen vocare, cum ea teneamur credere, utpote nobis propoſita ab Eccleſia vera, quæ in his infallibilis eſt, prout iterum obligamur credere.

Satisfit Objectionibus contra ſecundam Aſſertionem.

61. Objic. 5. Iſai c. 54. ℣. 13. dicitur: *ponam univerſos filios tuos doctos a Domino.* Et Joan. 6. ℣. 45. *erunt omnes docibiles Dei:* ergo quilibet poteſt eſſe Judex & interpres veri ſenſus S. Scripturæ.

℞. n. c.

R. n. c. Hi textus & ſimiles minime loquuntur de Spiritu privato, ſed Iſaias & Joannes agunt de doctrina Evangelii, quam Deus ipſe, nimirum Chriſtus prædicavit & docuit, prout exponit S. Cyrillus. Vel de gratia Spiritus Sancti, qua homo interne illuſtratur, & ſuaviter impellitur ad credendum & amandum, ut interpretatur D. Auguſtinus L. de gratia Chriſti c. 12. & 13.

Neque favet Adverſariis illud Jerem. 31. ℣. 34. *Non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens, cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me a minimo eorum uſque ad maximum.* Neque illud ℣. 33. antea dictum: *dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum.* Nam hic Propheta non loquitur de myſteriis abſconditis Scripturarum, ſed de cognitione Dei unius, quæ Prophetia impleta eſt, cum Gentiles & Idolorum cultores converſi ſint ad fidem, ipſique Judæi olim proclives ad Idololatriam, & Turcæ, licet impii, unum Deum nobiſcum colant.

Reſponderi poteſt ſecundo cum D. Auguſtino L. de Spirit. & lit. c. 24. illis verbis: *dabo legem meam &c.* ſignificari gratiam novi Teſtamenti, fidem nempe per charitatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus noſtris, ut non tantum ſciamus, ſed & impleamus divina mandata. Illis vero: *non docebit ultra &c.* ſignificari proemium talis operantis fidei, beatitudinem ſcilicet, in qua omnes Electi videbunt Deum facie ad faciem, & in Eo omnes veritates.

Ulterius dici poteſt, Chriſtianos omnes eſſe doctos a Domino vel immediate, vel mediate. Primis Chriſtianis, ſeu diſcipulis ſuis & Apoſtolis Chriſtus immediate prædicavit, hi aliis, & iſti iterum aliis, quæ a Chriſto ſunt prædicata, poſteris annunciaverunt, & adhuc ſic annuntiant: ſic omnes a Deo ſaltem mediate docti eſſe poſſunt dici, ut verificetur illud ad Hebr. c. 1. ℣. 1. *olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt in filio.*

Dum Joan 7. ℣. 16. Chriſtus ait: *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me: ſi quis voluerit voluntatem meam facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit.* Non eſt ſenſus, quod facere voluntatem Dei unice ſufficiat ad cognoſcendam & dijudicandam doctrinam divinam, ſed quod iſte, qui hoc facit, utpote pravis affectibus, qui cognitionem Divinorum impediunt, minus infectus, ſit magis diſpoſitus ad talem cognitionem.

Dum 1. ſua Epiſt. c. 2. ℣. 27. S. Joannes ait: *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, - - - &*

ſicut docuit vos, manete in eo. In hoc textu non excludit S. Apoſtolus inſtructionem externam Paſtorum & Doctorum: alias Chriſtus fruſtra Eccleſiæ dediſſet alios Evangeliſtas, *alios Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii in ædificationem corporis Chriſti*, prout tamen Paulus aſſerit Epheſ. 4. ℣. 11. Imo & ipſe Joannes fruſtra in hac prolixa ſua Epiſtola doceret fideles: Sed excludit ſolummodo inſtructionem provenientem a Pſeudo Doctoribus & Apoſtatis; ait enim eadem Epiſt. c. 22. ℣. 6. *Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos.* Affirmat ergo, fideles illos ipſos per hæc, quæ jam didicerant per ipſum, ſatis inſtructos eſſe, & non indigere ulteriore Pſeudo-Apoſtolorum inſtructione.

Diluuntur Objectiones contra Aſſertionem tertiam.

62. Objic. 6. Matth. 23. ℣. 8: ait Chriſtus ad diſcipulos ſuos: *Nolite vocari Rabbi, unus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus.* Ergo ab ipſo ſolo, non a Præpoſitis Eccleſiæ, qui ſibi temere Magiſtrorum dignitatem arrogant, exquirendus eſt ſenſus S. Scripturæ.

℞. n. c. Non prohibet Dominus nomen & officium Magiſtri, ſed honoris illius ambitionem, & affectationem Phariſæis & Scribis Judæorum uſitatam, qui primas ambiebant Cathedras; Apoſtolus enim 2. Timoth. 1. ſe *Doctorem & Magiſtrum Gentium* appellat: & Deus utique dedit alios *Doctores*, ut ſupra dictum eſt. Deus etiam præcipuus & primus Magiſter eſt, qui ſi intus per gratiam non loquitur, docet, & movet, nihil proficient exterius docentes.

Objic. 7. Judicium Eccleſiæ eſt humanum & fallibile: ergo ab hoc non poteſt pendere verus Scripturæ ſenſus. ℞. d. a. eſt judicium mere humanum n. a. aliquo modo etiam Divinum c. a. n. c. Judicium Eccleſiæ non eſt penitus humanum, & errori obnoxium, ſed aliquo modo Dei, nempe aſſiſtente & gubernante Spiritu Sancto prolatum, ut teſtati ſunt Apoſtoli in Concilio Jeroſolymitano congregati Act. 15. ℣. 28. dicentes: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Membra & homines conſtituentes Eccleſiam, vel eam repræſentantes in talibus caſibus non conſiderantur ut homines ſibi relicti, ſed ut a Spiritu S. juxta promiſſionem divinam directi & adjuti.

Objic. 8. Nos probamus Eccleſiam per Scripturam, & Scripturam per Eccleſiam: ergo committimus vitioſum circulum. ℞. d. a. ſub diverſis rationibus c. a. ſub eadem ratione n. a. ſed tali modo non fit circulus. Probamus Scripturam per Eccleſiam *tanquam per Judicem propo-*

proponentem nobis & declarantem, quid & quo sensu ex S. Scriptura credere debeamus: Ecclesiam vero per Scripturam *tanquam per regulam inanimatam & mutam fidei*.

Adde: dum probamus Ecclesiam per Scripturam, probamus per libros Proto-Canonicos, dum Scripturam probamus per Ecclesiam, id fit secundum libros Deutero-Canonicos. Ulterius Logicæ Tyrones norunt, circulum vitiosum tunc committi, quando unum probatur per alterum, quorum neutrum admittitur, uti in casu: si quis negaret existentiam Platonis & Aristotelis, & tamen quis vellet Aristotelem exstitisse per Platonem probare, & hujus existentiam per Aristotelis. Nos Catholici in præsentiarum non sic procedimus. Probamus Ecclesiam per Scripturam ab Adversariis admissam. Forsam Adversarii vertigine sua gyrantur in circulo vitioso, dum Spiritum privatum volunt elicere ex illo Joan. 10. ℣. 27. si enim quæris, unde probent, se habere Spiritum privatum? respondebunt ex allegato textu, qui dicit: *oves meæ vocem meam audiunt:* si urges, unde probent, hunc textum loqui de Spiritu privato? respondere debent, quia alium Judicem non accipiunt, ex Spiritu suo privato. Hoc est utique idem per idem probare, & ambulare in circulo vitioso.

ARTICULUS X.

De Sensu S. Scripturæ.

Notandum est, per Sensum S. Scripturæ intelligi *veritatem per verba Sacra ex intentione Spiritus Sancti significatam.*

63. Est duplex, Literalis & Mysticus. *Literalis* est, quem verba ex intentione Spiritus S. immediate significant: qui iterum duplex est: unus *proprius*, alter *Metaphoricus*. *Prior* est, quem verba proprie accepta efficiunt, uti in his propositionibus: *JEsus Christus filius Dei. Abraham duos filios habuit.* *Metaphoricus* est, qui conflatur ex verbis improprie & metaphorice acceptis. Sic Christus dicitur *Agnus*, *Leo &c.* sic etiam Christus dicitur *sedere ad dexteram Patris*, ubi dexteræ nomine non Corporis pars, quam vocabulum hoc proprie significat, indicatur, sed honoris & potestatis æqualitas intelligitur.

Sensus *Mysticus*, seu Spiritualis est, qui non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis ex intentione Spiritus S. indicatur. Sic quæ ad literam dicuntur de egressu Judæorum ex Ægypto, de transitu maris rubri, de Manna, de aqua fluente ex petra, mystice, seu spiritua-

fpiritualiter exprimunt Baptismum, redemptionem Chriftianorum, Euchariftiam, & bona, quæ reperiuntur in Ecclefia Chrifti.

Senfus Myfticus fubdivitur in *Allegoricum*, feu *figuratum*, *Anagogicum* feu *congruentem*, & *Tropologicum* feu *moralem*.

Allegoricus dicitur, cum res geftæ in veteri Lege accipiuntur ut figuræ eorum, quæ in nova Lege implenda erant: vel quando res geftæ fignant ea, quæ ad fidem & Ecclefiam militantem fpectant: fic connubium Abrahæ cum Agar ancilla, quod poftea propter hujus & filii crimen ex ædibus expulfionem folutum eft, allegorico fenfu Synagogam fignificat, quæ mancipii loco habita, poftmodum omnino ob crimen fuum reprobata eft. Sara autem libera uxor Abrahami fignificat Ecclefiam noftram, & Ifaac ex ea genitus populum Chriftianum. Item aries inter vepres cornibus hærens, & loco Ifaaci ab Abrahamo Gen. 22. immolatus, in fenfu allegorico ut figura exprimebat Chriftum fpinis coronatum, & pro nobis in cruce immolatum.

Anagogicus, feu *congruens* eft, cum res per Verba Scripturæ fignatæ referuntur ad Patriam cæleftem. Sic per ingreffum Hebræorum in terram promiffionis, fenfu myftico & anagogico fignificatur ingreffus Electorum in Terram viventium, in cælum.

Senfus *Tropologicus*, feu *moralis* eft ille, qui ad mores informandos pertinet: fic Circumcifio, quæ apud Judæos in ufu erat, fignificabat vitiorum & cupiditatum refectionem. Rom. 2. ℣. 29. fic etiam ex verbis Deuteronomii 25. ℣. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, alendos effe veritatis prædicatores rectiffime infert Apoftolus 1. Corinth. 9. ℣. 10.

Senfus ergo *Literalis* res geftas, & Hiftoriam, *Allegoricus* res fide certas, *Anagogicus*, quæ ad felicitatem æternam fpectant, *Tropologicus* vero morum regulas refpicit juxta notos verficulos:

Litera gefta docet: quid credas, *Allegoria*:
Moralis quid agas: quo tendas, *Anagogia*.

Hos omnes quatuor fenfus unica vox *Jerufalem* habet. *Literali* fenfu fignat Judææ Metropolim: *Allegorico* militantem Ecclefiam: *Anagogico* Ecclefiam triumphantem, feu cæleftem Patriam: *Tropologico* vero animam Jufti, cujus Jerufalem, quæ alias grammaticaliter fignificat *Vifionem Pacis*, aptiffimus eft typus.

Præter hos, qui etiam a Spiritu S. intenduntur, datur adhuc alius fenfus *Accommodatitius*, feu ille, qui Scripturæ verbis nec immediate, nec mediate fignificatus ad aliquid aliud fimile applicatur: fic Eccle-

Eccleſia in Breviario illud Eccli de Noe c. 44. ℣. 17. *inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio*, cuilibet S. Confeſſori Pontifici adaptat. Hic ſenſus multum familiaris eſt Concionatoribus: ut autem hic ſenſus licite adhibeatur, ſequentes regulæ ſunt ſervandæ:

Prima eſt, ut ad res pias applicetur; piaculum quippe eſt, Scripturas transferre ad vitia, & alia ejusmodi: præcipitque Concil. Trident. ſeſſ. 4. *ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores Verbi Dei, Juris & arbitrii pœnis per Epiſcopos puniantur.* *Secunda* eſt: ut ſenſus iſte non proferatur tanquam literalis aut myſticus. Adverſus hos, qui hac ratione proferunt ſenſum accommodatitium, graviter invehitur S. Hieronymus Epiſt. ad Paulinum. *Tertia* eſt, ut literalis aut myſticus ſenſus non tradatur tanquam accommodatitius. Peccavit in hoc Theodorus Mops Veſtenus. *Quarta* eſt, ut per accommodationem S. Scripturæ ſenſus falſus non tribuatur. Contra hanc regulam deliquerunt Montaniſtæ, tribuentes Montano, quæ S. Scriptura Spiritui ſancto adſcribit.

Ex his infertur, ſenſum accommodatitium non eſſe locum Theologicum. De reliquis ſenſibus hic quæritur, & pro reſolutione hujus quæſiti ponitur ſequens unica

64. Aſſertio. Senſus Literalis & Myſticus, ſi de hoc certo conſtat, conſtituit locum vere Theologicum, ut Theologus ex eo infallibile argumentum deducere valeat. Ita Catholici contra Hæreticos non nullos, præſertim Kemnitium, literalem tantum admittentes Senſum.

P. Ille Senſus S. Scripturæ conſtituit locum Theologicum, qui a Spiritu S. eſt intentus; Spiritus enim ſanctus nec fallere, nec falli poteſt: ſed uterque ſenſus tam literalis quam myſticus eſt a Spiritu S. intentus: & quidem literalis, quia Spiritus S. voces non protulit mere materialiter, ſed voluit per eas aliquid ſignificare, docere & manifeſtare: Senſus vero myſticus, quia Spiritus S. ſæpe non ſiſtebat in litera, ſed ulterius progreſſus per ipſas res ſignificatas voluit nos inſtruere, & excitare ad fidem, ſpem, & mores Chriſtianos, charitatem, ac unionem animæ cum Deo, ita ut in ſenſu myſtico ſublimia etiam ſint myſteria recondita. Præter exempla adducta in prænotionibus etiam hæc ex ipſa Scriptura pro confirmatione hujus aſſerti ſerviunt. In veteri Teſtamento Exod. 12. ℣. 46. legitur de Agno Paſchali: *Os non comminuetis ex eo.* Quæ verba mediante Agno Paſchali ſimul allegorice ſignificabant, Chriſto Crucifixo non eſſe frangenda crura: quod S. Joannes teſtatur, dum dicit, ideo Chriſto non

effe fracta crura, *ut Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo.* In fenfu literali fuit impleta ifta Scriptura in Agno Pafchali: ergo in Chrifto impleta fuit in fenfu myftico, qui itaque fuit a Spiritu S. intentus.

Confirm. ex SS. PP. communiter hos fenfus afferentibus. S. Gregorius Nazianz. cognomento Theologus in Epift. ad Nemef. dicit: *Eft etiam in Scripturis noftris duplex fenfus, alter internus & fpiritualis, alter externus, nec literæ corticem excedens.*

S. Hieronymus Epift. ad Damafum ait: *Non funt, ut quidam putant, in Scripturis verba fimplicia; plurimum in his abfconditum eft, aliud litera, aliud myfticus fermo fignificat.* Quibus accedit & D. Thomas 1. q. 1. art. 10. *Dicendum, quod Author S. Scripturæ eft Deus, in cujus poteftate eft, ut non folum voces ad fignificandum accommodet (quod etiam homo facere poteft) fed etiam res ipfas; & ideo, cum in omnibus fcientiis voces fignificent, hoc habet proprium ifta fcientia, quod ipfæ res fignificatæ per voces, etiam fignificent aliquid. Illa ergo prima fignificatio, qua voces fignificant res, pertinet ad primum fenfum, qui eft fenfus Hiftoricus vel Literalis: illa vero fignificatio, qua res fignificatæ per voces, iterum res alias fignificant, dicitur fenfus Spiritualis, qui fuper literalem fundatur, & eum fupponit. Hic autem fenfus Spiritualis trifariam dividitur &c.* Adhuc amplius iftam rem declarat S. Bonaventura in Opufc. de reduct. art. ad Theol. "In omnibus S. Scripturæ libris „præter literalem fenfum, quem exterius verba fonant, concipitur „triplex fenfus Spiritualis, fcilicet Allegoricus, quo docetur, quid „credendum de Divinitate & Humanitate fit; Moralis, quo docetur, „quomodo vivendum fit, & Anagogicus, quo docetur, quomodo „Deo adhærendum. Unde tota Scriptura hæc tria docet, fcilicet „Chrifti æternam generationem & Incarnationem, vivendi ordinem, „& Dei & animæ unionem. Primum refpicit fidem, fecundum mo„res, tertium finem utriusque.„ Ita præclare Doctor Seraphicus.

65. Objic. 1. Senfus literalis interdum eft falfus: ergo hic non poteft effe fenfus S. Scripturæ femper veræ. a. p. Joan. 15. ℣. 1. Chriftus dicit: *Ego fum vitis, vos palmites;* & 1. Corinth. 10. ℣. 4. *Petra autem erat Chriftus.* Hi textus fecundum fenfum, quem primo litera ingerit, funt falfi; nam Chriftus reapfe nec Vitis, nec Petra eft: unde D. Paulus 2. Corinth. 3. ℣. 16. ait: *Litera occidit.*

℞. d. a. Senfus literalis mere grammaticalis interdum eft falfus c. a. Theologicus n. a. *Grammaticalis* eft, quem Grammatici refpiciunt, & voces fecundum fe ingerunt: *Theologicus* eft, quem Theologi confiderant, & qui eft fub Scripturæ verbis primario & per fe a Spiritu

Spiritu S. intentus. Prior poteſt eſſe falſus, non vero ſecundus, qualis eſt in citatis textibus, ubi a Spiritu S. intenditur ſenſus improprius & Metaphoricus primario, qui verus eſt. Ita diſcurre de pluribus aliis.

Unde Literalis ſenſus duplex eſt, proprius unus, ortus ex prima, immediata, & propria vocum ſignificatione, alter improprius & metaphoricus, ex metaphorica, figurata, & translatitia vocum ſignificatione proveniens. S. Paulus eſt intelligendus de litera male intellecta, prout jam plures Hæreticos occidit. Dein ſenſus literalis multum eſt obſcurus in aliquibus, non in omnibus. In quibus autem eſt obſcurus, non poteſt intelligi ab intellectu humano ſibi relicto, bene ab Eccleſia, cui promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritus Sancti.

Objic. 2. Senſus Myſticus adhuc obſcurior eſt, & magis latet, quam literalis: ergo ex hoc argumentum Theologicum non poteſt deduci. a. patet ex Doct. Angel. 1. p. q. 1. art. 10. ad 1. ubi etiam allegat D. Auguſtinum. ℞. d. a. aliquando c. a. ubique n. a. & d. conſ. ex ſenſu myſtico obſcuro, de quo loquuntur SS. Auguſtinus & Thomas c. c. ex ſenſu myſtico, de quo certo conſtat per judicium Eccleſiæ vel Traditionem n. c.

Objic. 3. Ex Senſu accommodatitio non deducitur certum argumentum Theologicum: ergo neque ex Myſtico. ℞. n. c. & parit. Senſus accommodatitius eſt ille, quem Interpres vel homo ſua dexteritate invenit: Myſticus eſt, quem Spiritus S. intendit. Ergo magna eſt diſparitas.

66. Ad alia elidenda dubia adverte: Aſſertionem hic poſitam & defenſam intelligendam eſſe de ſenſu literali proprio: de hoc enim certo conſtat, quod ſit a Spiritu S. intentus, non item de ſenſu literali improprio, ſeu Parabolico & metaphorico, qui ſæpe eſt abſconditus, adeo, ut ipſi Apoſtoli, quibus tamen datum erat *noſſe myſterium regni cælorum*, rogaverint Chriſtum: *Domine, ediſſere nobis Parabolam.* Senſus itaque iſte improprius nunquam miniſtrat infallibile argumentum, niſi de ipſo conſtet ex alio Scripturæ loco, vel definitione Eccleſiæ, aut Traditione. Quod etiam de ſenſu myſtico eſt obſervandum, prout in Aſſertione eſt limitatum.

Ex Sixto Senenſi L. 3. ſuæ Biblioth. diſcere potes, ex quibus fontibus ſenſus S. Scripturæ literalis, & quicunque alius hauriendus ſit. Sic ſcribit metrice:

Hiſtoriam Hebræis & Græcis fontibus hauſtam
Hieronymo diſces Duce.
Allegorias, Anagogiasque recludent
Origenes, Ambroſius.
Exponent ſenſus formandis moribus aptos
Chryſoſtomus & Gregorius.
In dubiis, altaque locis caligine merſis
Aurelius lucem feret.
At brevis & facilis, ac non ſpernenda Tyroni
Lirinenſis expoſitio.

ARTICULUS XI.

De Utilitate, vel neceſſitate Lectionis S. Scripturæ, ſicut & de modo legendi eam.

67. De hoc multi multa ſcripſere, ex quibus pauca contraham.

Dico itaque: Lectio S. Scripturæ animarum Paſtoribus, & earum curam habentibus vel exercentibus, & omnibus Theologis ſumme utilis, imo quodammodo eſt neceſſaria. Ita certa Catholicorum ſententia.

Paſtor animarum tenetur fideles ſuæ curæ creditos inſtruere, ipſis prædicare, & docere Evangelium, ac legem divinam: ſed quomodo hoc præſtabit, niſi diligenter ſcrutetur, & legat Sacros Libros divinæ Scripturæ, in quibus hæc omnia continentur? Item talis Paſtor, & quilibet vere doctus Theologus debet fidei adverſariis, qui foris & extra Eccleſiam ſunt, ſcite data occaſione reſpondere, eorum errores detegere & refellere; unde autem contra hos ſumet arma apta, niſi ex S. Scriptura, & ſedula ejus lectione, ac ſtudio.

Recte igitur Ignat. Hiacynthus Amat. de Graveſon Tom. 7. qui tractat de S. Scriptura, in Præfatione ait: "Hic Theologiæ Candidatum obiter monitum velim, neminem poſſe evadere & audire „Theologum ſuis omnibus numeris abſolutum, qui ſacros Libros „non legerit, & ex his divinæ Scripturæ venis cœleſtis doctrinæ Chriſti theſauros effoderit. - - - Proh dolor! inſurgunt undique in Chriſtianam Religionem accerrimi hoſtes, qui nullum non movent lapidem, ut eam ab imis fundamentis ſubruant. Ethnici & Athei rationem ſupra fidem temere extollunt; Hæretici ſacra fidei dogmata „aperto Marte impetunt. Sunt, qui ludicra Poëtarum figmenta

„ample-

„amplectuntur, & cœlestia fastidiunt mysteria. Sunt, qui Ethices „Christianæ integritatem corrumpunt. Uno verbo in ea infausta, „& calamitosa incidimus tempora, in quibus velut effractis omnibus „Religionis repagulis longe lateque grassantur vitia, exulant virtu„tes, periclitatur fides, mutatus est Christianismi color optimus. „Unde igitur, quæso, ad propellendum tot irrumpentium hostium „impetum arma sumet Theologus? -- nisi ex S. Scriptura, quæ arx „est munitissima, ex qua mille clypei pendent, & quæ, ait Aposto„lus 2. ad Timoth. c. 3. *divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad ar„guendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus „bonum instructus.* Felix igitur Theologus ille, qui post degustatas „humanas disciplinas, & emensum Theologiæ Scholasticæ stadium, „Sacros Libros in sinu suo jugiter circumfert, & in deliciis habet, „hos nocturna versat manu, versatque diurna, singula in his pia cu„riositate cognoscere, disquirere, & excutere avet, atque in his se„dulo meditantem placida mors occupat. Si hanc fortunatam sortem „nancisci desideres, amice Lector, Sacrorum voluminum lectione „nihil antiquius habeas: *Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus ma„nifestus sit omnibus, attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim fa„ciens, & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* 1. Timoth. 4. Huc„usque P. Graveson. Ex quibus facile intelligis, quam utile, & quodammodo necessarium sit studium S. Scripturæ alicui Theologo, & Pastori.

Hoc etiam confirmat Tirinus in Præfatione, quam præmittit suo in S. Scripturam Commentario, ubi statim ad initium ait: "S. „Scriptura nihil est utilius homini Christiano, nihil jucundius, nihil „Theologo scitu magis necessarium;„ & paulo inferius: "a S. Scri„ptura ut fundamento, ut motrice, ut Magistra pendent omnia: „sine hac nec Theologia solida, nec aliæ scientiæ perfectæ: sine hac „nec cathedræ stant, nec pulpita: sine hac vaga & vana omnis Di„sputatio, insulsa omnis quæstio, insipida de Divinis colloquia: sine „Scripturæ adminiculo nec tuto instruas proximum, nec sine peri„culo concurras cum hæreticis, cum Politicis, cum Judæis, cum Ma„hometanis, cum Atheis: quin & in amicis confabulationibus, ma„xime cum Personis generosis & cordatis, quam probrosum Theolo„go, non ad unguem callere S. Scripturam? vidi ego non semel „cum magno meo rubore cespitantes, hæsitantesque insignes Theolo„gos, cum a viris gravibus super mensa, vel in rheda, vel in navi „rogitarentur varia ex Scripturis etiam sat obviis, nec quidquam re„sponderent ad rem, v. g. ex Psalmis, quis esset ille Draco, *quem*

„*formavit Deus ad illudendum ei.*„ Affert dein plura ſimilia exempla. poſt hæc ſic pergit: "& ſimilia infinita, quæ niſi promte, ſolideque „diſſolveris, næ ſannis exploderis, & ſib lis. Levia tamen hæc: „grave Theologum, animarum Paſtorem, Verbi Dei Præconem, cæ- „teroqui fervidum ac zeloſum, cum Hæreticis compoſitum, ad ma- „num non habere, quo blaſphema illorum ex corruptis vel mutila- „tis Scripturis deliria detegat, quibus cultum Dei, Invocationem „Sanctorum, venerationem imaginum, neceſſitatem bonorum ope- „rum, juſtificationem fidelium, uſum tot Sacramentorum, liberum „arbitrium, Romani Pontificis primatum, SS. Conciliorum, PP. & „DD. Eccleſiæ authoritatem, Sacerdotum cælibatum, - - denique „myſteria omnia Chriſtianæ fidei convellere nituntur. Et quis non „ingemiſcat, in ſolemni pugna blateronem hæreticum audaciſſime „quidvis effutire, Catholico Doctori aquam hærere?„ Ex quibus iterum deduces, ſummam neceſſitatem lectionis & ſtudii S. Scripturæ incumbere Theologo, & Paſtori animarum.

Liceat ergo ſingulos Theologos, animarum Paſtores &c. alloqui hiſce verbis Joſue 1. ℣. 8. *Non recedat volumen Legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo cunctis diebus & noctibus, ut facias ea, quæ ſcripta ſunt in eo.* Et ut etiam prædices, doceas &c. Audite etiam S. Hieronymum ita ſcribentem apud Mabillonium de ſtudiis Monaſticis T. 1. p. 2. c. 2. *Divinas Scripturas ſæpius lege, imo nunquam de manibus tuis S. lectio deponatur.* Et iſta, quæ S. Chryſoſtomus Hom. 9. in c. 3. ad Coloſſ. etiam ſæcularibus inculcavit, magis ſtringent animarum Paſtores, & Theologos. *Audite, quicunque præeſtis, quomodo vobis quoque mandet maxime Apoſtolus legere Scripturas, non leviter, nec temere, ſed magno ſtudio & diligentia. - - Hoc eſt omnium malorum cauſa, neſcire Scripturas.* Singulariter clariſſimus Mabillonius jam ſupra laudatus, ſtudium & lectionem Sacræ paginæ neceſſariam & utilem contendit Monachis, ac Religioſis: pro quo afferto varia teſtimonia allegat SS. Patrum: unum ex eo recito Iſidori Peluſiotæ, qui ita ad Cyrum Monachum ſcripſerat: *Sacroſancta volumina, quæ divinarum Scripturarum teſtimonium habent, ſcalæ quædam ſunt, quibus ad Deum aſcenditur, quam ob rem ea omnia, quæ in Eccleſia proponuntur* (id eſt, approbantur,) *tanquam probum aurum excipe, ut quæ divinæ veritatis Spiritu velut igne purgata ſunt: quæ autem extra hoc volumen circumferuntur, etiamſi quidpiam habeant, quod ad gravitatem, vitæque honeſtatem queat allicere, iis, qui a tuis certaminibus remoti ſunt, inveſtiganda & obſervanda relinque, iis nempe, qui verborum pompæ potius ſtudent &c.* Hujus etiam ſententiæ eſt Caſſianus coll. 14. ubi addit, ut hujus-

hujusmodi ſtudium rite abſolvatur, exactam legum divinarum obſervantiam, cordis puritatem, humilitatemque prærequiri.

S. Proſper in libro Epigrammatum animat, & invitat nos ad legendam S. Scripturam his verſibus, quos Annatus ex illo adducit:

Quamvis in ſacris libris, quos noſſe laboras,
Plurima ſint, Lector, clauſa, & opaca tibi;
Invigilare tamen ſtudio ne deſine ſancto;
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit;
Vltro objectorum vilius eſt pretium.
Oblectant adoperta etiam myſteria mentem:
Qui dedit, ut quæras, addet, ut invenias.

Nunc breves ſubjungam regulas, quibus obſervatis facile & utiliter S. Scriptura legetur: ſubin ſequentibus articulis illa, quæ difficilem intellectum SS. librorum reddunt, mitigare, vel omnino tollere laborabo. Eſt itaque

Regula prima, quam dat S. Auguſtinus L. 3. de Doctr. Chriſt. c. 10. *Quidquid in ſermone divino neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem proprie referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas.* Ex hac regula facile conjicies, Scripturam non proprie, ſed figurate & metaphorice intelligendam eſſe, dum de Chriſto ait, quod ſit *Agnus, Leo, Lapis angularis, vitis, oſtium.* Sic etiam figurate accipias illud Matth. c. 18. ℣. 8. *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te.* Hæc, ut verba primo ſonant, ſunt contra bonos mores, & ſignificant quid illicitum; quapropter, quia in obvio literali ſenſu, quem verba reddunt, intellexit Origenes, fuit ab Eccleſia damnatus. Per *manum* & *pedem* igitur ſignificatur amicus tibi æque charus, ac manus vel pes, qui ſi tibi eſt ſcandalo in via ſalutis, oportet illum moraliter abſcindere, ſeu vitare. Hæc regula paucis verbis abſolvitur ab Annato: *eſt collatio Scripturæ cum fide, & bonis moribus.* 68.

Secundam ſuppeditat S. Hieronymus L. 2. in Jerem. c. 8. ſcribens: *Perſonarum mutatio, & maxime in Prophetis, difficilem intellectum facit, quæ ſi ſuis locis, & cauſis, temporibusque reddantur, plana fient, quæ videbantur obſcura.* Eſt ergo hic canon: *collatio Scripturæ cum loco, tempore, Scopo & Perſona ſcribentis.* Hinc recte notat Hieronymus, ſolere Scriptores ſacros climata, & mundi plagas, ac regionem juxta Jeroſolymæ ſitum deſignare.

Tertia

Tertia regula apud Annatum eſt: *collatio Scripturæ cum Scriptura.* Huc facit illud D. Auguſtini jam ſuperius allatum ex L. 2. de Doctr. Chriſt. c. 6. *Nihil fere de obſcuritatibus Scripturæ eruitur, quod non alibi planiſſime dictum reperiatur.* Hujus rei exemplum habemus de duratione Regni Anti-Chriſti, quæ apud Danielem c. 7. ℣. 25. ſatis obſcure indicatur his verbis: *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Aſt clare ſignificatur in Apocalypſi Joannis c. 11. ℣. 2. *menſibus quadraginta duobus:* quod amplius declaratur ℣. 3. dum dicitur: tunc, quando & quamdiu regnabit ille Homo peccati, duos teſtes, Henoch nempe & Eliam prophetaturos *diebus mille ducentis ſexaginta.* Ex utroque hoc textu clare infertur, Anti-Chriſtum regnaturum annis tribus & dimidio, quod obſcure ſatis erat ſignificatum *per tempus & tempora, & dimidium temporis.*

Quarta regula eſt: *collatio S. Scripturæ cum SS. PP. ſententia.* Nam juxta Tridentinum non licet S. Scripturam interpretari contra unanimem SS. PP. ſententiam. Et quis neget, multum conferre ad S. Scripturæ intellectum, Patrum, eruditione & ſanctitate præſtantium, ſententiam, qua etiam Ecclesia in ſuis definitionibus uti ſolet, ut conſtat ex illo in Conciliis toties audito: *Hæc eſt fides Patrum.* Unde etiam in Viennenſi Oecumenico Concilio a Clemente V. S. Pontifice dictum eſt: *Nos ad SS. Patrum, & Doctorum communem ſententiam Apoſtolicæ conſiderationis aciem convertentes &c.*

Ultima regula eſt: *collatio Scripturæ cum Eccleſiæ judicio.* Hæc eſt ſecuriſſima, nec ulteriore probatione opus eſt, ex ſuperius dictis de Judice S. Scripturæ ſatis patet.

69. Præter hos Canones requirit Annatus inſuper aliquas diſpoſitiones in legente S. Scripturam. 1mo *fidem*, quia, *niſi credideritis, non intelligetis*, ait de ſe ipſa S. Scriptura c. 7. ℣. 9. Iſaiæ juxta 70. Interpretes. 2do *humilitatem:* nam *ubi humilitas, ibi Sapientia* Proverb. 11. ℣. 2. Hinc apud Mabillonium de ſtudiis Monaſt. p. 2. c. 2. §. 1. S. Nilus ſcribens Palladio Monacho ait, Monachum legere volentem ſacrum Codicem debere carere vitio & affectu Cenodoxiæ, id eſt, vanæ gloriæ. 3tio *Conſcientiæ puritatem:* quia juxta illud Sap. 5. ℣. 4. *in malevolam animam non introibit ſapientia.* 4to *orationem*, quam ipſe David adhibuit, & ſæpius repetiit: *da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. Revela oculos meos.* Unde monet S. Scripturæ ſtudioſos D. Auguſtinus L. 2. de Doctr. Chriſt. c. 37. *quod eſt præcipuum, & maxime neceſſarium, orent, ut intelligant.* 5to *aſſiduam* Lectionem S. Scripturæ, prout inter alia ſuperius adducti verſus S. Proſperi nos inſtruunt.

ARTICU-

ARTICULUS XII.

Explanantur potiores Idiotifmi feu Proprietates Linguæ Hebraicæ & Græcæ frequenter in S. Scriptura occurrentes.

Inter impedimenta, quæ Lectori S. Scripturæ hanc difficillimam intellectu reddere poffunt, plane non ultima funt Hebraifmi, & Græcifmi; habet enim Lingua facra, feu Hebraica, Scripturæ facræ, & ut pluribus placet, totius generis humani primitiva, fibi proprios ac peculiares loquendi modos, fubtiles, breves, & energicos, fed Theologiæ & S. Scripturæ ftudiofis & Candidatis, & multis aliis admodum difficiles, obfcuros, & impervios. Hos ergo pro faciliore S. Scripturæ lectione & ftudio hic explanare aggredior. Proinde

1. Hebræis, Græcis & Chaldæis familiare eft libros fuos ordiri ab *Et*, *autem*, *igitur*, *ergo*. Exempla hujus funt initia Levitici, Numerorum, Jofue, 2. 3. & 4. Regum, 2. Paralipomenon, 2. Efdræ, Judith, Threnorum, Baruch, Ezechielis, Jonæ, prioris Machabæorum. Ratio hujus effe poteft: quia ifti S. Scriptores contemplabantur rem aliquam jam præteritam, cum qua iftud, quod modo fcriptis mandabant, colligatum per tales particulas volebant, five res illa effet tantum mente comprehenfa, five jam fcripta in alio volumine.

2. Quia cafibus carent Hebræi, eodem nomine invariato per omnes cafus utuntur: hinc & verfores interdum per Antiptofin cafum pro cafu ponunt, ut 2. ad Corinth 8. ℣. 23. *five pro Tito*, *five fratres noftri*: ubi deberet effe: *pro fratribus noftris*. Pfal. 3. ℣. 2. *Multi dicunt animæ meæ*, pro: *de anima mea*, ut notat Genebrardus in fuis in Pfalterium commentariis. Et Pfal. 4. ℣. 1. *In tribulatione dilatafti mihi*, pro *me*. Et ad Ephef. 2. ℣. 2. *Spiritus*, pro *Spiritum*: & alia alibi.

3. Loco generis neutrius, quo Hebræi carent, adhibent tam mafculinum, quam fœmininum, hoc frequentius, prius rarius. Sic Genef. 2. ℣. 18. dum dicitur in noftra verfione: *non eft bonum*, *hominem effe folum*, ponitur in Hebræo textu טוב *Tob* mafculini generis. Pfal. 26. ℣. 7. habetur: *unam petii a Domino*, pro: *unum petii*, fœmininum pro neutro. Frequens eft in Hebræorum lingua generum mutatio, facta relatione ad æquipollens fubftantivum, ait Genebrardus: & patet Pfal. 39. ℣. 6. ubi dicitur: *multiplicati funt fuper numerum*, pro: *multiplicatæ funt*; eft enim ibi locutio de *cogitationibus* Dei: Verfor fubaudit, vel hoc verbum refert ad æquipollens fubftantivum *cogitatus*.

4. Quia comparativo carent Hebræi, eum interdum per positivum explicant, ut Pſal. 117. *Bonum eſt* (id eſt, melius eſt) *confidere in Domino, quam confidere in homine.* Interdum etiam exprimunt per additionem particularum *Præ*, & *Super.* Ut Pſal. 44. ℣. 3. *Specioſus forma præ filiis hominum*, id eſt, *ſpecioſior filiis hominum.* Pſal. 51. ℣. 5. *Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem*, id eſt, *plus* quam benignitatem vel bonitatem. Aliquando inſtituunt comparationem ſine particulis, unum, quod præferunt, affirmando, alterum, quod poſtponunt, negando. Ut Oſeæ c. 6. ℣. 6. *Miſericordiam volui, non ſacrificium*, id eſt, *magis* quam ſacrificium. Et illud Pſal. 21. ℣. 7. *Ego autem ſum vermis & non homo*, id eſt, *ſimilior vermi*, quam homini.

5. Superlativum, quo etiam carent Hebræi, primo exprimunt per adverbium מְאֹד *Meod* Latine *valde:* ſic dicitur Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, id eſt, *optima.* Secundo per adjectivum cum genitivo alterius nominis ſubſtantivi, ut Pſal. 44. *vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, id eſt, *populorum ditiſſimi.* Vel 3. addendo nominativo genitivum pluralis ejusdem nominis, ut *Canticum canticorum*, id eſt, *excellentiſſimum* Canticum. Et Eccl. 1. ℣. 1. *Vanitas Vanitatum*, id eſt, *maxima vanitas*, vel *res vaniſſima.* 4. Ut docet egregie Franciſcus Haslbauer vir Hebraice doctiſſimus in ſuis fundamentis grammaticis linguarum Hebraice & Chaldaice pag. mihi 133. Hebræi etiam ſuperlativum indicant per genitivum Nominum *Dei:* ut Pſal. 35. ℣. 7. *Montes Dei*, id eſt, *altiſſimi.* Item juxta eundem continua geminatio ejusdem adjectivi pariter ſignificat *ſuperlationem*, ut Proverb. 20. ℣. 14. *malum eſt, malum eſt*, id eſt, *peſſimum.* Iterum cum ter repetitur continue ſubſtantivum, ſuperlativus eſt: ut Jerem. 22. ℣. 29. אֶרֶץ אֶרֶץ אֶרֶץ *erez erez erez, terra, terra, terra*, id eſt, omnium præſtantiſſima. Huc tamen non pertinent geminationes illæ Pſal. 67. ℣. 21. *Deus noſter, Deus ſalvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis*, non prima, quia non eſt continua: non ſecunda, quia in Hebraico non eſt ejusdem vocis: *Deus nobis* (eſt) *Deus ſalvationum, & Domini Dei* (ſunt) *evaſiones mortis*, ut tantum ſenſus ſit: *Deo noſtro proprium eſt ſalvare, & liberare a morte.* Etiam hic notari poteſt, continuam geminationem ejusdem ſubſtantivi inferre extentionem. Sic Pſal. 132. ℣. 2. *in barbam, barbam*, id eſt, *undique in totam barbam.* Videatur citatus Haslbauer. Ulterius, ut obſervat Tirinus, per Epitaſin utuntur Hebræi nomine *omnis* pro *magno*, & *excellenti*, vel *excellentiſſimo &c.* v. g. Pſal. 106. ℣. 18. *omnem eſcam abominata eſt anima eorum*, id eſt, *nobiliſſimam eſcam*, nimirum *manna.* Pſal. 38. ℣. 6. *univer-*

ſa,

ſa, id eſt, mera & ſumma *vanitas omnis homo vivens.* Eccle. 12. ℣. 13. *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt omnis homo*, id eſt, *optimus* homo. Et Eccli. 25. ℣. 17. *omnis plaga*, pro *ſumma* plaga.

6. In ſimilitudinibus & comparationibus ſubinde non apponunt particulam comparationis vel ſimilitudinis. Ut Proverb. 16. ℣. 24. *favus mellis, compoſita verba*, id eſt, *ſicut* favus mellis, *ita* compoſita verba. Pſal 67. ℣. 31. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum.* Pro: *increpa tyrannos, qui ſicut feræ in arundineto, & ſicut tauri in grege vaccarum excitant ſtrepitum & horrorem, ita faciunt ipſi in congregatione populi ſibi ſubditi.* Secundum morem linguæ ſacræ, ſeu Hebrææ etiam ablativus interdum vim ſimilitudinis habet, ut cit. Pſal. 67. ℣. 15. dicitur: *nive dealbabuntur in Selmon*, hoc eſt, *candidi erunt ſicut nix*, quæ jugiter invenitur in monte Selmon. Et ℣. 31. *qui probati ſunt argento*, id eſt, *ſicut argentum in igne.*

7. Per Epitaſin utuntur Hebræi ſæpe verbo vehementiore loco minus vehementis. Sic Malach. 1. & Rom. 9. *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, id eſt, minus amavi, poſtpoſui, neglexi. Viciſſim per Liptoten verbo minus vehementi utuntur, quam intendunt ſignificare. Sic 1. Reg 12. ℣. 21. *Nolite declinare poſt vana* (idola) *quæ non proderunt vobis*, id eſt, *quæ maxime oberunt.* Item Proverb. 18. ℣. 5. *non eſt bonum*, pro: *eſt valde malum.*

8. Loquuntur interdùm Hebræi per Ellipſin, vel ſuppreſſionem verbi ſubſtantivi. Ut Pſal. 4. ℣. 3. *Filii hominum, uſquequo gravi corde*, ubi ſupprimitur, & tamen ſubauditur *eſtis*, vel *eritis: uſquequo gravi corde eſtis*, vel *eritis.*

9. Hebræa verba præſenti tempore, & imperfecto carent, ideo pro his Hebræi uſurpant tempus præteritum, vel participium Benoni, quod eſt intermedium inter præteriti & futuri ſignificationem. Sic Geneſ. 1. ℣. 29. præteritum loco præſentis ponitur: *Ecce dedi vobis omnem herbam &c.* pro: *do vobis.* Et Pſal. 115. *credidi, propter quod locutus ſum*, pro, *credo, cum loquor.*

10. Hebraica verba tres duntaxat modos habent, Indicativum, imperativum, & infinitivum: optativo ac conjunctivo carent. Ideo Græcorum & Latinorum optativum exprimunt addendo particulam *Lu*, hoc eſt, *utinam.* Ut Pſal. 118. *utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.* Hebræus optandi modus ſignificatur quoque per interrogationem. Ut Pſal. 13. ℣. 7. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael?* Et Pſal. 54. ℣. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?*

Conjunctivum vel subjunctivum exprimunt Hebræi addendo temporibus indicativi particulas *im*, hoc est, *si*; vel *chi*, id est, *cum*, aut alias voces simile quid significantes: quod etiam æque frequenter præstant circumloquendo per gerundia, ut fit Psal. 125. ℣. 1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Et Psal. 9. ℣. 4. *In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, & peribunt a facie tua*, id est, quando caput inimicorum meorum retro verteris, reliqui debilitabuntur, imo peribunt ante te.

Per imperativum etiam sæpe explicant Hebræi locutionem Hypotheticam: ut Psal. 4. ℣. 5. *Irascimini, & nolite peccare*, hoc est, *si irascimini*, nolite iram complere, vel in ea peccaminose perseverare.

11. Hoc quoque singulare est Hebræis, unum tempus, qualecunque sit, adhibere pro significanda omnium temporum differentia, quando indicatur rei perduratio. Ut Psal. 1. ℣. 1. dicitur: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit &c.* hoc est, *qui non abit, nec abivit, nec abibit, & qui non stat, nec stetit, nec stabit.*

12. Solent Hebræi non raro, maxime Prophetæ, pro futuro præterito tempore uti, & futurum per præteritum significare, idque ob certitudinem Prophetiæ, seu quia Prophetæ de re, quam prædicunt, futura tam certi sunt, ac si jam evenisset. Sic Deuter. c. 32. ℣. 15. dicitur: *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit*, pro, *incrassabitur & recalcitrabit*; futurum præterito expressit. Sic pariter Psal. 21. ℣. 13. dicitur: *circumdederunt me vituli multi: —— foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. —— Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*; ubi necdum facta & præterita, sed primum in Christo peragenda & futura tanquam præterita pronuntiantur. Et licet in Hebræo textu habeatur futurum, Septuaginta tamen Interpretes vertendo, ob rei certitudinem prophetice posuerunt præteritum, ut notat Genebrardus.

13. Ad rei Emphasin exprimendam solent Hebræi verborum, nominum, vel propositionum earundem, vel æquivalentium geminatione uti. De nominum geminatione jam supra aliqua dixi, ubi de superlativo egi. De verborum geminatione nunc loquendo, habemus plura exempla: ut 1. Reg. c. 26 ℣. 25. *ait ergo Saul ad David: Benedictus Tu fili mi David, & quidem faciens facies, & potens poteris.* Id est, *certo & expedite facies, & potentissimus eris, & quidquid difficultatis occurret, vinces.* Psal. 117. ℣. 18. *castigans castigavit me*, id est, *vehementer me castigavit.* Similia occurrunt plura in sacro Codice.

Propo-

Propoſitionum geminatio habetur Pſal 69. ℣. 1. *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina.* Per hanc geminationem Pſalmiſta exprimit vehementiam & exaggerationem ſuæ orationis.

Alius inſuper eſt Hebræis conſuetus modus exaggerandi. Nempe utuntur nominibus Divinis, vel aliis cæleſtia & ſublimia ſignificantibus. Sic dicitur Pſal. 35. ℣. 6. & 7. *Domine in cœlo miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes, Juſtitia tua ſicut montes Dei.* Hoc eſt: *Tua miſericordia tam alta & ſublimis eſt ac cœlum, & veritas tua, ſeu tuorum dictorum certitudo tam alta eſt, ut ad nubes cœli uſque pertingat: & juſta tua omnia adminiſtrandi ratio tam ſublimis & alta eſt, ut montes prægrandes, & ſua altitudine quaſi divini.*

14. Reſtant adhuc aliqua notanda circa particulas Hebræorum.

1mo Particula *non* præpoſita adjectivo *omnis* apud Hebræos ut plurimum habet vim negativæ univerſalis. Ut Pſal. 48. ℣. 18. *cum interierit* (Dives) *non ſumet omnia*, id eſt, *nihil ſumet ſecum:* & Pſal. 147. ℣. 9. *Non fecit taliter omni nationi*, id eſt, *nulli nationi alteri.* Dixi, *ut plurimum*, non autem ſemper eſt univerſalis negativa; ut Matth. 7. ℣. 21. dicitur: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*, ubi τὸ *non omnis* non univerſim negat, nec ſignificat *nullum*, ſed *aliquem*, qui dicit, Domine Domine, non intraturum in regnum cœlorum. 2do Particula *ſi* ſumitur ſæpe pro *non*, vel *nequaquam:* eſt etiam interdum nota jurantis, vel animi commotionis. Sic Jud. 5. ℣. 8. dicitur: *Clypeus & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſrael*, id eſt, *non apparuerunt*, quia Cananæi & Philiſtæi doloſe Iſraelitis eripuerunt arma, nec inter illos paſſi ſunt fabrum, qui calleret artem fabricandi arma. L 3. Reg. dicit Elias ad Achab: *Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba*, id eſt, *non erit.* Sic intelligendus quoque eſt ℣. 11. Pſal. 94ti *ut juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* 3tio Particula *ſi* ſumitur etiam pro nota interrogantis, vel pro *an.* Ut Pſal 52. ℣. 3. *Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum;* id eſt, *an ſit intelligens &c.* 4to Particula copulativa *&* apud Hebræos ſæpe eſt *exegetica*, & nota *exponens*, ſignans idem, ac *id eſt.* Sic Numer. 3. ℣. 3. *quorum repletæ & conſecratæ manus*, ſonat: *quorum repletæ, id eſt, conſecratæ ſunt manus;* nam replere manus oleo, in vetere Lege idem erat, ac eas conſecrare in Sacerdotium. Sic etiam ad Coloſs. 2. ℣. 8. dicitur: *Videte, ne quis vos ſeducat per Philoſophiam, & inanem fallaciam.* Vult dicere Apoſtolus: *per Philoſophiam,*

hoc est, *inanem fallaciam*. D. Paulus enim non damnat veram Philosophiam, sed solum fallacem & sophisticam. 5to Solent Hebræi interdum præpositionem *In* ponere pro *De*, sicut & Græci, dum dicunt εἰς τὸν πλάτονα *in* Platonem, pro *de* Platone. Sic Psal. 70. ℣. 7. dicitur: *In te cantatio mea*, pro *de te*. Imo præposito *In* Hebræis est nimis frequens, eamque adhibent non tantum pro *De*, sed & pro *Per*, *cum*, *apud*, *propter*, & pro præpositionibus aliis; hinc dicunt: factum est verbum in manu Isaiæ, Aggæi &c. pro per Isaiam, Aggæum. 6to Hebræi præpositiones etiam conjungunt. Ut Psal. 77. ℣. 70. *Sustulit eum* (David) *de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum.* Id est, *Dum post fœtas oves iret*, *accepit eum*. Sumunt insuper Hebræi non solum præpositionem unam pro alia, sed etiam unum Sensum pro alio, & maxime Visum pro quolibet alio. Sic visus pro tactu sumitur Joan. 20. ℣. 29. *quia vidisti me Thoma*, pro, quia me *tetigisti*. Et Psal. 33. ℣. 9. dicitur: *gustate*, *& videte*, id est, *sapite*, *quoniam suavis est Dominus*. 7mo *Ad* apud Hebræos etiam idem valet ac *De*. Ut 2. Reg. 3. ℣. 18 *Dominus locutus est ad David*, id est, *de David*, *dicens: in manu servi mei David &c.* Ad Hebr. 1. ℣. 7. *Et ad Angelos quidem dicit*, pro, *de Angelis*. Et c. 4. ℣. 13. *ad quem nobis sermo*, pro *de quo*. 8vo Præpositio *A* & Græcum ἀπὸ sæpe pro *apud* vel *coram* usurpatur. Ut Eccli. 41. ℣. 21. *erubescite a Patre & Matre*, pro *coram Patre*.

15. Apud Hebræos propter exiguum numerum Radicum, nempe tantum 1022. a quibus omnia nomina derivantur, crebro unum idemque nomen, verbum, vel sententia diversissimis rebus significandis applicatur, & ex tanta copia ambiguorum, & varias significationes habentium nominum & vocum, frequenter exortæ sunt variæ diversorum interpretum vel versorum, vel etiam ejusdem versoris, sed diverso tempore & loco, interpretationes & versiones. Sic Hebræum צנה *Tsinah*, quod commune nomen est armorum, quæ vel inferunt, vel avertunt vulnus, vulgatus versor Ezech. 23. ℣. 24. transfert *loricam*. c. 26. ℣. 8. *clypeum*. c. 38. ℣. 4. *hastam*. 3. Reg. 10. ℣. 16. & 17. *scutum* & *peltam*.

Deinde, quia Hebræis pauca sunt nomina specifica, quæ unam determinate significent speciem plantarum; arborum, gemmarum, animalium &c. utuntur plerumque genericis, quæ multas & diversas sub se species complectuntur, vel æquivoca sunt, neque apud Græcos & Latinos exstant nomina æque generalia. Inde accidit, ut unum idemque nomen Hebraicum a diversis versoribus, vel etiam ab eodem in diversis locis diversimode fuerit translatum. Exemplum

est

est in voce תַּנִּין *Tannin*, qua Hebræi exprimunt, quidquid in genere animalium monstrosum est, præsertim magnitudine. Nomen istud Gen. 1. ℣. 21. Latinus Vulgatus vertit *cetum* seu *balænam*, marinam belluam: S. Hieronymus & Septuaginta vertunt *Draconem*, & alibi *Sirenem*, vel *Faunum*, vel *struthiocamelum*. Sic iterum Hebræi appellant omnem arborem glandiferam, vel quid simile glandibus ferentem אֵלָה *Elah*. Hanc vocem Vulgatus interpres, S. Hieronymus, Septuaginta vertunt nunc *quercum*, nunc *Ilicem*, nunc *Terebinthum*, nunc *Castaneam*; cum enim in Latina, & Græca lingua non inveniebant nomen tam late patentis significationis, satis ipsis erat, unam aliquam speciem magis familiarem, & textui, quem transferebant, magis convenientem efferre.

Ulterius, quia apud Hebræos quædam erant sive animalium, sive aliarum rerum species, sua specifica nomina habentes, quæ tamen apud Latinos, Græcosque non erat invenire, interpretes & versores, ne lacunam relinquerent, ipsum subinde Hebræum nomen intactum retinuerunt: ut in Exodo passim ligna *Setim*, in Levitico *Hin*, *gomer*, *satum*, *cabum*, *Ephi*, quæ erant mensuræ Hebræis solis propriæ, apud alias nationes non reperiendæ. Nihilominus subinde, ne vocem barbaram & lectoribus non notam obtruderent, maluerunt Græcam & Latinam Hebræis vocabulis affinem adhibere, ut pro mensuris dictis posuerunt modium, sextarium, choen, seu congium

Ad hæc Hebræi nominibus propriis vel gentilitiis sæpe mysterium aliquod, vel rem particularem designant. Hinc interpretes & versores, ne mysterium illud, vel allusio vocis occulta remaneat, pro nomine proprio vel gentilitio Hebræo sæpe ejus interpretationem ponunt. Ut Genes. 26. pro nominibus puteorum propriis ponunt significata eorum, unum pro *Esec* vocantes *calumniam*, alterum pro *Sitna inimicitias*, tertium pro *Rechobot latitudinem*, quartum pro *Sabea abundantiam*.

Præterea nomina propria Hebræa, translata in aliam linguam ita mutantur, ut vix eadem esse videantur, præcipue cum Versores & interpretes ad aliud Etymon nominis suæ linguæ alludunt. Sic qui Hebraice & Chaldaice vocatur *Aschasueros*, id est, magnum caput, magnus Princeps, & latine *Assuerus*, Persice vocatur *Ochosoarses*, *Xerxes*, id est, Bellator, *Axurxes*, & *Artaxerxes*, id est, magnus bellator, græce *Oxyares*, id est, magnus Mars.

Denique

Denique eidem Personæ non raro plura nomina indebantur, hinc in S. Scripturis modo uno, modo altero appellatur, sic uxor Abrahæ vocatur Genes. 16 ℣. 1. *Sarai.* c. 17. ℣. 15. *Sara.* & *Jescha* c. 11. ℣. 29. sic una eademque est *Esther* & *Edissa.* Libro Esth. c. 2. ℣. 7.

ARTICULUS XIII.

De Figuris.

71. Præter Idiotismos Hebræis proprios, dantur quoque in S. Scriptura figuratæ locutiones Hebræis, Græcis, & Latinis communes, quæ si non rite penetrentur, sensum SS. librorum reddunt non raro obscurum. Harum præcipuas hic declarare proposui.

1mo SS. Scriptores per *Metonymiam* persæpe sumunt effectum pro causa, vel vicissim causam pro effectu: subjectum pro accidente vel adjuncto: continens pro contento, & vicissim. Tali modo *Samaria* capitur pro *Samaritanis*, *Idolum* pro *Idololatris*, *Templum* pro *Sacerdotibus*. Sic vox *peccatum* aliquando significat *culpam*, aliquando *pœnam* tanquam effectum culpæ, aliquando hostiam, quæ offertur pro peccato, ut 2. Corinth. 5. ℣. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Sic *Caro* aliquando *corruptionem carnis*, aliquando *concupiscentiam*, aliquando *homines carni deditos* significat.

2do Per *Antonomasiam* Hagiographi loquuntur, dum interdum loco nominis proprii alicujus magis commune usurpant, & alicui tribuunt. Sic per Antonomasiam *fluvius* absque addito ponitur pro *Euphrate*: *Christus* dicitur *filius hominis* Marc. 14. ℣. 21. Et 2. Thessal. 2. ℣. 3. Paulus Anti-Christum vocat *hominem peccati*, & *filium perditionis*.

3tio Per *Synecdochen* sumunt interdum partem pro toto, vel totum pro parte sive physica, sive logica. Sic Psal. 65. ℣. 12. dicitur: *imposuisti homines super capita nostra*, hoc est, *super nos*. Danielis 7. ℣. 25. sumitur pars logica, *tempus* tanquam *genus*, pro ejus specie vel inferiore, seu pro anno. Ibi de Antichristo prædicit Daniel: *Et tradentur in manu ejus usque ad tempus*, id est, annum, *& tempora*, id est, adhuc duos annos, & *dimidium temporis*, id est, dimidium anni. Genes. 46. ℣. 27. dicitur: *omnes animæ domus Jacob*, ubi pars hominis anima sumitur pro toto homine.

4to *Metaphoram*, qua transfertur significatio unius in significationem alterius, frequentissime usurpant. Ut dum Christus dicitur *Leo*, *Agnus*, *Petra*, *ostium &c.* dum barbaræ nationes dicuntur *Lupi*, *Serpen-*

Serpentes, dracones: ſic *calix* indicat ſortem cujuscunque ſeu bonam, ſeu malam: *gladius* accipitur pro eo, quidquid pungit, torquet, aut cruciat: *ſagitta* eſt, quidquid lædit, aut nocet: *turbo, ignis, tempeſtas, grando, procella* eſt quodvis tormentum, clades vel ſtrages: *Onus,* maxime apud Prophetas, eſt Prophetia, quæ afflictionem & punitionem annuntiat: *caput canis* eſt res viliſſima: *os gladii* eſt ejus acies: *eſſe in caput, vel in caudam* Deuter. 28. ℣. 13. eſt primum vel ultimum fieri: *pactum ſalis* Num. 18. ℣. 19. & 2. Paralip. c. 13. ℣. 5. eſt pactum firmum & incorruptum, quia ſal a corruptione præſervat: *animam ſuam habere,* vel *ponere in manibus,* eſt vitam ſuam exponere periculo; quia quæ in manibus habentur, facile excutiuntur.

5to Nomen figuræ ſubinde tribuitur rei figuratæ, & nomina parentum ſæpe patronymice ſumuntur pro filiis & poſteris. Ita Chriſtus vocatur David Ezech. 34. ℣. 23. & Oſeæ 3. ℣. 5. ſic *Iſraelitæ* paſſim vocantur *Iſrael, Idumæi Eſau.* Ipſum ſæpe alterius nomen quaſi proprium & gentilitium uni datur. Sic Iſai. 1. ℣. 10. Ezech. 16. ℣. 45. Daniel. 13. ℣. 56. & alibi Iſraelitæ impii vocantur *Chananæi, ſemen Chanaan, Amorrhæi, Sodomitæ,* Gomorrhæi: Judas ab ipſo Chriſto vocatur *Diabolus:* ſic etiam Idololatria *fornicatio,* & Idololatræ *adulteri* appellantur: urbes ab Hebræis paſſim dicuntur *filiæ;* & quidem *meretrices,* ſi illas de Idololatria notare volunt: alias *Virgines* dicuntur: *Virgo filia Sion.* 4. Reg. 19. ℣. 21.

6to *Antiphraſi* unum pro oppoſito ejus enunciando utuntur: ut Job. 1. ℣. 5. *Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint* (loco *maledixerint*) *Deo in cordibus ſuis.* Similiter *benedicere* pro *maledicere* uſurpatur 3. Reg. 21. ℣. 13. item *ſanctificari* pro *pollui* Deuter. 22. ℣. 9. *Ironiam* & ſarcaſmum, ſeu irriſionem etiam adhibent: ut Geneſ. 3. ℣. 22: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* & Eccle. 11. ℣. 9. *Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua.* & Zachar. 11. ℣. 13. *decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.* *Catachreſi* (quæ eſt abuſio, vel uſurpatio, & fit, quando alienis utimur æque ac propriis, cum propria deſunt) etiam uti ſolet S. Scriptura: ut cum natatorium, in quo nulli ſunt piſces, vocatur piſcina, aut dum quis vocatur Pater rei alicujus, cujus eſt inventor. Sic Gen. 4. ℣. 21. *Jubal* filius Lamech appellatur *Pater canentium cithara & organo,* quia fuit inventor organi & citharæ. Sic etiam Dæmon *mendacii Pater,* id eſt, author mendacii vocatur. Per *Hyperbolem* rem nimium exaggerant SS. Scriptores: ut Geneſ. 41. ℣. 49. frumentum coæquatur *arenæ maris;* & 3. Reg. 10. ℣. 27. argentum *lapidibus.* & Joan. ult. *mundus* negatur *capere poſſe libros.* Per *Eu-*

phemismum, quod durum & asperum est, a se removent Hebræi in hostes suos. Sic David, cum sibi imprecaretur malum, nisi de Nabal grave supplicium sumeret, sui loco substituit inimicos suos, dum 1. Reg. 25. ℣. 22. sic ait: *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat.*

7. Hypallagem usurpat Scriptura, cum unum subjicit pro alio, vel phrasin invertit, & immutat: ut Isai. 1. *cognovit asinus præsepe Domini sui*, id est, Dominum præsepis sui, seu alentem se. Exod. 3. ℣. 2. in Hebræo dicitur: *Rubus ardebat in igne*; id est, *ignis ardebat in rubo.* Sic Psal. 18. v. 6. *In Sole posuit tabernaculum suum*, id est, *solem posuit in tabernaculo suo*, vel ut est in Hebræo: *soli posuit tabernaculum suum in cœlis.*

8. *Enallage*, seu mutatio Personæ, ubi a prima vel secunda transitur ad tertiam: item temporis, ubi præteritum ponitur pro futuro, vel hoc pro illo pariter frequens est in S. Scriptura. Ut Habacuc 3. ℣. 6. 7. 9. 11. item numeri, ubi a singulari transitur ad pluralem, & contra: ut Deuter. 32. & 33. & in Prophetis & Psalmis passim. Item modi imperativi usurpatio pro futuro indicativi, singulariter in promissionibus, ut Eccli. ult. ℣. 36. *aurum possidete*, pro *possidebitis*, idque ad significandum, promissionem certissime impletum iri. Item Enallage verbi pro adverbiis *rursus*, *iterum*, *ultra.* ut Psal. 77. ℣. 41. *conversi sunt*, *& tentaverunt Deum*, id est, *iterum tentaverunt.* Psal. 84. ℣. 7. *Deus tu conversus vivificabis nos*, id est, *iterum vivificabis.* & Isai. 6. ℣. 13. *convertetur*, *& erit*, hoc est, *rursus erit.* Non raro etiam S. Scriptura per *Heterosin* utitur abstractis pro concretis, v. g. *circumcisione* pro circumciso Judæo, *præputio* pro præputiato gentili, *dominatione* pro dominantibus, *abominatione* pro re abominabili, &c.

Tandem *Metalepsis*, quæ in Scriptura quoque reperitur, est, qua verbum vel nomen usurpatur non pro re, quam significat, sed pro eo, quod inde sequitur. Est satis frequens, maxime apud Prophetas. Sic Oseæ c. 2. ℣. 21. dicitur: *Exaudiam*, *dicit Dominus*, *exaudiam cœlos*, *& illi exaudient terram*, *& terra exaudiet triticum*, *& vinum*, *& oleum: & hæc exaudient Jezrabel.* Id est: Ego respondebo cœlis, appetitu naturali desiderantibus succurrere, & tacite petentibus nubes, ventos, & pluvias, quibus subjectam possent irrigare terram: cœlis respondebo, ipsos nubibus complendo, cœli respondebunt terræ sitienti, & pluviam petenti, stillando super eam pluvias: & terra respondebit appetitui tritici, vini & olei cupientium prodire, nasci, & crescere: hæc tandem respondebunt votis Jezrahel, seu populi Israelitici, cupientis nutriri & pasci frumento, oleo & vino: ubi

exaudiam,

exaudiam, vel refpondebo non pro refponfione, fed pro petitione feu pro re petita accipitur; dum enim quis refpondet, fequitur, ut fuerit interrogatus: nemo enim refpondet, nifi interrogatus.

72. Præter fuperius allegatos Idiotifmos, & hic enarratas figuras, funt adhuc apud Hagiographos plures loquendi modi, de quibus tres fequentes folum attexo.

1mo Mos eft S. Scripturæ, ut in ea Scriptores Sacri aliquando de fe ipfis loquantur tanquam de aliis, ut tenet Gregorius M. in cap. 2. Jobi. unde Moyfes Num. 12. ℣. 3. de fe ipfo, quafi de alio dicit: *Erat enim Moyfes vir mitiffimus fuper omnes homines, qui morabantur in terra.* Inde etiam S. Joannes Evangelifta c. 19. ℣. 27. de fe ipfo tanquam de alio loquens dicit: *Et ex illa hora accepit eam difcipulus in fua.* Sic & alibi de fe ipfis tanquam aliis loquuntur SS. Scriptores, vel verius Spiritus S. per SS. Scriptores de illis ipfis Scriptoribus loquitur, ut per Moyfen de Moyfe, per Joannem de Joanne.

2do Valde frequenter Hagiographi in numeris perfonarum, dierum, vel etiam annorum computandis, rotundo & plano utuntur numero, neglecto majore vel minore, ut docet D. Auguft. q. 47. in Exodum dicens: *Scriptura folet tempora ita nuncupare, ut quod de fumma paulatim aut excrefcit, aut infra eft, non computetur.* Tali ratione Judicum 9. ℣. 18. Abimelech dicitur interfeciffe feptuaginta filios Jeroboal, cum tamen duo non occifi huic numero deerant, nempe ipfe Abimelech, & Joatham natu minimus, qui evafit. Et Luc. 24. ℣. 33. dicuntur regreffi ex Emaus in Jerufalem difcipuli inveniffe congregatos undecim, fcilicet Apoftolos, quamvis folum decem effent, cum ex Joan. 20. Thomas non effet cum eis, & Judas jam laqueo fe fufpenderit. Sic & tribus diebus dicitur Chriftus manfiffe in fepulchro, quamvis primus & tertius non fuerint completi: fic etiam 70. dicuntur Interpretes, & 70. Difcipuli Chrifti, quamvis utrinque fuerint 72.

3tio Non nunquam Hieroglyphicis utuntur, Symbolis, & ænigmatibus. Plura fimilia reperies ultimo Ecclefiaftæ, quæ mortem repræfentant. In Jeremia adducitur *ira columbæ*, & *gladius columbæ*, quæ defignant iram & gladium Chaldæorum, in quorum fignis repræfentabatur columba argentea pennis deauratis, Semiramidem fignificans. Ita Daniel 4. per ænigma *Arboris* defcribitur imperium Nabucodonoforis. c. 2. per ftatuam quadrifidam, & c. 7. per *quatuor beftias* repræfentantur quatuor Monarchiæ. c. 8. per *hircum* & *arietem* Alexander M. & Darius. Ezech. 5. per *novaculam radentem pilos & barbam*

Chaldæi jugulantes plebem & Principes Judæorum. c. 17. per pugnam *duarum aquilarum*, pugna Nabucodonoforis & Pharaonis. c. 19. per Leones, & Leunculos regnum & tyrannis Joachaz, Joakim, & Se-deciæ. c. 23. per *meretricium Oollæ & Oolibæ*, idololatria Samariæ & Je-rufalem. Similia etiam Moyfen adhibuiffe in fuis Libris declarat Cle-mens 6. Stromatum.

Subinde SS. Scriptores etiam allegant per imitationem fabu-las gentilium, non ut eas approbent, fed ut modo loquendi vulgi fe-fe accommodent, aut ut per eas hominibus veritatem aliquam infinu-ent. Sic Judic. 9. ℣. 8. & feqq. Joatham per fabulam arborum Rha-mnum in regem eligentium docet Sichimitas, quam ftulte egerint, quod regimen, quod pii, prudentesque per *olivam*, *ficum* & *vitem* in-tellecti recufarunt, contulerint in impium Parricidam Abimelech, a quo nihil nifi fpinas, flammas, & extremum tandem interitum ex-fpectare poffent. Sic & 2. Paralip. c. 25. ℣. 18. Joas per fabulam *Car-dui & Cedri in Libano*, docet Amafiam fuperbientem, quam ftulte age-ret, dum Regem fe potentiorem, ipfum nempe Joam ad bellum pro-vocaret. Hæ & fimiles fabulæ ex intentione Scripturæ non funt men-dacia, quia non ad decipiendum, fed ad aliquid majus, & verum fignificandum funt ordinatæ.

ARTICULUS XIV.

Conciliantur breviter quædam apparentes Antilogiæ, vel contra-dictiones S. Scripturæ.

73. Certum eft, in S. Scriptura non poffe dari veras contradictiones; nam Deus nequit falfum dicere: fi autem in S. Scriptura vera contradictoria diceret, certo falfum dicere deberet, etenim duo con-tradictoria fimul vera effe nequeunt, atque adeo unum eorum falfum fit, neceffe eft. Nihilominus apparentes antilogiæ plures inveniun-tur: has ut declarare, & conciliare fciat Theologus, & candidatus Theologiæ addifcat folvere oportet; huic enim incumbit poffe fatis facere, & rationem dare omni pofcenti de ea, quæ in nobis eft, fpe, & eos, qui contradicunt, arguere, ac *contraria* (ut Origenes loqui-tur in c. 3. ad Rom.) *quæ videntur in S. Scriptura, non ita effe oftendere.* Moderno maxime tempore vivunt homines impie critici, qui in con-temptum S. Scripturæ, Dei & Religionis noftræ folent Theologis ca-tholicis fimiles textus, qui primo afpectu videntur fibi opponi, pro-ponere. Ut contra hos armatus & munitus fit Theologus, volo bre-viter

viter præcipuos, & plerosque ſimiles textus concordare, ut ex horum ſolutione etiam reliquos ſolvere diſcant, & ſciant Theologiæ Tyrones, pro quibus hæc ſcribo.

Itaque in Libro Geneſis ſequentes textus non contradicunt ſibi. 1mo Gen. 1. dicitur Deus omnia ſucceſſive creaſſe, & Eccli 18. ℣. 1. habetur: *qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Hos textus non eſſe contrarios oſtendit D. Thomas 1. q. 74. art. 2. ad 2. ubi ait: *Deus creavit omnia ſimul quantum ad rerum ſubſtantiam quodammodo informem; ſed quantum ad formationem, quæ facta eſt per diſtinctionem, & ornatum, non ſimul.*

2do Neque hic textus ℣. 26. c. 1. Gen *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram,* contradicit ℣. 44to c. 8. Joan. *Vos ex patre Diabolo eſtis.* Nulla enim eſt antilogia, hominem ſecundum naturam, & phyſice eſſe imaginem Dei, ut vult primus textus: & eſſe a Diabolo ſecundum malitiam, & moraliter, ut vult alter textus.

3tio Videntur in ſe pugnare iſta ex c. 1. Geneſ. ubi ℣. 3. dicitur prima die lux creata, & ℣. 16. dicitur, creatum quarto primum die Luminare majus Sol, ſine quo nec lux, neque dies eſt. Verum omnem contrarietatem iſtam iterum diſſolvit Doct. Angelicus 1. q. 74. art. 1. ad 4. dicens: *Sol, aliaque luminaria dicuntur quarto die facta: non, quod eorum ſubſtantia ſit de novo producta, ſed quia ſunt in aliquo modo formata, quo prius non erant.* & q. 70. art. 1. ad 2. ait: *ſecundum Auguſtinum nulla difficultas ex hoc oritur, quia lux, de qua prima die facta eſt mentio, fuit lux ſpiritualis, nunc autem, ſcilicet die quarta, fit lux corporalis: ſi autem lux primo die facta intelligatur lux corporalis: oportet dicere, quod lux primo die fuit producta ſecundum communem lucis naturam; quarto autem die attributa eſt luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus: - - - Et propter hanc determinationem virtutis dicit Dionyſius c. 4. de DD. NN. quod lumen Solis, quod primo die erat informe, quarto die formatum eſt,* imo & formata alia luminaria, *non quidem forma ſubſtantiali, ſed per collationem determinatæ virtutis: ideo tamen non fit mentio a principio de eis, ſed ſolum quarto die, dicit Chryſoſtomus, ut per hoc removeat populum ab idololatria, oſtendens luminaria non eſſe Deos, ex quo nec a principio fuerunt,* ut refert ibidem ad 1. D. Thomas.

Horum textuum apparentem oppoſitionem egregie etiam cum aliis expoſitionibus diluit Tirinus in c. 1. Gen. ℣. 1. dicens: " quod „hic ſubditur ℣. 3. *fiat lux*, ℣. 4. *diviſit Deus lucem a tenebris*: quam lu„cem Doctores ad literam explicant fuiſſe non in Sole (qui quarto „demum mundi die creatus eſt) ſed in alio corpore ſubcœleſti cæte-

„ris universi partibus lucidiore, quod primo mundi triduo 24. horis „eodem modo, quo nunc Sol, utrumque hemisphærium circumgy„rabat, & illuminabat, & sic diem vicissim ac noctem constituebat, „& e quo post triduum in partes dissecto, compacto, & compresso, „ac veluti in igneos globos conflato, fabricata sunt Sol, Luna, & „astra reliqua.„ Hucusque Tirinus.

4to Facile etiam inter se componuntur isti duo textus Gen. 2. ℣. 2. *Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.* Et ille Joan. 5. ℣. 17. ubi Christus dicit: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* quievit enim Deus, & cessavit ab omni opere creationis, definendo novas rerum species creare: ast non cessavit ab opere conservationis, & gubernationis, qua continuo usque nunc conservat & gubernat species primis sex diebus creatas.

5to Gen. 4. ℣. 26. dicitur de Enos, quod *cœpit invocare nomen Domini:* quod non repugnat versui 4to ibidem, ubi Abel jam ante Enos dicitur munera obtulisse Deo. Quippe Enos primus cœpit Deum invocare non solum privatim, sed publice; cum enim crescente hominum numero, cresceret quoque oblivio & contemptus Dei, videtur Enos Adamo authore & monitore piorum conventus cogere cœpisse, partim ad preces & conciones publicas, partim ad cultum Dei per Sacrificia & ceremonias ac publicos ritus inducendum, quod non præstitit antea Abel.

6to Ille textus 6. Gen. ℣. 3. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum:* minime opponitur aliis textibus, quibus affirmatur Sem filium Noe 600, Arphaxad 338, Sale 433, Heber 464 postea adhuc vixisse annis. Non enim, ut Expositores observant, hic statuitur singulis hominibus certus vitæ terminus centum viginti annorum, sed præscribitur certum spatium pœnitentiæ generi humano tunc existenti, & in profundum nequitiæ prolapso, quod revelatum est Noemo, ut reliquis hominibus posset prædicare, & annunciare non solum verbo, sed & opere, nempe fabrica arcæ antea inusitatæ: quod spatium si negligerent homines, & non agerent pœnitentiam, post illos annos 120. comminabatur Deus per diluvium universale exitium totius generis humani; quod & paucis personis piis & justis exceptis secutum est.

7mo. Gen. 5. ℣. 27. dicitur Mathusala vixisse 969. annos: ac proinde debuit vixisse usque ad finem diluvii, & per consequens in arca

arca Noe fuiſſe tempore diluvii, cum tot præciſe fluxerint anni a nato Mathuſala usque ad finem diluvii: quod repugnat 6. & 7timo capiti Geneſeos, ubi dicitur octo tantum animas fuiſſe in arca, nimirum Noe, Sem, Cham & Japhet cum uxoribus ſuis. Aſt hæc facile conciliantur dicendo, ultimum Mathuſalæ annum non fuiſſe completum, ſed ſolum inchoatum; tradunt autem Judæi, Mathuſalen ultimo ante inchoatum diluvium obiiſſe die. Quod vero in græca ſeptuaginta verſione legatur, eum quatuordecim poſt diluvium vixiſſe annos, mendum eſt Græcæ verſionis, ut D. Auguſtinus, Bellarminus & alii tenent.

Solves ſimili modo inextricabilem difficultatem, ut vocat D. Hieronymus, ex c. 11. Gen. ℣. ult. ubi dicitur Thare Pater Abraham vixiſſe 205. annos; quod videtur opponi verſui 26. ejusdem capitis, ubi Thare 70. annorum dicitur, dum genuit Abraham, mortuus autem eſt, dum Abraham numeraret 75. ætatis ſuæ annos: ex quo infertur, Thare tantum vixiſſe 145. annos. Hæc inquam difficultas diluitur recurrendo ad textum Samaritanum, qui aperte aſſerit, Thare vixiſſe 145 annos; verba ejus ſic ſonant. *Et fuerunt dies Thare centum quadraginta quinque anni, poſtea mortuus eſt Thare in Haran.* Ex hoc igitur textus Vulgatæ in hoc puncto mendoſus corrigendus eſt.

8vo Gen. 6. ℣. 6. dicitur de Deo: *pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra.* Cui videtur repugnare iſte textus 1. Reg. c. 15. ℣. 29. ibi: *Neque enim (Deus) homo eſt, ut agat pœnitentiam.* Verum nulla hic antilogia: dicitur *Deum pœnitere* locutione mere metaphorica & figurata. Deum ita pœnitet, ut non doleat, aut affectum & conſilium mutet, ut D. Auguſtinus apud D. Habert Tom. 1. de Deo uno c. 6. dicit: quia Deus ſemper voluit pœnitentes ſalvare, & obſtinatos perdere: dicitur autem pœnitere, quia exterius idem facit, quod pœnitens, dum deſtruit, quod fecerat; & hoc præſtitit in diluvio. Plura videre potes de hoc apud Theologos de immutabilitate Dei.

9no Non videntur prima fronte inter ſe cohærere iſti tres textus c. 46. Gen. ℣. 26. *cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum — ſexaginta ſex* & ℣. 27. immediate ſequente dicitur: *omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta.* Act. c. 7. ℣. 14. *Mittens autem Joſeph accerſivit Jacob Patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque.* Sed non pugnant inter ſe hi textus, ſi rite intelligantur: ſiquidem dum textu priore dicuntur ingreſſæ perſonæ 66. non computantur ſimul Jacob, & Joſeph, nec duo filii Joſeph Ephraim & Manaſſe, qui quatuor additi illis 66, conficiunt

ficiunt septuaginta, seu tot, quot computat textus secundus adductus. Si his septuaginta adjiciantur 5. nepotes Josephi, prout reapse adduntur a Septuaginta Interpretibus, habentur 75.: seu numerus act. 7. indicatus.

Ex Libro Exodi.

Primo. Nubes, quæ Hebræos ducebat, c. 14. v. 20. dicitur *tenebrosa*, & simul *illuminans*, sed respectu diversorum: parte sua anteriore, qua Hebræos respiciebat, erat lucida, & illuminans: parte posteriore respiciente insequentes Ægyptios erat tenebrosa: ergo illuminans & tenebrosa respectu diversorum, quod nullam involvit contradictionem.

2do Versus 5. c. 20. ubi dicitur Deus visitare iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem, non repugnat versui 20. c. 18. Ezechielis, ubi habetur: *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Prior enim textus loquitur de pœna temporali, quæ sæpe transit in filios: alter loquitur de spirituali, privationis videlicet gratiæ, & æternæ damnationis, quam tantum portare debet ipse peccans, nec transit in alios, excepto peccato originali, de quo hic non est sermo. Vel, ut explicant alii, prior textus loquitur de filiis iniquorum parentum, imitantibus horum mores malos: alter vero de filiis malorum parentum, sed horum vitia fugientibus.

3tio C. 31. ℣. 18. dicitur: *Dedit Dominus Moysi — duas tabulas testimonii lapideas scriptas digito Dei:* & tamen c. 34. ℣. 28. illæ tabulæ a Moyse scriptæ dicuntur. Sed nulla hic est contradictio. Primo enim: bina vice accepit Moyses tabulas Legis: prius acceptas, & digito Dei, seu per Angelum, Dei vices sustinentem scriptas confregit Moyses: de his loquitur textus prior allegatus. Alter vero loquitur de tabulis secunda vice acceptis, quas potuit Moyses Deo dictante scripsisse, in quo nulla contradictio. Imo probabiliter & prius & secundo acceptæ tabulæ digito Dei, non per Moysen, scriptæ afferuntur a S. Scriptura Deuter. c. 10. ℣. 1. 2. 3. 4. ubi repetitur eadem Historia. Atque adeo textus Exod. c. 34. ℣. 28. *scripsit in tabulis verba fœderis decem*, intelligendus est non de Moyse, sed de Deo.

Nec obstat, quod eodem capite ℣. 27. dicat Deus ad Moysen: *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus;* ibi enim non loquitur Deus de 10. Præceptis Decalogi scriptis in tabulis lapideis, sed de præceptis ceremonialibus a Deo Moysi in monte enumeratis,

ratis, quæ ad perpetuam memoriam jubet Deus ſcribi in libro a Moyſe, poſtquam deſcendit de monte.

4to C. 1. ℣. 20. & 21. Deus dicitur benefeciſſe obſtetricibus Hebræorum, eisque domos ædificaſſe in proemium mendacii, quod non decet Deum. ℞. Deus non benefecit mulieribus propter mendacium, ſed ob pium Dei timorem, & laudabilem in infantes Hebræos miſericordiam, eos ſervando incolumes ſunt proemio a Deo donatæ. Igitur non ob verba mendacii, ſed ob pium affectum obſequii.

Ex Libro Levitici.

Primo: C. 2. ℣. 1. præcipitur in Sacrificio oleum fundi, & thus imponi. Et ibidem c. 5. ℣. 11. id ipſum prohibetur. Eſt autem in duobus his textibus ſermo de diverſis ſacrificiis: priore agitur de ſacrificio Euchariſtico ad gratiarum actionem inſtituto, in quo præcipitur uſus olei & Thuris. In altero textu tractatur de Sacrificio expiatorio vel ſatisfactorio pro peccato, in quo oleum & thus adhiberi prohibetur, quia oleum & thus ſunt virtutis & lætitiæ ſymbola, quæ in peccatis non habentur. Thus etiam & oleum ad delicias, quæ a peccatore procul eſſe debent, conferunt. Ergo nulla hic antilogia. 75.

2do Non opponuntur ſibi hi duo textus: prior c. 18. ℣. 16. ait: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis.* Et ille Deuteron. 25. ℣. 5. Fratris defuncti uxorem *accipiet frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui.* Etenim textu priore unice prohibetur, ne frater fratris adhuc viventis, vel mortui quidem, liberos tamen relinquentis, uxorem ducat: alter jubet, ut ducat uxorem fratris ſui mortui, & libros non relinquentis: quæ minime ſibi contradicunt.

Ex Libro Numerorum, & Deuteronomii.

Primo. Numer. c. 14. ℣. 29. dicitur: *omnes, qui numerati eſtis a viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſupra quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Joſue filium Nun.* Et tamen ſummus Sacerdos Eleazarus, licet viginti annis tum major, pronuntiatur in eam ingreſſus L. Joſue c. 14. ℣. 1. ibi: *Hoc eſt, quod poſſederunt filii Iſrael in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar Sacerdos, & Joſue filius Nun.* 76.

Neque hic ulla eſt Antilogia, ſi penſetur, verba comminatoria prioris textus dirigi duntaxat ad Hebræos illos, qui ad reditum

Exploratorum terræ promiſſæ falſo detrahentium, quod eſſet mala, murmuraverunt contra Moyſen, dicentes: *utinam mortui eſſemus in Ægypto! nonne melius eſt reverti in Ægyptum? conſtituamus nobis Ducem, & revertamur in Ægyptum.* Quorum murmuris cum non fuerit particeps, & conſcius Eleazar Sacerdos, multique Levitæ alii, nec debuerunt eadem pœna cum murmurantibus, & rebellibus involvi: quare quamvis terra promiſſa privati fuerint murmuratores omnes, hoc eſt ſexaginta tria armatorum millia quingenti & quinquaginta, tamen veroſimile eſt, multos fuiſſe inſontes, & propterea terram promiſſam ingreſſos. Dum autem Num. 14. ℣. 1. dicitur: *omnis* turba vociferaſſe, & murmuraſſe contra Moyſen & Aaron, vox illa *omnis* debet reſtricte accipi pro majore parte.

2do C. 15. Deuteron. ℣. 6. c. 23. ℣. 19. permittitur Hebræis fœneratio cum alienis. Aſt Pſal. 14. ℣. 5. dicitur, quod ille ſolum habitaturus ſit in tabernaculo Dei, qui non dedit pecuniam ſuam ad uſuram. Et Luc. 6. ℣. 35. dicitur: *mutuum date, nihil inde ſperantes.* Nulla hæc eſt antilogia: ſiquidem uſuræ, licet jure naturæ prohibitæ, fuere promiſſæ Hebræis erga alienos exercendæ ad duritiem cordis eorum ob evitanda majora mala, & ne uſuras a fratribus & contribulibus exigerent, & ſic eos gravarent & opprimerent. Pulchre de hac re loquitur D. Ambroſius L. de Tobia, ubi ait: *quis erat tunc alienigena niſi Amalec, niſi Amorrhæus, niſi hoſtes? ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere; ergo ubi jus belli, etiam jus uſuræ.* Quos ergo poterant occidere ſine crimine, eorum & bona rapere vel aperte vel occulte per uſuram licebat. Hocque juſte permiſit Deus tanquam rerum omnium Dominus ad duritiem cordis Judæorum, ſicut & ipſis olim permiſit Ægyptios ſpoliare, libellum repudii dare, & plures uxores habere: quamvis alioquin hæc vetita omnia. Verum cum hæc conceſſio cum omnibus Judæorum privilegiis, & ipſa quoque eorum Synagoga exſpiraverit, etiam omnibus Judæis jure naturæ prohibita manet uſura.

Ex Libro Joſue.

77. Joſue 10. ℣. 13. & 14. dicitur: *Stetit Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei: non fuit antea, nec poſtea tam longa dies.* Ultima hæc verba contradicunt apparenter illis, quæ habentur Iſ. 38. ℣. 8. ubi: *reverſus eſt Sol 10. lineis per gradus, quos deſcenderat:* ſicque ter percurrit ſpatium 10. linearum, fecitque ſic diem circiter 32. horarum. Hinc falſum eſt, quod nunquam fuerit tam longa dies, quam tempore

tempore Josue. Verum non est hic contradictio, quam dissipant Expositores.

Primo apud Tirinum in caput 20. 4ti Regum Vatablus, Paulus Burgensis, Arias Montanus censent, solam umbram in horologio solari, non vero ipsum Solem retrocessisse decem lineis, quod & probabile judicant Emanuel Sa, & Gaspar Sanctius. Verum communis est SS. PP. sententia, ipsum Solem esse retroactum, & prodigium hoc toti orbi patuisse, adstipulante textu sacro Isai 38 ℣. 8. ubi expresse dicitur: *reversus est Sol 10 lineis per gradus, quos descenderat.* Et Ecclesiastici 48. ℣. 26. dicitur: *in diebus ipsius* (Ezechiæ) *retro rediit Sol.* Et certe non fuissent e Babylone missi Legati, ut inquirerent de hoc portento, prout tamen affirmatur 2. Paralip. c. 32. ℣. 31. si istud fuisset umbratile solum, nec nisi Jerosolymis in solo horologio Regis notatum fuisset.

Quare hac solutione transmissa adduco aliam, quam dat Cajetanus cum quibusdam aliis, hunc reditum Solis non fuisse factum motu ordinario solis decem horis integris, vel 10. mediis horis durante, sed subito, & quasi in momento, & motu velociore, quam alias solet fieri. Verum nec ista placet responsio.

3tio itaque dici potest cum Tirino jam laudato, & S. Dionysio, Beda, Eucherio, & Angelomo, lineas has in horologio regio non designasse integras, sed medias singulas horas, & sic solem motu ordinario retrogrediendo confecisse quinque horas, & bis percurrendo, nempe primo ante regressum, & postea post regressum 10. horas. Hoc systema si tenetur, dies tempore Josue multo fuit longior: nam tempore Ezechiæ hoc miraculo tantum decem horis fuisset auctus dies: tempore vero Josue stetit Sol integris 24. horis, seu integro die naturali, ut apud Tirinum in caput 10. Josue volunt Rabbi Eliezer, & S. Justinus Martyr: adeoque dies hic utpote 36. horarum, si addantur 12. horæ reliquæ, quibus Sol cursum jam confecerat, fuisset multo longior illo Ezechiæ. Et si dicas: solem non stetisse nisi diem unum artificialem, hoc est, horas duodecim, quo sensu forte dicitur Eccli. 46. ℣. 5. *una dies facta est quasi duo*, id est, facta est 24. horarum: jam & hoc modo esset longior.

4to Apud Carticr respondet noster Lyranus, tempore Josue stationem solis contigisse in Solstitio æstivo: tempore autem Ezechiæ ejus reditum in solstitio hyemali, & ideo solem diutius supra hemisphærium stetisse tempore Josue, quam Ezechiæ, cum dies duplicata in æstate respondeat quadruplicatæ in hyeme.

Ex Libris Regum.

78. 1. Reg. c. 13. ℣. 13. dicitur: *dixitque Samuel ad Saul: ſtulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi: quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum.* Hic textus non opponitur illi Geneſ. 49. ℣. 10. ubi jam multo ante ſtabile regnum fuit promiſſum tribui Judæ; nam ut Expoſitores S. Scripturæ præclare obſervant, hæc promiſſio fuit conditionate facta Sauli, Tribui Judæ abſolute; cum enim Deus mediante ſuo decreto condeterminante prævidit, Saulem eſſe deflexurum a conditione, potuit abſolute hoc prædicere Tribui Judæ.

2. Reg. c. 8. ℣. ult. habetur: *filii autem David ſacerdotes erant:* & tamen David non erat de Tribu Levi, ſed de Tribu Juda, *in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt*, ait D. Paulus ad Hebræ. c. 7. ℣. 14. Repono ad hanc apparentem antilogiam: quamvis *cohen* hic adhibitum fere ſemper Sacerdotem proprie ſignificet, ſubinde tamen uſurpatur quoque pro Principe Aulæ, ſeu Magnate, qui apud Regem tali fere familiaritate utitur & miniſterio, quali apud Deum Sacerdos; Rex enim etiam quaſi Deus terreſtris eſt. Unde per catachreſin familiares Regis, & hic quoque filii Davidis ſacerdotes vocantur, id eſt, ut 70. vertunt apud Montfaucon in Hexaplis Origenis, αὐλάρχαι, *Aularchæ*, id eſt, Aulæ Principes.

3. Reg. c. 15. ℣. 14. dicitur de Rege Aſa: *Excelſa autem non abſtulit;* verum 2. Paralip. c. 14. ℣. 2. immediate contrarium aſſeritur: *fecit autem Aſa, quod bonum erat in conſpectu Dei ſui, & ſubvertit altaria peregrini cultus, & excelſa* —— & ℣. 5. *& abſtulit de cunctis urbibus Juda aras & fana.* Duplicis generis excelſa ſeu templa, & aræ in excelſis locis extructæ apud Judæos erant, aliqua falſis Diis dedicata, alia Vero Numini ſacrata: priora abſtulit Aſa, non autem ſecundi generis, & ſic facile componuntur textus illi in ſpeciem contrarii.

4. Reg. c. 8. ℣. 26. dicitur: *Viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpiſſet.* 2. Paralip. c 22. ℣. 2. aſſeritur aliud, nempe: *quadraginta duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpiſſet.* Hæc oppoſitio ab Authoribus ſolvitur dicendo, in textum Paralipomenon irrepſiſſe mendum, & eſſe, loco viginti duorum, poſitum quadraginta duorum, qui error provenit veriſimiliter ex notis numerorum Hebræorum; nam pro כב Caph beth, quod exprimit 22. poſitum eſt מב Mem beth, id eſt 42. quæ notæ prioribus non multum ſunt abſimiles. Et revera debet ita dici, quia in textu tam Arabico, quam Syriaco

Syriaco legitur 22. & non 42. annorum: & secus deberet absurdissime dici, Ochoziam fuisse seniorem suo Patre Joram; nam Ochozias defuncto Joram statim cœpit regnare, & Joram mortuus est 40mo ætatis anno: si ergo tunc filius jam fuisset 42. annorum, duobus annis suo Patre fuisset senior.

Ex Libris Paralipom.

79. 1. Paralip. c. 2. ℣. 25. vocatur David *septimus & ultimus filius Isai*; c. vero 16. ℣. 11. dicitur: cum septem filios adduxisset Isai coram Samuele, & hic ab illo petiisset: *Nunquid jam completi sunt filii? qui respondit, adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves*, videlicet David: ergo juxta hunc textum esset octavus, & non septimus. Sed David vere septimus & ultimus est filius Isai: quia tamen Isai præter septem a se genitos unum habuit adoptivum nepotem ex tertio suo filio Samaa, etiam istum, cum illum haberet domi, coram Samuele sistere voluit, si forte hunc in Regem elegisset Dominus. Et hinc vere David septimus & ultimus est filius, licet alius præter hunc octavus, nempe adoptivus adesset.

Libro 2. Paralip. c. 24. ℣. 21. Zacharias dicitur *interfectus in atrio domus Domini*. Et Matth. 23. ℣. 35. dicitur occisus *inter templum & altare*. Potest domus Domini late vel stricte sumi: stricte sumpta significat solam partem tectam, large accepta significat totum spatium muris clausum, atque adeo etiam aream sub se comprehendit, in qua sub Dio erat altare holocaustorum; quando igitur Zacharias dicitur interfectus in atrio domus Domini, τὸ domus Domini seu Templum sumitur stricte: quando dicitur occisus intra Templum & altare, Templum accipitur large.

Si notantur ea, quæ dixi a N. 29. usque ad 30. facile dissolventur apparentes Antilogiæ in Libro Job: item eæ, quæ in libro Psalmorum sunt, solvuntur immediate ante N. 31. N. autem 31. objectis Antilogiis ex libris Machabæorum satisfit. Pariter Antilogiæ in illis libris S. Codicis, de quibus speciatim egi, inveniendæ, jam sunt dissipatæ, dum de illis libris superius, ubi vide, tractavi.

Dum Eccli. 40. v. 29. dicitur: *fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas*. Et Matth. 19. v. 21. contrarium consulitur: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Prior textus solam damnat hominis pigri & otiosi inertiam, qua se in egestatem redigit, sed non paupertatem Evangelicam, quam Christus posteriore textu commendat.

 Jerem.

Jerem. 36. v. 30. de Joakim dicitur: *Non erit ex eo, qui ſedeat ſuper ſolium David.* L. 4. Reg. c. 24. v. 5. dicitur: *Et dormivit Joakim cum Patribus ſuis: & regnavit Joachim filius ejus pro eo.* Sed, licet Joachim tentaverit ſolium David conſcendere, & tres circiter menſes in eo ſederit, quia tamen ejus regimen non fuit pacificum, & abductus fuit cum tota familia ſua captivus in Babylonem, poſteri vero ejus Reges non fuere, ſed ad ſummum quaſi Duces, vel Regibus Perſarum tributarii Principes, non eſt dicendus ſediſſe in ſolio David.

Ezech. 1. v. 12. de myſticis quatuor animalibus dicitur: *illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent;* v. vero 14. ſtatim ſequente de iiſdem contrarium affirmatur: *& animalia ibant, & revertebantur.* Verum hi textus recte inſpecti non pugnant inter ſe; in priori enim ſignificatur ſolum, hæc animalia ita fuiſſe parata ad obediendum Deo Aurigæ ſuo, ut illuc recta pergerent, quo ducebantur, quin retrocederent, vel deviarent uſquam, donec pertingerent ad terminum ſibi præſtitutum: alter autem vult, ea, poſtquam ad metam præſcriptam perveniſſent, eodem ſpiritu & velocitate fuiſſe ſolita reverti, & parata ad iterato pergendum, quocumque vellet Auriga eorum Deus.

Ex Novo Teſtamento.

80. 1. Matth. c. 3. v. 4. de Joanne dicitur: *Eſca autem ejus erat locuſta, & mel ſilveſtre.* Poſtea c. 11. v. 18. de eodem legitur: *venit Joannes neque manducans, neque bibens.* Non contradicunt iſta: quia etſi melle ſilveſtri & locuſtis aleretur Joannes, tamen quaſi nihil edebat, & bibebat; nam iſte cibus ita vilis & alienus erat nedum a lautioribus, ſed etiam vulgaribus Judæorum menſis, ut ſit quaſi pro nullo reputandus, eo fere modo, quo parum pro nihilo reputatur.

2. Matth. c. 10. v. 5. legitur, Chriſtum ſuis præcepiſſe Apoſtolis: *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Et Matth. 29. v. 19. *docete omnes gentes.* Hæc non ſunt contraria præcepta, quia pro diverſo tempore lata. Primo loco præcepit, ut Chriſto vivente ſolis Judæis prædicarent: ſecundo loco voluit, ut Spiritu S. roborati, & Epiſcopi ac Sacerdotes conſecrati poſt mortem ſuam omnibus gentibus prædicarent.

3. Chriſtus Matth. 10. v. 9. prohibet ſuis Diſcipulis virgam deferre dicens: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam - - neque virgam.* Marci autem 6. v. 8. concedit ipſis deferre virgam: *præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum.* ℞. Virga in S. Scri-

ptura

ptura varias habet ſignificationes: ſecundum aliquas prohibet Chriſtus, ſecundum unam permittit diſcipulis virgam. Matthæus hic loquitur de virga defenſoria, qua alios ferias, מַטֶּה *Matte*, quam Chriſtus Apoſtolis vetat: ῥάβδος ſeu virga ſignificat etiam מִשְׁעָן *Miſchon*, fulcimen, virgam, & baculum, cui incumbas: hanc virgam Apoſtolis Chriſtus apud Marcum permittit. Videatur Cornelius a Lapide in hos textus.

4. Matth. 26. ℣. 29. ait Chriſtus: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, quo bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.* Hic textus ſolum loquitur de potu & comeſtione humano modo facienda ad ſatisfaciendum ſiti & fami, ac indigentiæ naturæ; hinc etſi cum Diſcipulis poſt reſurrectionem ſuam manducaverit & biberit, nihil eſt illi textui contrarium, quia hoc non eſt factum conſueto & ordinario modo ad ſatisfaciendum neceſſitati naturæ.

5. Marci 11. ℣. 13. de Chriſto dicitur: *cum vidiſſet a longe ficum habentem folia, venit, ſi quid forte inveniret in ea: & cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia; non enim erat tempus ficorum; & reſpondens dixit ei: jam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet.* Quomodo autem Chriſtus potuit fructus petere ante tempus fructibus producendis deſtinatum? Sed mira in hoc facto elucet Sapientia Chriſti, qui arefaciendo arborem iſtam, quamvis ex ſe nil tale promeruerit, voluit oſtendere Judæis, multo magis Synagogam eorum, licet arborem a Deo plantatam & excultam, brevi ſubtracto cœleſtium gratiarum humore arefactum & reprobatum iri, quod nihil Deo obtulerit præter mera ſterilium ceremoniarum folia, cum illud ſit inter arbores & homines diſcrimen, quod illæ tantum certo anni tempore proferant fructus, iſti vero toto tempore vitæ ſuæ benefacere teneantur.

6. Dum Luc. c. 2. ℣. 34. Chriſtus dicitur a Simeone *poſitus eſſe in ruinam & reſurrectionem multorum*, id intelligendum eſt *occaſionaliter & indirecte*, ex malitia eorum, qui doctrinæ & gratiæ Chriſti reſiſtent, non *per ſe* & *formaliter*. Inde hic textus non opponitur iſti c. 9. ℣. 56. *filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.*

7. Matthæus & Lucas ſibi maxime contradicunt in texenda Joſephi genealogia; Matthæus enim c. 1. ℣. 16. ait: Joſeph fuiſſe *filium Jacob:* Lucas autem dicit, eum fuiſſe *filium Heli.*

℞. t 1. Cornelius a Lapide in c. 3 Lucæ: Joſeph dici a Luca fuiſſe Heli, ſeu Joachimi, non quod fuerit filius Heli, ſed gener ejuſdem,

ejufdem, feu fponfus B. Virginis Mariæ filiæ Heli. Unde Lucas non utitur verbo *genuit*; non enim dicit, Heli genuit Jofeph, ficut Matthæus afferit de Jacob, fed dicit tantum: *fuit Heli*, ficut & ipfe Matthæus c. 1. ℣. 6. inquit: *David genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ*: per quod noluit affirmare, quod Betfabee fuerit filia Uriæ.

℞. nt 2. SS. PP. Juftinus, Ambrofius, Hieronymus& Thomas, imo & S. Auguftinus L 2. Retract. c. 7. Jofeph fuit vere filius naturalis Jacobi, & filius legalis Heli; Lex enim jubebat, ut mortuo fratre fine liberis frater ejus fuperftes viduam ejus in uxorem duceret, ut mortui fratris femen fufcitaret, feu prolem, quæ familiæ nomen retineret & hæreditatem: Jacob autem & Heli erant fratres, & cum fine liberis mortuus effet Heli, Jacob frater ejus viduam accepit in uxorem, ex qua genuit Jofeph, fic filium legalem Heli, & naturalem Jacobi. Unus ergo Evangelifta loquitur de Patre legali, alter de naturali.

8. Dum Chriftus Joan. c. 11. ℣. 4. de infirmo Lazaro dicit: *Infirmitas hæc non eft ad mortem*, loquitur de tali morte, qualis eft communiter hominum, qua qui moriuntur, manent mortui, nec iterum ad vitam redeunt ante univerfalem refurrectionem mortuorum, ficut Lazarus rediit.

9. Joan. 15. ℣. 15. habetur: *quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*, nempe omnia ad ipfos Apoftolos, & eorum munus fpectantia. Quare non contradicit hic textus illi c. 16. ℣. 12. *adhuc multa habeo vobis dicere: fed non poteftis portare modo.* Nempe multa alia ad totius Ecclefiæ ftatum & regimen, rituumque inftitutionem pertinentia, & alia fimilia, quæ *Ille docebit vos omnia.* Joan. 14. v. 26. Ita conciliat hos textus S. Chryfoftomus.

10. Apud Joan. c. 7. v. 27. de Chrifto dicitur: *Hunc fcimus, unde fit*, id eft, ex qua patria, & quibus parentibus fit ortus. Et c. 9. v. 29. *Hunc autem nefcimus, unde fit*, id eft, a quo, & cujus authoritate fit miffus. Dein hæc funt effata Judæorum, de quibus conciliandis non adeo laborandum eft.

11. S. Lucas Act. 1. v. 1. ait: *Sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jefus facere & docere, ufque in diem, qua —— affumptus eft.* Hic S. Lucas non loquitur de omnibus abfolute Chrifti geftis & documentis, fed tantum de præcipuis. Unde S. Joannes c. ult. fui Evangelii, ubi videtur contrarius, de omnibus abfolute loquitur, & non fine Auxefi ac Hyperbole, ut jam fupra de figuris S. Scripturæ eft dictum.

12. Act.

12. Act. 15. ℣. 28. dicitur: *Visum est Spiritui Sancto & nobis - - ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum.* D. Paulus 1. Timoth. c. 4. ℣. 3. ait, doctrinam esse dæmoniorum abstinere a cibis, quos Deus creavit. Hic non dicit Apostolus absolute, abstinere a certis cibis esse doctrinam dæmoniorum: sed abstinere ab illis superstitiose, quasi immundis, ut Judæi solebant, vel quasi de se malis, & a malo Dæmone creatis, eo modo, quo abstinebant *Simoniani*, *Saturniani*, *Ebionitæ*, *Marcionitæ*, *Manichæi* & alii non nulli. Hinc a certis cibis abstinere abstinentiæ, vel pœnitentiæ causa, ut fecit S. Joannes, & præcepit certis temporibus Ecclesia, est Spiritus Sancti, non dæmoniorum doctrina.

13. Paulus 1. Corinth. c. 1. ℣. 17. dicit: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Et tamen Matth. ult. ait Christus: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* ℞. Paulum se dicere non missum, ut ordinarie & primario baptizet, & reliqua Parochis committi solita administret. Significat ergo, prædicationem Evangelii esse præcipuum officium sibi primario commissum. Hinc & Tridentinum præcipit Episcopis prædicandi munus.

14. Dum Paulus 1. Timoth. c. 2. ℣. 11. ait: *docere autem mulieri non permitto*, id intelligit sub distinctione, nempe publice in Ecclesia: bene autem privatim domi possunt filios, ancillas, & domesticos docere, ut c. 2. ℣. 3. ait: *anus similiter - - bene docentes.*

15. 2. Timoth. ait Paulus: *Argue, increpa in omni patientia;* ad Titum vero c. 2. ℣. 15. *Argue cum omni imperio.* Non contradicit sibi, dum Timotheo ferventioris animi viro præscribit patientiam, & Tito lenioris spiritus imperium, ut illius fervorem per patientiam temperaret, & hujus animum per æmulationis studium inflammaret dicens: *argue cum omni imperio, nemo te contemnat.*

16. Paulus Rom. 7. ℣. 18. dum ait: *velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio,* loquitur de se puris naturalibus viribus relicto. Dum vero ad Phil. 4. ℣. 13. ait: *omnia possum in eo, qui me confortat*, loquitur de se per gratiam & supernaturales vires adjuto. Atque adeo Apostolus in his duobus textibus non adversatur sibi.

17. Apocal. c. 7. ℣. 4. adducitur numerus *signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel*, & tamen ibi nulli referuntur ex tribu Dan; quia nimirum ex tribu Dan non erunt ita multi futuri, cum plurimi adhæsuri sint Antichristo ex eadem Tribu orituro. Ideo D. Augustinus, Irenæus, Ambrosius & alii dicunt,

omissam esse Tribum Dan: Tribus autem Ephraim nominata est per Tribum Joseph, nomine Patris Josephi.

Hæc sunt, quæ scitu necessaria & utilia censui esse Theologiæ Candidato de S. Scriptura, ceu primo loco Theologico: itaque nunc procedendum ulterius. Quare sit

PARS II.

De Verbo Dei non scripto, seu Tradito.

A Verbo Dei scripto tanquam primo loco Theologico recte ad Verbum Dei traditum, seu non scriptum, quod una voce vocatur *Traditio*, ceu secundum locum Theologicum procedimus. De hoc plura sunt dicenda. Quare sit

ARTICULUS I.

Notio prævia, & Divisio Traditionis.

81. *Traditio* in communi est Verbum sine Scriptura traditum, seu doctrina non scripta, sed viva voce tradita saltem primitus. Dixi: *saltem primitus*; non enim traditioni obstat v. g. Divinæ, si postmodum per Patres vel Concilia fuerit in Scripturam redacta, & sic per scripturam conservata, dummodo primitus sine scriptura fuerit viva voce tradita.

Dividitur ad propositum in Divinam & Humanam, prior Deum, altera homines habet Authores. Prior, seu *Divina* est Verbum Dei sine scriptura traditum. τὸ Verbum Dei, quo convenit Traditio cum S. Scriptura, locum generis tenet: reliquæ particulæ differentiam constituunt, quia per eas differt a S. Scriptura. *Humana* duplex est, Apostolica & Ecclesiastica. *Apostolica* est, quæ immediate ab Apostolis originem trahit, & est doctrina ab iisdem in bonum Ecclesiæ viva voce tradita: seu est talis doctrina, quam quidem in scriptis Apostolorum non legimus, sed a Majoribus nostris edocemur, eam esse ab Apostolis Ecclesiæ traditam. Traditio *Ecclesiastica* est, quæ post Christi in cœlos ascensum, & Apostolorum ex hac vita discessum ab Ecclesiæ Prælatis constituta, aut eorum consensu inchoata, ac denique usu recepta vim consuetudinis obtinuit. Addunt alii Traditionem mere humanam, quæ homines sibi solis relictos habet authores: tales fuere plures Pharisæorum, ut illa de lotione manuum ante

ante comestionem, sed de hac mere humana traditione non multum ad Theologos.

Nunc pro declaranda notione & divisione præmissa afferam ex Annato exempla quæpiam Traditionum mox explicatarum.

Traditiones Divinæ in Lege naturæ, & ante a Moyse scriptam Legem fuere sequentes:

1. *De Mundo a Deo creato.*
2. *De altera post præsentem vita.*
3. *De Remedio adhibendo pro originali delendo peccato.*
4. *Et aliæ, quibus in vero cultu Dei regebatur tunc Ecclesia.*

Et hæc fuit doctrina tunc, ubi Scriptura sacra & divina non exstabat, viva voce de aure in aurem tradita.

In lege Moysis scripta ante novam Legem gratiæ, seu Christi, hæ vigebant Traditiones divinæ:

1. *De Divinitate Librorum Canonicorum.*
2. *De Remedio fœminis applicando pro deletione peccati originalis.*

In nova lege sunt istæ:

1. *De perpetua Mariæ Deiparæ Virginitate.*
2. *De baptizandis, etiam ante usum rationis, parvulis.*
3. *De non rebaptizandis hæreticis.*
4. *De invocatione Sanctorum.*
5. *De cultu sacrarum Imaginum.*
6. *De Septenario Sacramentorum numero.*
7. *De SS. Librorum divinitate.*

& aliæ similes, vel ad fidem pertinentes, vel ad Sacramentorum essentiam spectantes, ut quæ sunt de materia & forma Sacramentorum Confirmationis, extremæ unctionis, & ordinis, in scriptura non expressis.

Apostolicæ Traditiones sunt aliquæ, quæ ab ipsis descendunt ea ratione, quia immediate talem doctrinam ex ore Christi percepere, & dein absque scripto, sola viva voce communicavere fidelibus. Quæ verius sunt ipsæ Divinæ, vel ut aliis loqui libet, Apostolicæ divinæ Traditiones: hujusmodi sunt mox recensitæ.

Aliæ, & in rigore Apostolicæ sunt, quæ originem habent ab ipsis Apostolis, ut Ecclesiæ Pastoribus, & proprio nomine loquentibus; Non enim est dubium, quin Apostoli ipsi præter ea, quæ a Christo Ipso audivere, multa assistente Spiritu Sancto ordinaverint in

in bonum Ecclefiæ, quæ nempe huic utilia, vel neceffaria videbantur circa ritus Ecclefiafticos, & morum difciplinam. Tales funt fequentes:

1. *Quadragefimæ, & quatuor Temporum inftitutio.*
2. *Obfervatio Dominicæ loco Sabbathi.*
3. *Trina merfio olim in baptismo fervari folita.*
4. *Chrismatis renovatio fingulis annis facienda.*

variæque aliæ ceremoniæ in Ecclefia ufu receptæ, & viva voce ab Apoftolis traditæ, utpote nullibi in S. Scriptura expreffæ.

Traditionis Ecclefiafticæ exempla fequentia miniftrat Annatus:

1. *Solemnitas, & obfervatio feftorum.*
2. *Abftinentia a carnibus, ovis, lacticiniis, certis anni diebus.*
3. *Pia & laudabilis formandæ Crucis confuetudo.*
4. *Pius aquæ benedictæ afpergendæ mos.*
5. *Antiquus candelarum, cinerum, palmarum, & fimilium benedictionum ufus.*

82. Divifio præmiffa fe tenet præcife ex parte authoris: fed ulterius a plurimis dividitur ex parte rei, quæ eft tradita, vel ex parte ejus, cui traditur, vel ex parte modi, quo traditur, vel ex parte durationis, ad quam traditur.

Traditio ex parte *rei traditæ*, vel materiæ, circa quam verfatur, duplex eft: una *de fide* fcilicet, altera *de moribus:* prior eft, non fcripta, fed viva voce de aure quafi in aurem tradita fidei doctrina, ut: *quod Scriptura facra, qua utimur in Ecclefia Catholica, fit vere divina: quod feptem fint Sacramenta: quod quatuor fint Evangelia canonica, nec plura, nec pauciora.* Traditio *morum*, five *de moribus* eft doctrina primitus non fcripta pro dirigendis moribus & ritibus, feu pro morum difciplina, quales funt: *de jejuniorum obfervatione & de feftis celebrandis certis anni temporibus: de benedictione & afperfione aquæ benedictæ: de formanda cruce in fronte: de abftinendo a fervili opere Dominicis, feftisque diebus.*

Traditio ex parte *ejus, cui traditur*, v. g. ex parte loci vel Ecclefiæ, cui traditur, vel *univerfalis*, vel *particularis* eft. Traditio *univerfalis* eft, quæ feu Divina, feu Apoftolica fit, feu Ecclefiaftica, fideles omnes ubivis gentium degentes, feu univerfam Ecclefiam refpicit: quales funt *Anniverfaria majorum feftorum Pafchatis, Pentecoftes, & fimilium: quadragefimæ, & quatuor Temporum jejunia.* Traditio *particularis* eft, quæ unam vel alteram, vel particulares quasdam Ecclefias refpicit. Hæc non poteft effe divina, utpote quæ totam attingit

Ecclesiam, & omnes fideles. Particularis hujus Traditionis exemplum olim erat Romæ *observatio jejunii die Sabbatho.*

Traditio ex parte *modi*, quo traditur, nimirum vel per modum consilii, vel præcepti, secatur in *liberam*, quæ non necessario servanda est, & *necessariam*, quæ necessario, & de præcepto servanda est, ut: prædicta *majorum festorum observatio: usus miscendæ aquæ vino in calice: Paschatis celebratio Dominica prima post decimam quartam lunam Martii.* Liberæ exempla sunt: *aspersio aquæ benedictæ: formatio signi crucis in fronte.*

Ex parte demum *durationis* dividitur in *perpetuam*, quæ est instituta, ut semper duret, quales sunt Divinæ omnes per Apostolos a Christo ad nos transmissæ, v. g: quæ sunt circa fidem, vel Sacramentorum administrationem: & in *temporaneam*, sive *temporalem*, quæ sive ad certum tempus instituta est, sive illimitate, tamen talis est naturæ, ut per Ecclesiam mutari queat. Tales sunt Traditiones pure Apostolicæ & Ecclesiasticæ, ubi jam plures sunt mutatæ, ut: *de trina immersione in baptismo: de quotidiana communione post consecrationem: de communione Laicorum sub utraque specie: de agape seu communi convivio olim in Ecclesia fieri solito: de ritu se mutuo salutandi in osculo pacis.* His præmissis singulariter hic tractabimus de Traditionibus Divinis, & videbimus 1. an aliquæ existant? 2. cujus & quantæ sint authoritatis? 3. an sint necessariæ?

ARTICULUS II.

Conclusiones, & Assertiones.

Assero 1. Exstant quædam Traditiones divinæ. Est certa de fide sententia contra Sectarios plures, qui Verbum Dei non scriptum rejiciunt. 83.

Prob. 1. Ex testimoniis S. Scripturæ. 1mo Joan. 16. dicitur: *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo;* & Joan. ult. *Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Ex his argumentor: Dominus multa dixit, & fecit, quæ non sunt scripta, præsertim illa, quæ promisit Jesus se dicturum Joan. 16 utique dixerit post resurrectionem suam *per dies quadraginta*, ut legitur Act. 1. *apparens eis, & loquens de regno Dei*, seu de Ecclesia sua nova: ast de gestis & verbis Domini post resurrectionem paucissima scripserunt Evangelistæ: Non est autem credibile, Apostolos, qui illa viderant, audierantque, non viva

viva voce tradidisse Ecclesiæ; nec enim invidi erant, ut nollent, nec obliviosi, ut non possent ea dicere: ergo.

Neque opponant Sectarii, etiamsi non penitus omnia Domini dicta & gesta scripta sint, sunt tamen omnia necessaria scripta: siquidem hæc insulsa responsio assertione 4ta refelletur.

2. Habetur textus notabilis 2. Thessal. 2. ubi: *Itaque fratres state, & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* In quæ verba præclare S. Chrysostomus: *Hinc*, inquit, *perspicuum est, Apostolos non omnia tradidisse per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque esse fide digna: quam ob rem Ecclesiæ quoque Traditionem fide dignam esse censemus. Traditio est, nihil quæras amplius.* Hæc laudatus, quæ totidem quasi verbis repetit Theophilactus in eundem locum.

Confirm. Quod S. Scriptura docet, & Ecclesia primis sæculis tenuit, hoc non debet temere rejici: Sed Scriptura docet, Traditiones dari, & Ecclesia primis sæculis id tenuit: ergo. M. est Ad. Ad. qui sacram Scripturam pro regula fidei adstruunt, & ajunt, Ecclesiam primis sæculis non errasse, & puram fidem servasse. Minoris membrum 1. constat ex dictis: 2dum mox ostendetur ex doctrina Patrum primorum sæculorum.

In fronte colloco S. Papiam sæculi secundi authorem, & Scriptorem rerum Ecclesiasticarum egregium, qui L. 4. sui operis ita ad propositum testatur: *Non his, qui multa dicunt, sed qui vera docent, oblector; neque ex illis, qui aliena & nova mandata commemorant, sed ex his, qui enarrant ea, quæ sunt a Domino per fidem* TRADITA, *& ab ipsa veritate profecta, voluptatem capio. Si quis Presbyter mihi forte occurrebat, qui cum Apostolis conversatus fuisset, dicta Apostolorum ab eo diligenter scrutabar. —— Neque enim, quæ in libris pandebantur, tantum mihi subsidii allatura existimavi, quantum ea, quæ acceperam ex horum voce & sermone, qui adhuc in vita manebant.*

S. Irenæus secundi quoque sæculi Pater & Doctor egregius L. 3. c. 3. ita loquitur: *Longissime foret, successionem omnium Ecclesiarum recensere, satis erit, si* TRADITIONEM, *& doctrinam Ecclesiæ omnium maximæ, & antiquissimæ, toti mundo notæ, a gloriosis Apostolis Petro & Paulo fundatæ afferamus. Hac* TRADITIONE *Romana ab Apostolis accepta, hac fide hominibus annuntiata, & usque ad nos per successionem Episcoporum continuata omnes illos confundimus, qui conventus spurios & illegitimos celebrant -- cum Ecclesia Romana omnes aliæ propter ejus potentem primatum concordes esse*

tenentur, nempe omnes fideles - - - quia in hac Ecclesia Apostolorum TRADITIO *ab omnibus nationum fidelibus fuit conservata.* Pergit deinde adhuc plura in commendationem Traditionum ab Ecclesia Romana conservatarum dicere. Tandem c. 4. ista addit: *Si de aliqua quæstione disceptatio oriretur, ad cujus judicium esset appellandum, nisi antiquissimarum Ecclesiarum, ubi Apostoli vixerunt? quid autem tunc foret remedii, si Apostoli nihil scriptum reliquissent? nunquid ad* TRADITIONES *ab illis viris relictas esset recurrendum? Hoc ipsum multæ nationes barbaræ observant, quæ sine papyro, & atramento in JESUM Christum credunt - - - antiquam* TRADITIONEM *de Deo rerum Creatore, & filio ejus JESU Christo fideliter tenentes, - - - & quia* TRADITIONI *Apostolorum inhærent, tanta hæresum monstra ne quidem ipsis in mentem veniunt.*

Tertullianus Doctor tertii sæculi optime etiam in rem nostram loquitur. Hic defendens factum cujusdam militis, qui tanquam Christianus coronari renuit, objicientibus, hoc factum ex nullo S. Scripturæ textu propugnari posse, respondit, sibi sufficere Traditionem, cum multa apud Christianos licita vel illicita credantur ex solo Traditionis motivo. Ejus verba sunt: "Initium ducamus a Baptismo. „Antequam in aquam intremus, in ipsa aqua & adhuc prius in Eccle„sia sub manu Prælati protestamur, quod Dæmoni, pompis ejus & „Angelis renuntiemus, deinde ter immergimur, plura respondentes, „quam in Evangelio a Christo Domino determinata fuerint. Ex fon„tibus levati lac & mel gustamus, & ab hoc die per totam septima„nam solito balneo abstinemus. Sacramentum Eucharistiæ, quod „Dominus omnibus & refectionis tempore præcepit, in conventibus „ipsum diem præcedentibus sumimus, nec de alterius manu, quam „eorum, qui præsunt. Singulis annis oblationes pro defunctis, & „ad festa Martyrum offerimus - - „ & postquam plura ejusmodi exempla enarravit, tandem concludit: "si pro tali modo, aut similibus „aliis legem ex Scripturis petas, nullam invenies, sed dicetur tibi: „hæc a Traditione authoritatem traxisse, consuetudine roborata, & „fide simplici fuisse observata.„ Ergo in Ecclesia prima agnoscebantur præter S. Scripturam Traditiones.

His accedit S. Basilius sæculi IV. Doctor, qui, ut edoceret Spiritum S. cum Patre & Filio æqualiter glorificari debere, L. de Spirit. Sancto c. 27. ℣. 29. ita scribit: "duo sunt dogmatum genera, quæ „in Ecclesia conservantur instructione & prædicatione. aliqua ex „Scriptura nobis adveniunt, alia ex Apostolorum *Traditione*, a qui„bus secreto accepimus. Utraque ejusdem in Religione sunt autho-

„ritatis.

„ritatis. Hæc quidem nemo negat, vel leviter in rebus Ecclesiæ „tinctus. Si moliremur consuetudines non scriptas rejicere tanquam „nullius authoritatis, non cogitantes etiam authoritatem Evangelii „damnaremus, aut potius nullam, nisi nominetenus, prædicationem „agnosceremus. Ponamus exemplum, & incipiamus ab iis, quæ „sunt magis nota & communia. Quis scripto nobis reliquit, ut ii si„gno crucis notentur, qui sperant in nomine Domini nostri Jesu Chri„sti„? Affert dein plura exempla alia, & tandem ita loquitur: *ubi quæso, ut hæc faciamus, scriptum? nempe facimus ex* TRADITIONE *tradita & secreta.* S. Epiphanius, qui ad finem sæculi IV. vixit hæresi 61. ait: *oportet autem &* TRADITIONE *uti; non enim omnia a Divina Scriptura accipi possunt: quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in* TRADITIONE *Sancti Apostoli tradiderunt.*

Addere quoque oportet testimonia Divi Augustini, qui etiam sæculi IV. jam floruit. Hic igitur S. Doctor L. 2. de Baptismo contra Donatistas c. 7. ait: *quam consuetudinem* (non rebaptizandi baptizatos ab hæreticis) *credo ex Apostolica Traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posterorum: & tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Et L. 4. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* L. 5. c. 23. *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Similia habet & alibi. Quid clarius?

S. Hieronymus D. Augustino coævus Epist. ad Marcellam de erroribus Montani ait: *Nos unam quadragesimam ex Apostolica* TRADITIONE *tempore nobis congruo observamus.* Dialogo contra Luciferianos c. 4. *Nam & multa alia, quæ per* TRADITIONEM *in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.* Hi Patres antiquissimi in primitiva florentes Ecclesia testes sunt omni exceptione majores Traditionum receptarum, & observatarum primis Religionis nostræ sæculis, contra quos nec dicacitas Lutheri nec Calvini, aut horum asseclarum prævalere potest.

P. 3. Ex Conciliis. Concilium antiquissimum & celeberrimum Nicænum primum ex doctrina non scripta, seu ex Traditione damnavit Arianam hæresin, ut diserte testatur Theodoretus L. 1. Histor. c. 8. quamvis enim contra Arium quidam textus S. Scripturæ proferrentur; quia tamen Arius & alios pro se afferebat, ex doctrina-

na non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium, eum damnaverunt. Hoc Concilium anno 325. seu IV. sæculo celebratum etiam magnæ apud modernos Sectarios debet esse authoritatis.

Synodus œcumenica V. Anno 553. anathemate ferit eos, qui eadem adoratione Verbum Divinum simul cum sua carne assumpta adorare nollent, NB. *sicut ab initio Ecclesiæ traditum est*, quod in S. Scriptura nullibi clare exprimitur. Canonem vero sic concludunt PP. hujus Concilii: *Cum igitur hæc rite confessi sumus* (loquitur de unione duarum naturarum sine confusione in Christo) *quæ tradita nobis sunt tam a divinis Scripturis, quam a SS. PP. doctrina de his, quæ definita sunt de una eademque fide a prædictis quatuor Conciliis.*

In Synodo VI. generali anno 680. habita Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus sexcenta & amplius PP. loca adversus Monothelitas protulit (ut testatur Stephanus Episcopus Dorensis in Synodo Romana sub Martino I., & patet ex actione 10. Sexti Concilii generalis) ut demonstraret, perpetuam Ecclesiæ Traditionem ab Apostolis acceptam Monothelitarum errori penitus repugnare.

In VII. Synodo generali Nicææ convocata anno 787. seu in Nicæna secunda unanimiter profitentur Patres, se Traditiones Ecclesiasticas (id est, a Christo & Apostolis Ecclesiæ relictas) *sive scripto, sive consuetudine valentes, & decretas retinere velle.* Dein inquiunt, Regiam viam esse adhærere Traditionibus, & SS. Patrum doctrinæ. Pergunt deinde: *quod autem cum multis aliis, quæ in Ecclesia observantur sine Scriptura, nobis Imaginum veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus late per historias traditum est.* Ibi etiam exclamavêre: TRADITIONEM *observantes definimus, cum omni diligentia & cura venerandas SS. imagines.*

Concilium VIII. œcumenicum anno 869. Traditionum authoritatem can. 1. act. 10. confirmat sequentibus verbis: *ut rectam, regiamque Divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus, SS. PP. decreta, veluti inextinctæ quædam, semperque lucentes faces, sequenda sunt. Quapropter sanctiones Ecclesiæ catholicæ & Apostolicæ per Traditionem tum a Sanctis, omnique laudis præconio celebrandis Apostolis, tum ab Orthodoxis, œcumenicisque, & Provincialibus Conciliis, aut a quovis Deiloquo Patre & Ecclesiæ Doctore acceptas, servandas, custodiendasque profitemur: Traditiones enim sive per sermonem, sive per Epistolam Majorum nostrorum, qui vitæ sanctitate nobis præluxerunt, acceptas tenendas magnus Apostolus monet.* Ex his satis patet existentia & authoritas Traditionum Divinarum consentit Tridenti-

num tertia sequenti assertione laudandum. Præterea sequentes assertiones confirmabunt præcedentem.

Assero 2. In Lege Naturæ, 2. & in Mosaica viguere Traditiones aliquæ divinæ. Est apud Catholicos communis. P. 1. m. ex Sacra Scriptura Gen. 18. ℣. 17. & 19. habetur: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum: cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? scio enim, quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam:* Sed hæc nec Abraham, nec alii post ipsum posteris scripto tradidere, sed viva voce ante Moysen, ante quem nulla Scriptura sacra exstabat: ergo tunc jam erat Traditio. Adde: ab Adamo usque ad Moysen fuit semper Dei Ecclesia aliqua, in qua exstitere veri Cultores Dei, ac inter alios Adam, Abel, Seth, Enos, Noe, Abraham, Isaac, Jacob & alii. Unde ergo sumpsere illi veri Dei cultores modum colendi Deum, ritum suorum Sacrificiorum, suæ fidei dogmata, qualia v. g. erant, ut Annatus recte refert?

1. *De Mundo creato a Deo primo rerum omnium Principio.*
2. *De futuro Messiæ adventu.*
3. *De remedio pro originali peccato delendo.*
4. *De Deo ut bonorum Remuneratore, & malorum Vindice.*
5. *De altera post præsentem futura vita.*

Hæc & similia non hauserunt ex Scriptura sacra, qualis nulla tunc erat: ergo ex Traditione.

P. 2. m. Assert. ex S. Scriptura. Deuteron. c. 32. ℣. 7. ubi Moyses populum Judaicum ad Traditionem provocat, dicens in suo Cantico: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.* Judic. c. 6. ℣. 13. ubi Gedeon ad Angelum sibi loquentem ait: *Si Dominus nobiscum est, cur apprehendent nos hæc omnia? ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt Patres nostri?* Psal. 43. ℣. 1. *Deus, auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis;* & Psal. 77. ℣. 6. *quanta mandavit Patribus nostris, nota ea facere filiis suis, ut cognoscat generatio altera: filii, qui nascentur, & narrabunt filiis suis.* Quibus textibus commendatur doctrina aliqua a Majoribus tradenda posteris, non scripta: ergo tradita, ut patet. Accedit: in Lege Mosaica plura credebant Judæi in sacra Scriptura non expressa: ergo ex Traditione. a. p. 1. credebant Judæi omnes Libros in suo SS. Scripturarum canone contentos esse divinos, quod tamen nullibi in S. Scriptura scriptum est. 2. credebant, esse remedium aliquod pro fœminis etiam, pro quibus non erat circumcisio, liberans ab originali.

Con-

Confirm. ex S. Hilario ad Pſal. 2. ſcribente: præter Legem ſcriptam, plura ſeparatim ex occultis ſecretiora Legis myſteria fuiſſe a Moyſe intimata ſeptuaginta Senioribus, ad hoc in omni Synagoga inſtitutis, ut eſſent Doctores, qui ea docerent deinceps: & Chriſtum hujus doctrinæ traditæ, & in Synagogis conſtanter conſervatæ meminiſſe, Matth. 23. ℣. 2. pronuntiantem: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere.* Ergo in Lege Moſaica viguit quoque doctrina tradita, non ſcripta. Si itaque in præcedentibus ſtatibus viguere Traditiones, cur non etiam in ſtatu Legis gratiæ?

Aſſero 3. Traditiones divinæ ſunt ejusdem authoritatis, cujus eſt Verbum Dei ſcriptum. Ita Catholici contra plures Sectarios. P. 1. Traditiones divinæ ſunt Verbum Dei non ſcriptum: ergo ſunt ejusdem authoritatis, cujus eſt Verbum Dei ſcriptum: Verbum enim Dei ſeu dictum, ſeu ſcriptum eandem authoritatem obtinet, & eandem fidem meretur, utpote a Deo veraciſſimo æqualiter proveniens. 2. Huc faciunt textus S. Scripturæ, SS. PP. & Conciliorum ſuperius aſſertione prima laudati, quibus Traditionum Chriſti & Apoſtolorum authoritas haud ſecus, ac S. Scripturæ commendatur. Maxime huc facit D. Paulus 2. Theſſal. c. 2. dicens: *ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Eandem hic rationem habet Traditionum, ac S. Scripturæ, ſeu Epiſtolæ ſuæ. Iterum 2. ad Timoth. c. 1. ſcribit: *formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti in fide —— bonum depoſitum —— hoc depoſitum cuſtodi.* Ibidem c. 2. ℣. 2. *quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Liquet, Apoſtolum hic non loqui de ſcriptis, ſed de verbis non ſcriptis, ſeu vivæ vocis Traditione, prout S. Chryſoſtomus & Theophilactus teſtes ſunt in hunc Apoſtoli locum; ait enim: *quæ a me audiſti*, non: *quæ ſcripſi.* Pariter S. Joannes Epiſt. 1. c. 2. ℣. 24. inquit: *vos, quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat;* non dicit: *quod legiſtis.* Ergo & hic cum D. Paulo Traditionem, & doctrinam viva voce traditam commendat. 3. S. Chryſoſtomus Homil. 4. in 2. ad Theſſalon. poſtquam patere dixit, Apoſtolos non omnia ſcriptis, ſed etiam aliqua ſine literis tradidiſſe, ſubdit: *eadem vero fide digna ſunt tam iſta, quam illa.* 4. Traditiones divinæ ſunt æque infallibilis divinæ fidei regula, ac S. Scriptura; nam pluribus annis poſt Chriſti mortem nulla exſtitit novi Teſtamenti Scriptura, ejusdemque Teſtamenti libri variis ſucceſſive temporibus conſcripti fuerunt: imo ad propoſitum S. Irenæus pro aſſertione prima

85.

allegatus teſtatur, ſuo adhuc tempore, id eſt, ſub finem ſæculi ſecundi fidei puritatem integram conſervatam fuiſſe apud multas barbaras gentes ſine Scriptura, ſed ſola Traditione: ergo tunc temporis divinæ Traditiones erant fidei regula: ergo & nunc ſunt. Stabilietur hæc concluſio ex mox ſequente. Itaque

86. Aſſero 4. Traditiones divinæ ſunt neceſſariæ ad fidem ſtabiliendam. Catholici contra Heterodoxos. P. 1. Plura fidei dogmata confitemur, quæ in S. Scriptura non ſunt clare expreſſa: ergo præter Scripturam S. debet dari aliud Verbum Dei non ſcriptum, quo vere iſta dogmata edocemur. a. aliquibus exemplis explanatur: ſic ſequentia fidei dogmata ab omnibus Chriſti fidelibus ſunt credenda, quæ tamen clare in S. Codice non indicantur: *quod B. Virgo Maria ſemper, etiam poſt partum fuerit Virgo.* 2. Neque nomen *Deiparæ*, neque *conſubſtantialis filii cum Patre*, clare in Scriptura exprimitur. 3. *Quod parvuli ſint baptizandi etiam ante rationis uſum.* 4. *Quod baptizati ab Hæreticis non ſint rebaptizandi.* 5. Quod ad Baptiſmi valorem neceſſaria ſit hæc, vel æquivalens forma: *ego te Baptizo in nomine Patris, & filii, & Spiritus S.* 6. *Quod apud nos exiſtat vera Scriptura divina*, & 7. *quinam ſint Libri ejus*, 8. & *quod hi adhuc apud nos conſerventur incorrupti in iis, quæ ad fidem, & mores ſpectant.* 9. *Legitimus Scripturæ ſenſus quiſnam ſit.* 10. *Quod quatuor tantum Evangelia, non plura, nec pauciora ſint verum Verbum Dei.* Hæc credimus, & tamen clare non exprimuntur in S. Scriptura: ergo præter hanc datur aliud Verbum Dei non ſcriptum.

2. Concilia ad convellendos hæreticos fere ſemper Traditione, ceu infallibili argumento uſi ſunt: imo contra illos Traditio plus prodeſt, quam S. Scriptura; hanc quippe & Hæretici pro ſe etiam adhibent. Hinc Vincentius Lirinenſis in ſuo Commonitorio ideo Traditionem neceſſariam eſſe vult: *quia S. Scripturam non uno eodemqae ſenſu univerſi accipiunt, ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur, ut pene quot homines, tot ſententiæ inde erui poſſe videantur.*

3. Ex neglectu Traditionum, & uſu, vel verius abuſu, ſolius S. Scripturæ fere omnes, primis etiam Eccleſiæ ſæculis natæ, hæreſes ſunt exortæ: ergo non poſſunt ſic contemni, ſed ſunt neceſſariæ Traditiones ad puritatem fidei conſervandam. Sic Valentiniani, Marcioniſtæ & ſimiles teſte Irenæo L. 3. c. 2. ad ſolam Scripturam provocabant. Idem de Arianis teſtatur Hilarius in libro contra Conſtantium Imperatorem. Nempe hi Sectarii vocem ὁμοέσιον in ſolis Scripturis quærebant, & non invenientes, Filium ὁμοέσιον, ſeu conſubſtan-

ſubſtantialem Patri negabant. Macedoniani & Eunomiani Spiritum S. cum Patre & Filio glorificandum, ſeu morem recitandi illum verſum: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto*, ut in Scriptura non ſcriptum exſufflabant, ut patet ex S. Baſilio L. de Spiritu S. c. 27. & 29. Neſtoriani B. Virginem negantes *Deiparam*, vocem Θεοτόκον expungebant. Ejuſdem furfuris erant Eutyches, Pelagiani, & tempore S. Bernardi (de quibus ille Homil. 66. in Cantica) Hæretici, dicti Apoſtolici, nec non Wicleffus, & Sectarii moderni. Ergo Traditiones ſunt neceſſariæ ad fidem & veram Religionem conſervandam, prout & ipſis ſemper uſa eſt Eccleſia cum Patribus ad confutandos Sectarios & Hæreticos. Ex dictis pariter liquet Reſponſio ad objectionem ſupra Aſſertione 1ma allatam.

Concludo articulum præſentem verbis Concili Tridentini Seſs. 4. Decreto de Canon. Scripturis: *Sacroſancta œcumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu S. legitime congregata —— perſpiciens veritatem fidei & diſciplinam morum contineri in Libris ſacris, & ſine ſcripto in Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu S. dictante quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt, orthodoxorum PP. exempla ſecuta, omnes Libros tam V. quam N. T. cum utriuſque unus Deus ſit author, nec non Traditiones ipſas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Chriſto, vel Spiritu S. dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia conſervatas, pari affectu ac reverentia ſuſcipit, & veneratur.* Nec eſt mirum, S. Synodum ſic commendare Traditiones, cum id antea Concilia alia, & SS. PP. conſtanter fecerint.

Grotius quoque, magnum alias apud adverſam partem nomen, ſic ſcribit in voto pro pace Eccleſiaſtica contra Rivetum: *Jam vero non omnia, quæ ſic dixere Apoſtoli, fuiſſe perſcripta, teſtatur ipſe Paulus, cum obediri vult iis, quæ docuerat ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam.* Et in textum 2. Theſſal. 2. ℣. 14. pergit ulterius allegatus Grotius: *duobus enim modis docebant Apoſtoli, loquendo & ſcribendo, & par in utroque authoritas; & præceſſit locutio: ſecuta eſt ſcriptura. Multa, quæ dixere Apoſtoli, etiam ſcripſere, at non omnia; quia ſatis erant quædam in uſum Eccleſiæ introducta, ita, ut nihil opus eſſet per Epiſtolas præcipi.* Hæc verba expreſſit nimis aperta veritas Adverſario noſtro Theologo haud Romano. Ad rem noſtram quoque fatetur Author Præfationis in Hiſtoriam criticam V. T. Richardi Simonii Calviniſta Batavus, ſine Traditione impoſſibile eſſe, ſolide objectionibus Socinianorum reſpondere.

ARTICULUS III.

Satis fit Objectionibus contra præcedentes Assertiónes.

87. Objic. I. Multa, quæ Christus Apostolis post resurrectionem suam dixit, illi pcstmodum scripserunt: ergo ex his post resurrectionem dictis perperam inferimus Traditionem. ℞. n. a. nam de gestis & dictis Christi post resurrectionem suam pauca admodum, & non multa in sacro Codice sunt scriptis consignata, ut in probationibus Art. præc. est notatum.

Objic. 2. Quamvis nòn omnia juxta S. Joannem gesta & dicta Christi sint scripta, tamen omnia nobis necessaria sunt in Lege nova exarata: ergo etiam ex illo textu Joan. ult. nihil prò Traditionibus elicitur. ℞. n. a. multa, quæ institutionem, formam & materiam Sacramentorum tangunt, clare satis non sunt expressa, uti & alia certe necessaria.

Objic. 3. D. Paulus 2. Thessal. c. 2. ℣. 14. dum suadet tenendas Traditiones, loquitur de iis, quæ prius sermone, postea scripto tradiderat, vel de iis, quæ quidem prædicaverat, & non scripserat, sed tamen ab aliis scripta erant: ergo etiam exinde nihil pro Traditionibus concluditur. ℞. n. a. S. Paulus in ultima sua Epistola Romæ e carcere ad Timotheum data expresse eidem commendavit doctrinas viva voce traditas: *formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti:* ergo ipse Apostolus innuit, non omnia, quamvis plures scripserit epistolas, a se vel etiam aliis esse scripta, quæ credenda, faciendave sunt.

Objic. 4. Deuteron. c. 4. ℣. 2. habetur: *Non addetis ad Verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo:* ergo S. Scriptura rejicit omnem Traditionem Verbo Dei additam. ℞. n. suppos. conf. Traditio non est quid additum Verbo Dei, cum & ipsa sit Verbum Dei, scilicet non scriptum, sed traditum. 2. Reprobatur hic aliquid additum, quod S. Scripturam corrumpit, immutat, & ei repugnat: at tale quid non est vera Traditio; hæc enim Verbo Dei non repugnat, sed potius illud nobis declarat, & verum ejus ostendit sensum, atque conservat. Sunt aliquæ superstitiosæ, & nihil valentes Traditiones hominum, quæ Verbo Dei sunt contrariæ, illud corrumpunt, & immutant, quas hic minime admittimus, & de quibus loquuntur sequentes textus Matth. 11. ℣. 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram.* Ibidem ℣. 9. *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & man-*

& mandata hominum. Et Colofs. 2. ℣. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum Traditionem hominum.* Quibus textibus reprobantur non Traditiones divinæ, ſed humanæ & Phariſaicæ, Verbo Dei contrariæ.

Objic. 5. Chriſtus ſuos auditores nunquam ad Traditiones, ſed ſemper ad Scripturas provocabat. Sic Luc. 24. *Scrutamini Scripturas, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Joan. 5. ℣. 39. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit: ſi autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* ergo. ℞. n. c. Chriſtus mittit Phariſæos ad ſacram Scripturam, quia illa de Chriſto clare teſtabatur, non autem, quaſi illa ſola & unica eſſet regula noſtræ fidei, nec ad hanc quidquam conferret Traditio.

Objic. 6. S. Chryſoſtomus in c. 22. Matth. *quidquid quæritur ad ſalutem, totum eſt impletum in Scripturis:* ergo ſuperflua eſt Traditio. ℞. n. c. agit ibi S. Chryſoſtomus de variis contra vitia remediis, dicitque, nullum eſſe vitium, pro quo ſanando Scriptura non ferat aliquod remedium. Sed inde non excludit Traditionem, quæ neceſſaria eſt ad multa alia credenda, de quibus in S. Scriptura nihil, ſaltem clare, eſt expreſſum. Sic etiam contra Traditiones non pugnat aſſertum D. Auguſtini L. 2. de doctrina Chriſtiana c. 9. *In his, quæ aperte poſita ſunt in S. Scriptura, inveniuntur omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi.* Diſtingui enim debet: omnia, quorum cognitio ſimpliciter eſt omnibus neceſſaria, qualia ſunt, quæ continentur in ſymbolo Apoſtolorum, & decalogo, ſic conceditur: omnia abſolute ad fidem pertinentia, negatur. S. Hieronymus pariter non obſtat Traditioni, dum c. 23. in Matth. ait: *quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Nam S. Hieronymus ibi non loquitur univerſaliter de eo omni, quod non habet authoritatem ex Scripturis, ſed de privata & ſingulari quorumdam opinione, probare conantium ex apocrypho libro, *Zachariam* a Judæis inter Templum & altare occiſum, fuiſſe *Joannis Baptiſtæ* Patrem: & hoc, quia non ex authentico S. Scripturæ, ſed apocrypho libro fuit probatum, dicitur eadem facilitate contemni, qua probatur. Cæterum quantum hi & alii Patres ſtent a partibus Traditionum, præcedens articulus in probationibus docet.

Objic. 7. Eſt incredibile, quod Deus viam tam lubricam, qualis eſt Traditio, voluerit fidelibus ſuis aſſignare pro regula fidei: etenim via Traditionis facile inducit in errorem; quippe ſæpe Traditio humana poteſt recipi pro divina. Et experientia docet, ſub

ſpecie

ſpecie Traditionis jam multos irrepſiſſe errores: imo aliqui hæretici ſua falſa dogmata prætenderunt hauſiſſe ex fontibus Traditionis: ergo Traditio non eſt admittenda. ℞. n. a. cum ſuis rationibus. Si obſervantur regulæ, quibus humanæ & falſæ a veris Traditionibus diſcernuntur, nihil eſt timendum fidei & religioni. Quod interdum nonnulli hæretici Traditione abuſi ſunt, tam parum ei nocet, quam parum ſacræ Scripturæ, quod ex ea omnes hæretici ſuos errores velint deducere, & probare.

Objic. 8. Poteſt probari ex ſola Scriptura, quod parvuli v. g. ſint baptizandi, ex illo ſcilicet Joan. c. 3. ℣. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.* Item ex illo Matth. 28. ℣. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, poteſt probari etiam forma Baptiſmi: ergo hæc non habentur ex Traditione. ℞. N. a. licet prior textus ſignificet neceſſitatem Baptiſmi, tamen non exprimit, eum eſſe jam parvulis applicandum, niſi accedat Traditio. Neque alter clare exprimit iſtam formam & verba: *ego te baptizo in nomine Patris* &c. Dum Chriſtus ait: *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* Joan. 16. ℣. 23. non ſimul ordinavit, ut ſic oraremus: *Ego peto hoc in nomine Chriſti*: ergo a pari. Illa duo itaque non ex ſacra Scriptura nude ſumpta, ſed ex ea per Traditionem explicata diſcuntur.

Objic. 9. Principia non probantur, ſed ſupponuntur: ergo quia Scripturæ ſacræ ſunt principia fidei noſtræ, non debent per Traditionem probari. ℞. D. a. Principia nota *quoad nos* c. a. ſecus n. a. Sed quoad nos non ſunt nota principia S. Scripturæ, verum innoteſcunt nobis primum per Traditionem.

ARTICULUS IV.

Regulæ diſcernendi Traditiones.

88. Regula 1ma ad dignoſcendam humanam Traditionem a divina. Illud non eſt divina Traditio, cujus, licet in tota Eccleſia ſervetur, initium reperitur aut in Conciliis, aut in Decretis & Conſtitutionibus Pontificum, aut in ſcriptis & ſtatutis Patrum. P. Si id, cujus oſtendi poteſt initium, eſſet divina Traditio, ſeu aliquid divinitus traditum, deberet illi, vel illis, a quo, aut quibus eſſet traditum, eſſe de novo revelatum; atqui hoc nequit dici, quia Eccleſia in rebus fidei & morum non admittit novas revelationes, ſed tantum præ-

exiſtentes,

existentes, si sunt obscuræ, explanat, & declarat in Conciliis &c. ut jam dictum est in part. 1. de S. Scriptura. Recte igitur Vincentius Lirinensis Commonit. L. 1. c. 6. scribit: *Mos iste in Ecclesia semper viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet:* Hinc summi Pontifices & Concilia adversum hæreticos id unum curarunt, *ut defenderent semel susceptæ Religionis integritatem.* Et hinc *annuntiare aliquid Christianis Catholicis præter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licebit.* Articuli itaque fidei non creverunt successu temporis, sed clarius duntaxat fuerunt explanati; Concilia enim generalia non expectant novam revelationem, sed consulunt Scripturam & Traditiones, & ex illis condunt canones. Nihil ergo fide divina credimus, nisi fuerit a Christo Apostolis traditum, & ad nos transmissum: ergo novitas in fide est certissimum hæreseos signum.

Confirm. Vel talis revelatio de novo facta fuisset cognita Apostolis, vel non? si primum: annuntiassent eam suis posteris; alias fuissent infideles in suo ministerio: adeoque non esset nova, sed antiqua ipsis Apostolis data revelatio & Traditio divina. Si secundum: Christus non docuisset Apostolos omnia necessaria, & sic falso eis promisisset, quod eos per Spiritum sanctum docturus foret omnem veritatem. Hoc argumentum usurpavit Tertullianus adversus suæ ætatis Gnosticos L. de Præscript. c. 22. verba ejus sunt: *Solent dicere, non omnia Apostolos scivisse, agitati dementia, qua rursus convertunt, omnia quidem Apostolos scivisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit.* Adde: si novæ revelationes in rebus fidei & morum in Ecclesia admitterentur, nec Montanum, qui se singulariter a Spiritu S. doctum affirmabat, nec alios Novatores sufficienter Ecclesia confutare posset; statim enim objicere illi possent, novarum suarum opinionum revelationes sibi esse factas: ergo &c.

Regula 2. Doctrina, quæ in una tantum particulari Ecclesia invenitur, non est divina, sed humana: sicut & illa, quæ contra communem aliorum sententiam ab uno tantum, vel duobus etiam antiquis Scriptoribus, imo & tota aliqua urbe particulari, & Provincia docetur. P. pars 1. Regulæ: Veritas divinitus tradita universam respicit Ecclesiam; idem enim Evangelium, eandemque doctrinam Christus jussit prædicari universo orbi: ergo. Eadem ratione probatur & 2da pars Regulæ. Audiri etiam meretur Vincentius Lirinensis cit. c. 28. *quodsi in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certe civitatis unius, aut etiam Provinciæ alicujus error deprehendatur, tunc omnino* 89.

curabit, ut paucorum temeritati vel inſcitiæ, ſi quæ ſunt univerſaliter antiquitus univerſalis Concilii, præponat. Item: *quidquid vero, quamvis ille Sanctus & doctus, quamvis Epiſcopus & Confeſſor, & Martyr, præter omnes aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & privatas opiniunculas, a communis & publicæ generalis ſententiæ authoritate ſecretum ſit, ne cum ſummo æternæ ſalutis periculo, univerſalis dogmatis antiqua veritate dimiſſa, unius hominis novitium ſequamur errorem.*

90. Regula 3. Doctrina, quam univerſa amplectitur Eccleſia tanquam fidei dogma, licet in Sacris literis haud inveniatur, eſt Traditio divina. Ratio eſt: quia fidei dogma aut eſt Verbum Dei ſcriptum, aut traditum: ſed talis doctrina non eſt ſcripta, ut dicitur: ergo tradita.

91. Regula 4. Si materia Traditionis ſit ejusmodi, ut eam inſtituere, mutare, aut abrogare non ſit in poteſtate Eccleſiæ poſitum, Traditio divina cenſeri debet. Tales Traditiones ſunt, quas habemus de numero, materia & forma Sacramentorum.

92. Regula 5. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*, ſunt verba D. Auguſtini L. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 24. Ratio eſt: in tali caſu non adeſt fundamentum judicandi, quod praxis ejusmodi per Eccleſiam fuerit inſtituta: ergo cum tamen univerſim ab Eccleſia de ſæculo in ſæculum conſervata fuerit, & omnes illius meminerint, cenſeri debet ab Apoſtolis inſtituta. Porro ſi Traditionem habuiſſe ſuum initium deprehendas ante Chriſti Domini in cœlos aſcenſum *Divinam*, vel *Apoſtolico-Divinam*, ſi poſt Chriſti aſcenſum, ſed tamen ante exceſſum Apoſtolorum, *Apoſtolicam*, ſi & poſt aſcenſum Chriſti Domini, & exceſſum Apoſtolorum, *Eccleſiaſticam*, cæteris paribus exiſtimes.

93. Regula 6. In dubio, ſitne Traditio divina, vel Apoſtolica, aut Eccleſiaſtica, reſpicere oportet Patres Eccleſiæ, & eorum conſenſum. Si hi pro aliqua Traditione ita pugnent, ut eos, qui ſe opponunt, erroris in fide arguant, ſignum eſt, Traditionem eſſe *Divinam*. Nam ut ait S. Auguſtinus L. 2. contra Julianum: Majores noſtri, *quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod a Patribus acceperant, hoc filiis tradiderunt.* Si Patrum conſenſus non tollat dubium, recurrere neceſſe eſt ad infallibile judicium Eccleſiæ; hæc enim eſt firmamentum & columna veritatis, contra quam portæ inferi non poſſunt prævalere, quæ proin nec in Verbo Dei ſcripto, nec in tradito falli, aut fallere poteſt. Hæ regulæ Tyroni Theologiæ ſufficiant, qui plura de hac materia deſiderat, adeat Annatum

natum L. 3. Art. 2. & D. Cartier Tom. 1. Tract. 2. c. 3. & seq. Nunc tria adhuc examinabo: primum est, qua Traditione ad nos pervenerit jejunium quadragesimale? 2dum, an ex Traditione habeamus, Symbolum ab Apostolis esse compositum? 3tium, quale argumentum ex Traditionibus inferri queat?

ARTICULUS V.

Quænam sit Traditio de jejunio quadragesimali?

Assero. Traditio de jejunio quadragesimali est Apostolica, seu istud jejunium est ab ipsis Apostolis institutum. Ita Catholici contra modernos Sectarios. 94.

Prob. per Regulam 5tam ex D. Augustino datam superius: *quod tenet universa Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur;* atqui jejunium quadragesimale ubique reperitur in Ecclesiis, nec Conciliis est institutum, sed semper retentum, nec alia apparet origo: ergo recte præsumimus, esse ab Apostolis traditum & institutum. Minor liquet: quia nullum Concilium ostendi potest, a quo fuisset institutum, & quod semper in Ecclesiis orientali & occidentali fuerit retentum, Traditio, & Historia, & utriusque Ecclesiæ Patres antiquissimi nos docent, ut S. Irenæus, Tertullianus, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Ambrosius, aliique plures: imo & Concilium Laodicenum Sæculo IV. celebratum canonibus 49. 50. 51. & 52. jejunii quadragesimalis meminit, & aliqua in eo observanda statuit: Sanctus vero Hieronymus ejusdem Sæculi IV. Pater clarissime dicit: *Nos autem quadragesimam secundum* TRADITIONEM APOSTOLICAM *toto nobis orbe congrue jejunamus.*

Deinde Apostolis utique fuit integrum tam nobilem virtutem, jejunium in veteri Testamento commendatum, & in novo per Christi in deserto 40. dies jejunantis exemplum sanctificatum, facere punctum Disciplinæ Christianæ morum? ergo & confiteamur, hoc ipsos fecisse, & præcepisse certo tempore, maxime cum totus orbis Christianus clamet, se ita sensisse hucusque. Insuper ex Historia Ecclesiastica scimus, Aërianos velut hæreticos impugnatos esse a Patribus, peculiariter a S. Epiphanio L. de Hæres. c. 33. hæresi 75., quod contra Ecclesiæ Traditionem ab Apostolis acceptam repudiarint hoc solemne jejunium.

Objic. 1. Hoc jejunium juxta Lutherum est superstitiosum: ergo non habet originem ab Apostolis. ℞. D. juxta Lutherum in hoc, sicut 95.

ſicut aliis plurimis punctis errantem c. a. recte ſentientem n. a. Jejunium, quod Deus in S. literis commendat, Chriſtus ſuo exemplo ſanctificat, ſuperſtitioſum non eſt, ſed potius virtus eximia. Forſan de Luthero & aliis ſimilis corii Sectariis illud, quod D. Ambroſius L. 10. Epiſt. 28. ad Vercell. Eccleſ. de Aërianis ſcripſit, dici poſſet: *quæ iſtos Epicureos nova Schola miſit —— qui voluptatem prædicant, delicias ſuadent, caſtimoniam nullius eſſe dicunt utilitatis? fuerunt nobiſcum, ſed non ſunt ex nobis: neque enim pudet dicere, quod dicit Evangeliſta Joannes. Sed hic poſiti primo jejunabant, intra monaſterium continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibrioſæ diſputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt —— & efferveſcentes talia diſſeminare cœperunt, quibus incentores eſſent vitiorum omnium. Miſerabiles perdiderunt utique, quod jejunaverunt, perdiderunt, quod ſe aliquo tempore continuerunt.*

Objic. 2. Etſi jejunium ſecundum ſe ſuperſtitioſum non ſit, eſt tamen ut alligatum ex præcepto certo tempori: ergo recte vocavit Lutherus ſuperſtitioſum. ℞. N. a. pro ratione negationis adduco verba S. Auguſtini Epiſt. 55. alias 119. ad Inquiſit. Jon. c. 15. ubi: *Quadrageſima ſane jejuniorum habet authoritatem & in veteribus libris ex jejunio Moyſis & Eliæ, & in Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit. —— in qua ergo parte anni congruentius obſervatio quadrageſimæ inſtitueretur, niſi confini & contigua Dominicæ Paſſioni?* Ex quo apparet, etiam determinationem temporis hujus vicini annuæ memoriæ Chriſti paſſi & reſurgentis, ut ſic per illud Chriſtianus populus ad tanta feſta devotius obeunda magis præparetur, eſſe rectiſſime factam. Et Apoſtoli tanquam ſupremi Paſtores & Rectores Eccleſiæ potuerunt rem tam ſalutarem, tam conveniente tempore ſtatuere, & Eccleſia debuit obedire, ſicut hactenus obedivit conformiter effato D. Pauli ad Rom. 13. ℣. 1. & 2. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi a Deo, quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

Objic. 3. Nec in S. Scriptura, nec in prima Eccleſia veſtigium aliquod præcepti hujus jejunii reperitur: ergo primum poſterioribus temporibus ab Eccleſia Romana ſuperſtitioſe introductum eſt. ℞. N. 2. m. a. Contrarium patet ex probationibus & hucusque dictis, ac ex antiquis Patribus. Concilium Laodicenum hoc jejunium jam ante inſtitutum ſupponens, illis canonibus varia ordinat ſanctitati hujus jejunii congruentia: quod jam ſæculo IV. contigit.

Objic. 4. Caſſianus coll. 21. c. 30. expreſſe teſtatur, in primitiva Eccleſia nullam jejunii quadrageſimalis fuiſſe obligationem: ergo

primum

primum postremis temporibus est institutum ab Ecclesia. ℞. n. a. Cassianus non loquitur de prima Ecclesia universali, quæ post Apostolorum primum divisionem sumpsit exordium, dum illi ubivis gentium Evangelium prædicavere, & disciplinam Ecclesiasticam instruxere: sed loquitur de prima Ecclesia solum primo & altero anno Jerosolymis fundata & existente, quo tempore institutio jejunii quadragesimalis nondum facta erat, saltem ad normam legis expressæ. Ipso loco citato Cassianus agnoscit obligationem jejunii quadragesimalis introductam post divisionem Apostolorum, & eorum prædicationem ubique factam.

Objic. 5. In antiquis pœnitentialibus canonibus pœnitentes de variis peccatorum speciebus interrogantur, nunquam vero de violatione jejunii quadragesimalis: ergo hoc tunc non fuit in usu. ℞. N. c. In antiquis canonibus pœnitentialibus ea duntaxat ponuntur peccata, pro quibus tum temporis pœna canonica statuta erat: sed primis illis temporibus pro violatione jejunii quadragesimalis nulla similis pœna adhuc taxata erat.

Objic. 6. S. Chrysostomus in 1. Corinth. 3. Homil. 9. ait: Jejunium esse pietatis & consilii, non vero præcepti: ergo hoc præceptum non agnovit. ℞. D. a. & ibi S. Chrysostomus non est locutus de jejunio quadragesimali c. a. secus n. a. S. Chrysostomus, dum ita loquitur, ut ait objectio, aut intelligendus est de jejunio perpetuo, ad quod nemo stringitur ex præcepto Apostolico vel Ecclesiastico, aut vult tantum insinuare, quod nullum jejunium sit juris divini, per quod non excludit jus, aut præceptum Apostolicum vel Ecclesiasticum. Insinuat satis idem S. Doctor hoc præceptum, dum Homil. 6. ad populum Antiochenum laudat conscientiam fidelium, quam in aliquibus ita teneram deprehendit, ut omnia pati voluerint, *quam aliquid Lege jejunii non concessum degustare.*

Objic. 7. Tertullianus L. adversus Psychicos ait, *indifferenter jejunandum esse ex arbitrio, non ex imperio disciplinæ:* ergo. ℞. D. a. & hæc verba Tertullianus non intelligit de jejunio quadragesimali c. a. secus n. a. Tertullianus adducta in objectione verba non intelligit de jejunio quadragesimali, quod in eo libro vel Tractatu de Jejuniis apud Psychicos (ita vocavit Catholicos, adversus quos jam Montanista factus hunc tractatum scripserat) esse de præcepto constanter supponit, sed de jejunio, quod non nulli Catholici præter jejunium quadragesimale ex devotione singulis septimanis feria IV, & VI. servabant. Si quidem Montanistæ præter quadragesimam in tota Ecclesia usitatam,

volebant adhuc aliam ſtatuere: Catholici hoc abnuebant, dicentes, hoc eſſe præter inſtitutionem Apoſtolicam. Tertullianus defenſurus Montaniſtas repoſuit: quadrageſimæ, quam Catholici Traditione Majorum conſtitutam dicebant, poſſe adhuc aliam (id quod ad hominem probavit ex jejunio a nonnullis extra quadrageſimam ſervari ſolito) addi. Sic loquitur: *Præſcribitis* (vos Catholici, quos objicientes inducit) *conſtituta eſſe ſolemnia, —— hisque nihil obſervationis adjiciendum eſſe ob illicitum innovationis. State in iſto gradu, ſi poteſtis. Ecce enim convenio vos, & præter Paſcha jejunantes circa illos dies, quibus ablatus eſt Sponſus, & ſtationum ſemijejunia interponentes* (id eſt, præter jejunium quadrageſimale, quod ſervatis circa tempus, quo per paſſionem ablatus eſt Sponſus Chriſtus Dominus, obſervatis ſtationes, ſeu illa jejunia feria IV. & VI.) *& vos pane & aqua victitantes, ut cuique viſum eſt. Denique reſpondetis: hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio. Moviſtis ergo gradum excedendo Traditionem, cum, quæ non ſunt conſtituta, obitis.* Ex quibus liquidum eſt, Tertullianum omnino ſupponere jejunium quadrageſimale, & verba in objectione recitata nulla ratione tangere illam quadrageſimam.

Objic. 8. S. Auguſtinus, & S. Hieronymus dicunt, ſuo tempore paucos jejunaſſe: atqui ſi jejunium fuiſſet de præcepto, debuiſſent omnes jejunare: ergo non fuit de præcepto. ℞. SS. Auguſtinum & Hieronymum loqui de jejunio ſex dierum ſine interruptione usque ad occaſum Solis pertrahendo, quod, ut non erat de præcepto, ſic tunc temporis a paucis obſervabatur etiam Romæ. Verum aliunde conſtat, SS. hos Doctores tenuiſſe, quadrageſimam hanc ab Apoſtolis inſtitutam & traditam eſſe.

Objic. 9. Theodoretus L. 5. de D. Decretis de abſtinentia ſcribit, ab Eccleſia neutiquam prohiberi vini & carnis participationem: ergo. ℞. N. c. Theodoretus cit. loco ſcribit contra hæreticos docentes, nonnullos cibos, quos inter recenſebant carnem, immundos eſſe, & propterea interdictos; quem errorem ut retunderet, oſtendit, ab Eccleſia non prohiberi carnis participationem, quaſi hoc genus cibi foret *immundum*, nec unquam pro loco & tempore cum gratiarum actione ſumi poſſet: per quod excludit minime præceptum quadrageſimæ.

Objic. 10. Socrates antiquus Hiſtoricus refert, illos, qui Romæ ſunt, olim tres ſeptimanas ante Paſcha, Sabbatho & Dominica exceptis, ſimul jejunaſſe: ergo non quadraginta dies: ergo quadrageſima non eſt ab Apoſtolis tradita. ℞. n. c. Nam Socrates loquitur

tur de jejunio majori, quod Romæ illa ætate ultimis tribus strictius servabatur, quam primis quadragesimæ septimanis; primis enim omnes quidem abstinebant carne & secunda refectione, in medio tamen quadragesimæ rigore majore jejunare cœperunt, usque ad occasum Solis nihil cibi sumendo, id quod primis tribus hebdomadis non omnes servabant exceptis diebus 2. 4. & 6.

Objic. 11. Eusebius in Chronico refert, quadragesimale jejunium a Telesphoro Papa, qui II. sæculo Ecclesiæ præfuit, per hoc tempus præceptum, atque institutum esse, quosdam affirmare: ergo non manat ex Apostolorum Traditione. ℞. Telesphorus jejunium istud non instituit, sed a Traditione Apostolica usu receptum novo solum decreto munivit, faciens, ut ad 7. hebdomades se extenderet, sicque demptis licet dominicis, tamen adhuc 40. dies jejunales essent. Præterea hoc testimonium Eusebii teste Arnaldo Pontaco non invenitur in MSS. illius; & ipsa verba: *quidam scribunt*, Eusebio alias prorsus insolita arguunt additionem ab alio factam. Adde, antiquissimos Scriptores cum S. Hieronymo Epist. ad Marcellam coævo Eusebio: omnes clamare voce unanimi: *Nos unam quadragesimam secundum Traditionem Apostolicam jejunamus.* Si autem Telesphorus instituisset, id non latuisset S. Hieronymum, qui proin non scripsisset, id esse secundum *Traditionem Apostolicam.*

Itaque præceptum quadragesimalis jejunii non est lex expressa, vel ab Apostolis scripta: sed est Traditio ab Apostolis derivata, & se habet per modum consuetudinis Ecclesiasticæ, & legis tacitæ. Advertere quoque oportet, forte non semper æqualiter ab omnibus hoc jejunium in initio institutionis suæ observatum esse: id quod colligitur ex Concilio Palæstino sæculo II. celebrato, in quo hæc leguntur: "cum omnes Apostoli ex hoc mundo transissent, per universum orbem diversa erant jejunia; in Italia alii plenos quadraginta „dies jejunabant, alii triginta: alii dicebant, septem diebus, in quibus mundus concluditur, sufficere sibi jejunare: alii quia Dominus „40 diebus jejunasset, illi horas 40. deberent. Cum hæc ergo talis „diversa esset observatio, mæror erat Sacerdotum, quod, ubi erat „una fides, dissonaret jejunium.„ Quare Patres in hoc Concilio studuerunt hunc abusum tollere, & recessum a numero quadraginta dierum emendare.

ARTICU-

ARTICULUS VI.

An Symbolum noſtræ fidei, quod communiter Apoſtolicum dicitur, ſit reapſe ab Apoſtolis compoſitum?

96. Affero, & Reſpondeo ad quæſitum affirmative: ita enim nos inſtruit Traditio. Ita Catholici contra aliquos hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, ut vocat Dupinus. Prob. eadem ratione, qua aſſertio articuli quinti. Nam noſtræ fidei Symbolum, quod Apoſtolicum dicimus, tenet univerſa Eccleſia, nec eſt conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum: ergo merito creditur authoritate Apoſtolica traditum, & ab Apoſtolis re ipſa compoſitum. a. p. S. Irenæus Vir ſecundi ſæculi, & diſcipulus S. Polycarpi, qui diſcipulus erat S. Joannis Evangeliſtæ L. 1. contra hæreſes non parvam partem hujus ſymboli refert, per hoc ſatis demonſtrans, ſe hoc ſymbolum jam ſua ætate ſciviſſe: dein vocat ſimul, *fidem ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis acceptam:* ergo hoc ſymbolum ab Apoſtolis compoſitum, & nobis traditum eſt.

Tertullianus ſecundi & tertii ſæculi ſcriptor de *Virginibus velandis* c. 1. de Præſcript. c. 13. 21. & 23. totum fere ſymbolum recitat, & non una vice vocat regulam ab Apoſtolis traditam, & ab initio Evangelii decurrentem. S. Ambroſius ſæculi quarti Pater adverſus Paneam de ſymbolo ait: *credatur ſymbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſervat.* Cum S. Ambroſio ſentit S. Hieronymus ejusdem ſæculi Pater nuncupans Epiſt. 7. ad Siricium Pontificem, & Epiſt. 61. ad Pammachium c. 9. hoc, *ſymbolum fidei noſtræ, & ſpei ab Apoſtolis traditum.* His & aliis Patribus accedit unanimis ſenſus Eccleſiæ, cui contradicere, temeritatis labe non careret.

Sequitur iſta aſſertio etiam ex regula Grotii, quam Riveto dedit, ad cognoſcendum, an aliquid ab Apoſtolis ſit traditum, quæ ſic habet: *ſi accedunt teſtes aliquot pii, prudentes, & magnæ in Eccleſia authoritatis, qui affirment hoc velut ab Apoſtolis traditum, jam probationem habemus tantam, quanta in hac materia ſufficit, nec minorem ea, per quam ſcripta Apoſtolica a non Apoſtolicis dignoſcimus.*

97. Objic. 1. S. Lucas in actis Apoſtolorum nullam facit mentionem hujus ſymboli: ergo ſignum eſt, illud non fuiſſe ab Apoſtolis compoſitum, & traditum. ℞. n. c. Symbolum hoc ab Apoſtolis ſcriptum non erat, ſed viva voce de aure in aurem traditum; hinc ejus in actis Apoſtolorum nulla fit mentio: quamvis S. Lucas plurium ibi non meminerit, quæ ab Apoſtolis facta ſunt: ſic nec refert adventum S. Petri in urbem Romam, nec Evangelium a ſe conſcriptum.

Objic.

Objic. 2. Si hoc Symbolum ab Apostolis compositum & traditum est, deberet canoni Sacrarum Scripturarum inseri; sed hoc non est factum, neque fiet: ergo non est ab Apostolis compositum & traditum. ℞. N. M. Hoc Symbolum ab Apostolis fuit traditum, ut audiendo perdiscatur, non vero ut scribatur: atque adeo, quia non est Scriptura in primitiva sua origine, nec in canonem SS. Scripturarum referri solet, aut debet.

Objic. 3. P. P. primorum sæculorum non objecerunt hoc Symbolum hæreticis: sed hoc fecissent, si fuisset ab Apostolis acceptum: ergo. ℞. N. m. Patres potius doctrinam symboli, quam symbolum ipsum opposuere hæreticis, quia hoc non *scripto* tradidere Apostoli. Præterea sufficit, hujus symboli meminisse Irenæum II, & Tertullianum III. sæculi Scriptores.

Objic. 4. Hoc symbolum non est ubique idem: aliter recitatur in Ecclesia orientali, aliter in occidentali; sed si esset ab Apostolis, ubique idem esse deberet: ergo non est ab illis. ℞. N. M. Si de mutatione & variatione substantiali intelligi petit. Symbolum hoc, ut Traditio, & unanimis sensus Ecclesiæ habet, est ubique in tota Ecclesia receptum; si vero hinc inde variet, non est variatio substantialis & secundum sensum, sed accidentalis, & secundum verba; quædam enim successu temporis majoris declarationis gratia sunt addita, ut patet ex primo Articulo, quem Ecclesia Romana ita recitat: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.* Ecclesia orientalis vero: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem.* Ecclesia autem Aquilej.nsis: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, invisibilem, & impassibilem.* Insuper quia Apostoli tantum ore tradiderunt hoc symbolum, mirum non est, quod illud in diversis locis diversis verbis interdum fuerit expressum.

Objic. 5. Hoc Symbolum in Conciliis Nicæno, & Constantinopolitano fuit immutatum, & hoc prætermisso in Missa legitur & cantatur Constantinopolitanum, quod non fieret, si ortum ab Apostolis haberet: ergo non habet. ℞. Nec Concilium Constantinopolitanum, nec Nicænum substantialiter mutavere symbolum Apostolorum, sed ad fidei dogmata in hoc contenta magis contra hæreticos, Macedonium præprimis & Eunomium, explananda addidit ista verba: *Et in Spiritum S. Dominum, & vivificantem &c.* Et licet etiam Concilium Nicænum I. jam ante Concilium Constantinopolitanum hoc Apostolorum Symbolum paulisper mutaverit, tamen tam Nicænum, quam Constantinopolitanum non est diversum in substantia ab Apostolorum symbolo; hoc enim tali modo in illis Conciliis contra insurgentes hæ-

refes tantum magis explicatum fuit. Quamvis etiam fymbolum Conftantinopolitanum in Miffa dicatur, & canatur, tamen Apoftolicum fæpius recitat Ecclefia tum in privatis precibus, tum in officio canonico, in quo ad minimum ter quotidie, fcilicet ad Matutinum, Primam & Completorium recitatur.

Objic. 6. Quatuor circumferuntur fymbola, nempe Apoftolicum, Nicænum, Conftantinopolitanum, & illud, quod tribuitur S. Athanafio: fed fruftra funt tot fymbola, fi illud primum velut fidei compendium ab Apoftolis eft traditum: ergo non eft fic traditum. ℞. N. m. Alia fymbola non funt fupervacanea, quia explanant clare dogmata fidei in fymbolo Apoftolorum fynoptice enarrata, & ferviunt maxime contra hærefes refutandas. Dein hærefes, quæ Conciliis anfam dedere explicandi clarius fymbolum, miniftrarunt quoque occafionem S. Athanafio, ut fuum fymbolum componeret, poftea ab Ecclefia receptum.

Objic. 7. Non poteft defignari tempus, quo ab Apoftolis fuerit compofitum, aut ratio, ob quam fuerit compofitum: ergo. ℞. N. a. Ratio motiva condendi tale fymbolum fumma fidei capita concludens, fuit procul dubio, ut Apoftoli in toto orbe dividendi in prædicanda fide forent unius doctrinæ, & unius labii. Tempus, quo conditum fuit, non ita certum eft: nec hic requiritur certitudo; quia circumftantia incerta fubftantiam certam Traditionis evertere nequit. Nihilominus omnino verifimile eft, fymbolum hoc effe compofitum, antequam Apoftoli Jerofolymis difcederent, prædicaturi Evangelium univerfæ creaturæ. Credibiliter ibi celebrarunt Concilium, in quo ipfum orbem inter fe diviferunt luftrandum, & doctrina Evangelica imbuendum, ac fimul communem iftam fidei thefferam compofuere.

Objic. 8. Nec unquam exhibitum fuit, nec exhiberi poteft originale hujus fymboli, nec nominari, quis fcripferit: ergo. ℞. N. c. Symbolum hoc primo non eft fcriptum, aut fcripto traditum, fed viva voce: hinc inepte fatis ejus primitiva fcriptura exigitur. Rectius ait S. Hieronymus Epift. ad Pammachium: *Symbolum fidei & fpei noftræ, quod ab Apoftolis traditum, non fcribitur in charta, aut atramento, fed in tabulis cordis.* Ea de re, tefte Fleurio, pluribus quoque fæculis non licebat illud fcribere.

Objic. 9. Symbolum hoc non congruit tempori Apoftolorum: ergo ipfos non habet authores. p. a. Nonus Articulus dicit: Ecclefiam *Catholicam*, quod prædicatum illi tempori, quo Ecclefia extra Judæam

dæam necdum erat plantata, non convenit: ergo. ℞. Hanc vocem; *Catholicam* non esse ab initio per Apostolos positam, sed postea contra hæreticos & Schismaticos additam.

ARTICULUS VII.

An ex Traditione Argumentum Theologicum deduci valeat?

Assero: Ex Traditione Divina rite cognita deducit Theologus argumentum certum & infallibile, non minus, ac ex ipsa Scriptura. Ita Catholici contra Sectarios. 98.

P. breviter. Traditio Divina cognita æque est verbum Dei, ac Sacra Scriptura: ergo ex illa sicut ex hac æque deducitur argumentum certum & infallibile; nam non minus credendum est verbo Dei ore prolato, ac scripto: siquidem Verbum Dei authoritatem suam non accipit a scriptura, sed a Veracitate Dei: atqui huic innititur quoque verbum Dei non scriptum, seu traditum. Liceat iterum proferre testimonium inimici nostræ Religionis Grotii, qui ait: *omne verbum stat in duobus testibus, in Scriptura & Traditione, quæ mutuo facem sibi allucent. Nam & scriptis libris credimus testimonio Ecclesiæ, ut vere dixit Augustinus, id est, propter Traditionem, & Traditiones Apostolicas Scriptura commendat, & Traditio interpretatur Scripturam, sicut legem scriptam consuetudo.*

Objic. 1. Impossibile videtur, potuisse conservari Traditiones non scriptas ob plurima impedimenta humana oblivionem, imperitiam, negligentiam, perversitatem &c. ergo ex iis non videtur posse formari validum argumentum. ℞. N. a. Recte Bellarminus L. 4. c. 12. ad hanc objectionem respondet, esse potius impossibile, non conservari Traditiones, cum ista cura non incumbat præcipue hominibus, sed Deo, qui Ecclesiam regit. Sicut ergo conservat Ecclesiam usque ad hanc diem contra tot persecutiones Imperatorum & Principum, Philosophorum, Judæorum, gentilium, hæreticorum, ita etiam poterit conservare Traditiones ad fidem, & disciplinam christianam necessarias: maxime, quia præter Providentiam divinam, ut recenset laudatus, quatuor alia sunt adjumenta. Primum est Scriptura; quamvis enim Traditiones non sint scriptæ in S. Codice, sunt tamen scriptæ in monumentis & libris veterum. Secundum est Usus continuus; pleræque enim Traditiones sunt in continua observatione, ut ritus Sacramentorum, dies festi, jejuniorum tempora, celebratio Missæ, & officiorum divinorum, aliaque. Tertium suppedi- 99.

tant quædam monimenta externa, quæ ad longiſſimum tempus durant, ut Templa antiquiſſima, & in iis altaria, Sacri fontes, memoriæ Sanctorum, Cruces, Imagines, Libri Eccleſiaſtici & ſimilia. Quartum miniſtrant ipſi noſtri inimici hæretici, quibus Deus utitur ad Eccleſiam in ſuis dogmatis confirmandam, & conſervandam; quemadmodum enim ſingulis ætatibus tales ſurrexere, ſic & iisdem temporibus extitere homines docti, qui, ut hæreticis ſeſe opponerent, diligenter inquiſiere doctrinam Eccleſiæ, Traditiones veteres. Conſule Bellarminum citatum, qui iſta amplius deducit.

Objic. 2. Ipſa SS. Patrum ſcripta fuere interdum corrupta: ergo iſta non ſatis docent veram Traditionem. ℞. D. a. fuere corrupta aliqua c. a. omnia n. a. Si Traditionem divinam indagamus, eam in Patrum ſcriptis puris & integris quærimus, de quibus nemo prudentum dubitare poteſt.

Objic. 3. Antiqui Hæretici non raro jactarunt, Traditiones a ſuis partibus ſtare: ergo. ℞. D. a jactarunt ſplendide mentiendo c. a. verum dicendo n. a. Etiam S. Scripturam hæretici pro ſe applicarunt: ergo & S. Scriptura ideo rejicienda foret. Contra hos ſemper Deus egregios Doctores excitavit, qui eorum falſitates refellerent, & ipſis larvas detraherent. Hæc de Traditionibus tradidiſſe ſatis eſt.

PARS III.

De Eccleſia Catholica.

Penſata prioribus binis partibus S. Scripturæ, & Traditionis, præcipuorum, licet (ut vocant) mortuorum Locorum Theologicorum natura & authoritate, modo ordinis, & dignitatis ratio petit, ut de Eccleſia, inter vivos, ut ajunt, Locos Theologicos præcellente tractemus.

ARTICULUS I.

Eccleſiæ Synoptica Delineatio.

100. Eccleſia igitur, ſi nominis Etymon ſpectes, ſignificat *evocationem*, vel *convocationem*: ſic eſt Eccleſia evocatorum vel convocatorum cœtus, imo etiam ipſe locus, in quo cœtus fit: hocque grammaticali ſenſu quilibet conventus vel congregatio etiam civilis & politica Eccleſia nuncupari poteſt. Ita David Pſal. 25. ait: *odivi eccleſiam malignantium*;

gnantium; & Psal. 106. ℣. 32. *exaltent eum in ecclesia plebis*, id est, in conventu civili & politico.

Ast in sensu Ecclesiastico, in quo istud nomen modo usurpamus, Ecclesia significat fidelium societatem, vel congregationem. Cum vero inter fideles, quorum societas constituit Ecclesiam, alii sint in termino, seu *comprehensores*, qui jam æternæ beatitudinis præmio fruuntur, æternum felices & triumphantes in cœlis: alii *Viatores*, qui hic in terris militant: alii in pœnis purgatorii post hanc vitam aliquo tempore detenti, & patientes, donec justitiæ divinæ plene satisfaciant, hinc Catholici triplicem distinguunt Ecclesiam, vel verius triplicem ejusdem Ecclesiæ statum: primum vocant *Ecclesiam triumphantem*, alterum *militantem*, tertium *purgantem*, vel *patientem*. Prior est perpetuus, non vero posteriores, qui tamen ad primum tamquam finem referuntur. In præsenti parte nobis erit negotium, solum agere de Ecclesia militante, quæ variis celebratur nominibus: nunc vocatur Religio veri Dei, nunc Sponsa Agni, nunc, & quidem apposite ad nostrum propositum, *congregatio omnium fidelium sub uno invisibili in cœlis capite Christo, & visibili in terris Summo Pontifice ejus Vicario, ac legitimis Pastoribus.* Hujus igitur dotes, objectum, caput, membra, hostes, & de eis triumphos quasi in synopsi sub conspectum ponam, secutus in hoc clarissimum Theologum P. Antonium Boucad Ord. S. Francisci de Paula Theol. Patrum Tract. de Ecclesia sub initium, cujus etiam verba plerumque usurpabo; tam eleganter enim quasi in Idea & speculo describit Ecclesiam, ut nihil addi, demi, vel mutari possit: sic itaque loquitur de Ecclesia:

„Lege interiore primum incessit, tum Mosaica, demum „Christiana. Incepit in primis parentibus: refulsit in Abele: crevit „in Seth: apparuit in Enoch cum cultu solemniore, servata ad dilu„vium usque: postea per Noe transmissa est ad Abraham, in quo „nova & de perpetuitate, & fœcunditate promissa accepit. Typum „habuit Sacrificii nostri incruenti in Melchisedech: illustrata est pa„tientia Job, floruit in Moyse, & in Concilio Seniorum: deficiente „Aaron non defecit; idololatrantibus Prophetis Baal non abiit post „Deos alienos: non concidit errante Synagoga, quæ Christum cruci„figi voluit: vel ipsis fugientibus Apostolis non extincta est: delapso „denique super eam in die Pentecostes Spiritu Sancto, vicit furen„tes contra se omnis generis hostes: vicit Philosophos paganos sa„pientia, Tyrannos constantia: Hæreticos fide: Schismaticos unita„te: impios vero morum suavitate, & sanctitate. In persecutioni-

„ bus infracta permansit: inter errorum scopulos, & hæresum tem-
„ pestates indefectibilis: in veritate vel declaranda, vel explananda,
„ vel propugnanda infallibilis: in vitiis expugnandis indefessa: ob-
„ scurioribus temporibus semper visibilis: denique una, sancta, Catho-
„ lica, & Apostolica. Non annumerat inter sua membra Ethnicos,
„ nondum sunt Catechumeni, non desinunt esse imperfecti & pec-
„ catores; secus vero Apostatæ, Hæretici & Schismatici. In sola
„ Ecclesia Romana vera fides, & veræ Ecclesiæ notæ reperiuntur.
„ Sola habuit veros Martyres: sola vera miracula: sola legitimam
„ Pastorum successionem: sola per totum orbem diffusa conspicitur.
„ Ejus objectum Deus, ut Author naturæ & gratiæ colendus: subje-
„ ctum creatura rationalis, principia articuli fidei, Lex & gratia,
„ præcepta, ea, quæ in Decalogo continentur, consilia, paupertas
„ Evangelica, obedientia promissa, castitas consecrata: Ejus deni-
„ que finis Deus intuitive videndus, & possidendus.

„ Ecclesia Deum profitetur esse adversum Atheos, unum
„ adversus Idololatras, Providum adversus Epicureos, Incorporeum
„ adversus Anthropomorphitas: Ens a se formaliter, simplicem sine
„ distinctione saltem reali, omnipotentem, immensum, æternum,
„ ubique præsentem, cuncta cognoscentem, omnibus cumulatum
„ perfectionibus, invisibilem quidem nobis viribus naturæ, visibi-
„ lem vero virtute gratiæ, seu luminis gloriæ, imo & nunc a Sanctis
„ e mundo ereptis, quibus nihil purgandum remanet, visum, etiam
„ non refragante S. Bernardo. Denique trinum in Personis agnoscit:
„ Patrem a nullo: Filium non factum, sed a Patre genitum: Spiri-
„ tum S. non factum, non genitum, sed a Patre & Filio simul pro-
„ cedentem. Multiplici argumentorum genere Personarum SS. Tri-
„ nitatis in una Natura subsistentium veritatem contra malignantes
„ probat: maxime illo 1. Joan. c. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in*
„ *cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S.*

„ Multiplicatis peccatis etiam multiplicatæ sunt Religiones;
„ quatuor potissimum recensentur, duæ falsæ, imo abominabiles, vi-
„ delicet Ethnica, Idolorum cultui addicta, & Mahumetica, sicut
„ sordibus, ita & superstitionibus conspersa: duæ vero aliæ meliores,
„ Mosaica & Christiana: priores nusquam bonæ: tertia ad Christum
„ usque tantum salutaris: quarta sola nunc vera: nulla est ab illa,
„ quæ certis nitatur principiis; sola sancta; nulla alia, quæ verum ac
„ Deo dignum exhibeat cultum & ab omni superstitione alienum; so-
„ la perfecta: nulla, quæ magis promoveat ad virtutem; cæterarum
„ enim

„ enim nunc in terra grassantium aut absurda doctrina, aut impura „ moralis, aut indigna homini proposita proemia, aut superstitionis „ cultus, aut flagitiosi Authores, aut Præcones testes & Magistri o- „ mni fide indigni. Miracula tum a Christo, tum ab Apostolis pa- „ trata annuntiant Ecclesiæ Christianæ veritatem: sed quod stupen- „ dum magis, fides Ecclesiæ tametsi obscura rationi, aspera sensibus, „ antiquitatis omnino adversa opinionibus, Ethnicos, Magos, & „ ipsos Dæmones ita domuit, ut Sanguis Martyrum factus sit semen „ Christianorum.

„ Ecclesia, ut Religio Christiana, gentilem & profanam reji- „ cit, imo & Mosaicam; gentilibus ostendit Incarnationem sicut pos- „ sibilem, sic & credibilem: Judæis vero venisse Messiam, & esse Je- „ sum Nazarenum ex illibata Virgine natum. Legem veterem ipsius „ adventu propugnat ablatam: figuras in Christo terminatas esse pro- „ bat, item est vaticinia in Eodem adimpleta, quorum alia subindi- „ gitant Incarnationis existentiam, ut istud Jacob morientis vatici- „ nium Gen. 49. *non aufferetur sceptrum de Juda* &c. alia conceptionem „ operante Spiritu S. ex B. Maria; alia præsentationem in templo, „ prædicationem, miracula, passionem: alia denique resurrectionem, „ & in cœlos ascensionem: hinc supra modum mira est Verbi divini „ ad nos declinantis misericordia, cujus quidem unio cum humanitate „ ita divina est, ut sit Hypostatica, ita intima, ut sit immediata, ita „ universalis, ut se extendat ad animam & corpus, ita realis, ut „ Christus vere fuerit passibilis, etiam non dissentiente S. Hilario. „ Tot & tantis probavit argumentis suam resurrectionem Dominus „ Jesus, tot sunt secuta signa, sermonem Apostolorum de Incarnatio- „ ne confirmantia, ut, postquam Ecclesia in omnes mundi plagas „ fuit diffusa, per omnes ætates propagata, ex omni hominum gene- „ re collecta, in hac tanta & temporum & regionum varietate, ubi- „ que & semper ejusdem fidei, ejusdem moralis, ejusdem saltem in „ substantia regiminis, ejusdem & cultus vinculo conjuncta perman- „ serit. Demum divina nutritur gratia: actualem ad omne opus salutis „ necessariam dicit. ——

„ Ecclesia, quatenus omnium fidelium unam fidem profiten- „ tium congregatio, caput invisibile Christum in cœlis regnantem ha- „ bet, cujus Vicarius B. Petrus: isti vero succedit omnis Summus „ Pontifex canonice electus; hinc inter cæteros Ecclesiæ Præsules „ nedum ordine, sed & jurisdictione Primus. Ipsi ex jure avito in- „ cumbit adunare Concilia, eisdem præesse, eaque approbare. In-

„ fallibi-

„ fallibilitatem in definiendis fidei dogmatibus convenire Ecclesiæ fi-
„ des docet; hac fortium armatura stipata, suos omni tempore de-
„ bellavit hostes. Primo sæculo errorem Judæorum legalia cum Ev-
„ angelio commiscentium in Concilio Apostolorum correxit. Se-
„ cundo sæculo insurrexit adversus Quarto - Decimanos in Synodo
„ Palæstinæ. Tertio sæculo suo perstrinxit stilo censorio Pameam &
„ Noëtum, qui unicam in Deo admittebant Personam, tum Sabel-
„ lium, qui eandem perversam acrius post istos propugnabat doctri-
„ nam. Eodem tertio sæculo magna exarsit controversia pro baptis-
„ mo hæreticorum inter Cyprianum, Firmilianum, & Stephanum
„ primum Romanum Pontificem: prior tria Carthagine, alter duo in
„ Oriente, Iconii & Synodiis Concilia adunarunt, in quibus baptis-
„ ma ab Hæreticis, etiam verbis Evangelicis collatum, irritum de-
„ finiere: his restitit fortiter simul & suaviter Stephanus; fidem enim
„ ita defendit, ut nec pacem ruperit, nec in contrarium errorem
„ prolapsus sit. Illorum quarto sæculo Donatistæ secuti sunt erro-
„ rem, sed non imitati charitatem; primum enim in apertum schis-
„ ma, deinde in hæresin prolapsi sunt: damnati in Concilio Roma-
„ no sub S. Melchiade, provocaverunt ad Constantinum Imperato-
„ rem: Ecclesia cedens protervitati eorum, dedit aliud non ex ne-
„ cessitate, sed ex indulgentia Arelatense judicium, quo iterum, at-
„ que iterum victi, o furiosa rabies! pro more Paganorum, adhuc
„ Constantinum appellarunt, qui tantam exilio, aliisque pœnis com-
„ pescuit audaciam.

„ Ecclesia eodem sæculo quarto gravissimam aliam subiit tem-
„ pestatem occasione Arii, qui Verbum meram, tametsi omnium
„ excellentissimam, creaturam dixit; Aetianos & Acacianos Secta-
„ rios habuit, nusquam vero Liberium Papam. Damnata fuit ista
„ hæresis Nicææ in Bythinia Concilio Nicæno primo. Innumera
„ prope ad hæresin suam stabiliendam Ariani adunavere conciliabula,
„ sed his alias & fide & virtute meliores Synodos numero circiter 22.
„ opposuit S. Mater Ecclesia, ab anno scilicet 315. usque ad annum
„ 589. quibus in tanta temporum acerbitate ejus universalitas robo-
„ rata, veluti fluvius Paradisi voluptatis, perenni fidei fluxu & re-
„ fluxu totum irrigavit orbem. ——

„ Ecclesia iteratas quarto sæculo non sine magno animi S. Da-
„ masi Summi Pontificis mœrore experta est Tragœdias opera Mace-
„ donii, qui Spiritui S. nefando scelere abnegavit Divinitatem; hinc,
„ qui ipsi adhæserunt, a Græcis Pnevmatomachi, id est, Spiritus S.
„ impugnatores, dicti sunt. Hæc nefaria hæresis orta est anno Chri-

„ sti

„ sti circiter 360. juxta Epiphanium hæres. 74. postea velut cancer ser-
„ psit in mundum. Et vero magna populi multitudo tum Constanti-
„ nopoli, tum in Bythinia, Thracia, Hellesponto, tum & aliis in regioni-
„ bus Macedonio adhærebat: inter cæteros eminebat Marathonius, qui
„ errorem partim studio, partim pecunia ita auxit, ut Macedonia-
„ ni, teste Sozomeno, a multis Marathoniani vocarentur. Fidem
„ Ecclesia, damnato in Synodo Constantinopolitana Architecto,
„ primum sic explicavit in Symbolo: *Credo in unum Deum* —— *Et in*
„ *Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, qui cum Patre & Filio simul*
„ *adoratur, & conglorificatur.* Tum in Florentina addidit: *qui ex Patre*
„ *filioque procedit.* Pelagius quinto sæculo novæ hæresis stimulis turba-
„ vit Ecclesiam; ita enim humanam extollebat naturam, ut Christi
„ prorsus evacuaret gratiam, damnatus in Conciliis Africanis, illu-
„ sit Patribus Diospolitanis; sic enim gratiam explicavit, ut a lege
„ nunquam recesserit: illusit & Zosimo Papæ ejus (Pelagii) discipu-
„ lus Cælestinus: sed fraude detecta uterque damnatus est in Concilio
„ Romano, deinde in generali Ephesino. Sed abscisso hydriæ capi-
„ te perstrictione Pelagii, remansit in cauda venenum, scilicet in
„ Massiliensibus, qui initium fidei a voluntate humana in se relicta
„ ducebant.

„ Ecclesia novos in Oriente, eodem quinto sæculo ingemi-
„ scens, habuit adversus proprios filios congressus; namque anno
„ circiter 429 graviter erravit Nestorius circa Incarnationis substan-
„ tiam; in Filium & Matrem æqualiter iniquus, Illi Divinitatem,
„ Huic Deiparæ abrogavit dignitatem. Damnatus in Synodo Alexan-
„ drina, duodecim B. Cyrilli capitulis, veluti totidem anathematis-
„ mis, alia opposuit erronea: anathemate iterum percussus in Syno-
„ do generali Ephesina, non resipuit; hinc vel ab ipso Imperatore
„ proscriptus, Deo & hominibus exosus, exul & errans obiit. Ne-
„ storii blasphemiis successit elapsis 18. circiter annis Eutychetis Ar-
„ chimandritæ stupidus error, qui voce quidem dissimili, sed impieta-
„ te pari Ecclesiam dilaceravit, unicam in Christo prædicans natu-
„ ram. Contra eum exarsit S. Leo, tum Concilium Chalcedonense,
„ in quo proscriptus est. Sexto sæculo adunatum est Vtum Conci-
„ lium generale ad discutienda tria capitula, an legitime ab ipso pro-
„ scripta sint? placet admodum affirmatio. Pacem VII. sæculo tur-
„ baverunt Monothelitæ, unicam in Christo pro duabus naturis pro-
„ pugnantes voluntatem & operationem: sextum Concilium Oecume-
„ nicum (seu Constantinopolitanum III. sub Agathone Summo Pon-
„ tifice) eos anathemate percussit. Num fuerit Hononius Monothe-

„ lita, vel ſolum hæreſeos fautor, an etiam de facto in iſta Synodo „ damnatus? quoad omnia iſta tria momenta partem negativam te- „ nent viri omni exceptione majores, & nos cum eis.

„ Sepultum jam diu Neſtorianiſmum octavo ſæculo exſuſci- „ taverunt Felix & Elipandus, qui Chriſtum in ſenſu Neſtorii dixere „ merum Filium Dei adoptivum: damnatus Felix in Concilio Foro- „ julienſi, & poſtea in Ratisbonenſi, reſipuit ad tempus, ſed rela- „ pſus: habita eſt celebris Francofurti Synodus, in qua error cum „ duobus fautoribus proſcriptus eſt. Bellum eodem adhuc ævo in- „ dixit ſanctis Imaginibus Leo Iſauricus Imperator, & quidam alii: „ poſt varias ex utraque parte diſceptationes, quæſtio tandem eliqua- „ ta eſt in ſeptima Synodo generali, in qua quidem definitum eſt, „ cultu relativo & Chriſtiano colendas eſſe ſanctas Imagines. Eccle- „ ſia IX. ſæculo agitari cœpit per Photium, qui graviſſimam ſtupen- „ do ſchiſmate commovit tempeſtatem: a Nicolao I. exauctoratus, „ fucum fecit Joanni VIII., qui illuſus in priſtinum gradum prodito- „ rem reſtituit: ſed detecta fraude, iterum proſcriptus legitur, im- „ pœnitens peſtifera in Oriente ad hunc uſque diem reliquit ſui ſchiſ- „ matis ſemina.

„ Realitatem Corporis Chriſti in Euchariſtia XI. ſæculo impu- „ gnavit Berengarius; in variis Conciliis proſcriptus reſipuit, rela- „ pſus, iterum errorem reprobavit: tandem Catholicam fidem in „ Concilio Romano anno 1079. confeſſus: pœnitens, ut pie credi- „ tur, obiit. XII. ſæculo adunatum eſt Concilium Lateranenſe I. ad „ componenda ex inveſtituris ſubnata jurgia. Lateranenſe II. contra „ ſchiſma Petri Leonis, & Petrobruſſianorum hæreſin: Lateranenſe „ III. ad perſtringendos ſchiſmaticos, & hæreticos Waldenſes: XIII. „ ſæculo Lateranenſe IV. pro recuperatione terræ ſanctæ, & adver- „ ſus Albigenſes; deinde Lugdunenſe I., ubi iterum actitatum eſt de „ expeditione terræ ſanctæ, & Lugdunenſe II. pro Græcorum unione. „ Viennenſe decimo quarto ſæculo exagitavit Beguardos. Decimo „ quinto Florentinum ad metam feliciter perduxit Græcorum ſchiſma. „ Decimo ſexto Lateranenſe V. congregatum eſt, ubi de ſubſidio „ Chriſtianis præſtando adverſus Machumetanorum poteſtatem actum „ eſt. Denique Tridentinum anno 1545. inchoatum mirabilia fecit, „ dixit & definivit contra veteres & novas hæreſes, præcipue ve- „ ro adverſus Lutheranos, & Calviniſtas per totam Europam non ſi- „ ne magna animarum pernicie divagantes.“ Epitome iſta, & cur- ſim, ac ſtrictim, prævieque data a Clariſs. P. Boucad Idea Eccleſiæ tyronem

tyronem SS. Theologiæ provocare debet, ut ad singula hoc in tractatu discutienda lætabundus, & exultans gradum faciat. Sit ergo

ARTICULUS II.

De Origine Ecclesiæ Christi.

Assero. Ecclesia Christi non tantum natalem Christi præcessit, sed etiam floruit ante Christum natum tempore legis Naturæ, & scriptæ, ut tunc temporis exstitisse veros Christianæ Religionis cultores merito affirmari possit. Ita noster Bonal in suo præstantissimo opere, quod Christianus hujus temporis, vel temporis inscribitur, Honoratus Tournely, Cartier, Boucad de Ecclesia, & alii. 101.

P. 1. Illi spectant ad Ecclesiam Christi, qui salutem æternam non sunt consecuti nisi per fidem in Christum, & gratiam Christi, & quorum sane eadem fuit fides, ac nostra, idem caput Christus; sed ex viris justis, qui tempore legis naturæ & scriptæ vivebant, nullus æternam salutem consecutus est, nisi per fidem & gratiam Christi, ac eorum sane eadem fuit fides ac nostra, idem quoque caput Christus: ergo. Minor est D. Augustini in variis locis. Epist. 102. alias 49. q. 2. ait: *Sicut nos in eum credimus & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit, sic credebant in eum antiqui & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annunciatur, quod tunc futurum pronuntiabatur, ideo fides ipsa variata, vel salus diversa est.* Item contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium c. 4. *Eadem igitur fides est & in illis, qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt antea Christiani, & in istis, qui non solum sunt, verum etiam vocantur, & in utrisque eadem gratia per Spiritum Sanctum.* Con. vel Enarrat. 3. in Psal. 36. *omnes*, inquit, *qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent; Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, & Ejus fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos, ut esset & ipse totius caput Civitatis Jerusalem.* Plures similes textus ex hoc S. Doctore recitari possent, quos brevitatis ergo transeo.

Confirm. Testimonio Eusebii L. 1. Hist. c. 4. ubi postquam longo sermone demonstravit, quod, licet Christianum nomen novum sit, Religio tamen Christiana haud nova sit, sed inde jam a primo ortu generis humani instituta, & exculta fuerit, tandem concludit, Religionem, quæ ab antiquis illis viris exculta fuit, & nuper per Christi doctrinam & prædicationem patefacta, esse omnium pri-

mam & antiquiſſimam. Idem docet L. 1. Demonſtrat. Evangel. c. 5. additque L. 6. hos Patriarchas Chriſtiano more duntaxat vixiſſe.

P. 2. Religio concreata eſt cum primis Parentibus juxta illud Eccli 17. ℣. 6. *Diſciplina intellectus replevit illos, creavit illis ſcientiam Spiritus.* Huc facit etiam illud S. Auguſtini: erat condens naturam, & largiens gratiam. R. P. Maſſoullet Dominicanus late Tom. 2. de motione Dei c. 10. 11. 12. 13. & 14. probat, Protoparentes, quamdiu duravit Innocentiæ ſtatus, ſicut amore Dei, ſic & continua Divinorum contemplatione fuiſſe occupatos. Iterum certum eſt, Adamum egiſſe de peccato pœnitentiam, & bonis operibus promeruiſſe ſalutem, atque adeo Deum coluiſſe, & filios ad illum colendum inſtituiſſe. Quod ſalvus factus ſit, ſatis ex S. Scriptura liquet Sap. 9. *Quicunque placuerunt Tibi Domine a principio. Hæc illum, qui primus formatus eſt a Deo Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum a delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Hæc autem omnia facta ſunt per gratiam ex præviſis Chriſti meritis collatam. Sic S. Irenæus L. 3. adverſus hæreſ. c. 34. & ſeq. ait, Adamum fuiſſe juſtificatum, & ex hoc affulgere, mortem Chriſti paſſione abſorptam fuiſſe, id eſt, per gratiam acceptam ob paſſionem Chriſti præviſam: ergo tunc jam gratia Chriſti ſalvabat electos: & tunc jam Chriſtus venturus credebatur, & colebatur, ac caput electorum, & juſtorum unum Deum colentium erat. Sunt quidem aliqui, qui cum Tournelio & Cartier putant, Eccleſiam Chriſti, & juſtorum Deum colentium eſſe inchoandam ab Abel: ſed eorum rationes non ſunt adeo efficaces, ut noſtros Protoparentes ab hac Eccleſia excludant.

Confirm. Chriſtus omni tempore, etiam in prima hominis formatione, primum ac maximum fuit fidei, & Religionis objectum; ait enim Tertullianus: *quomodocunque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus:* ergo Chriſtiana Eccleſia jam fuit ante Chriſtum natum, imo jam in ipſo ortu primi hominis.

Solvuntur Objectiones.

102. Objic. 1. Eccleſia non eſt ſine capite: ſed in Lege naturæ non ſcimus fuiſſe aliquod caput: ergo neque tunc fuit Eccleſia. ℞. D. M. Eccleſia perfecte formata c. M. Eccleſia naſcens, & adhuc imperfecta ſubd: non eſt ſine capite particulari c. M. ſine capite univerſali n. M. Cœpit Eccleſia ab Adam & Eva, qui fuerunt Creatoris cultores, & adoratores, deinde crevit paulatim creſcente hominum numero: porro cum homines rempublicam non niſi multiplicata maxime

ſua

sua sobole constituerent, & per familias regimen humanum haberetur, Pater familias sicut in civilibus, sic & in moralibus erat caput, a quo filii & normam bene vivendi, & modum rite colendi Deum accipiebant: quæ quidem consuetudo usque ad diluvium, & post hoc usque ad Abraham perduravit, imo usque ad Moysen. Ergo Paterfamilias accepta Traditione ab Adam de modo Deum colendi, filios ipsum Dei cultum edocebat. Denique usus invaluerat, ut cujuslibet familiæ primogenitus, ex quadam deputatione more perantiquo firmata, esset veluti Sacerdos, qui primitias fructuum, & alia Sacrificia Deo offerret. Ad hæc, quamvis non haberet unum caput visibile Ecclesia antiquis temporibus, habuit tamen invisibile Christum Dominum.

Objic. 2. Ex hac assertione sequitur, plura esse fundamenta Ecclesiæ; sed hoc est contra Apostolum 1. Corinth. 3. ℣. 11. negantem, aliud posse poni fundamentum præter Christum: ergo. ℟. D. M. sequitur plura esse fundamenta ejusdem rationis & ordinis, atque primaria n. M. diversæ rationis & ordinis, & subordinata, seu præter primarium alia secundaria tantum c. M. Aliter Christus, aliter Apostoli, aliter Prophetæ fundamentum Ecclesiæ nuncupantur. Christus est fundamentum primarium: tum quia Ecclesiam sanguine suo acquisivit, & sanctificavit: tum quia fides in Christum absolute necessaria est, sine qua æterna salus obtineri nunquam potest; *Neque enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. ℣. 12. Apostoli & Prophetæ dicuntur fundamenta secundaria, in quantum doctrinam salutis de Christo Salvatore divinitus acceptam hominibus annunciaverunt: Prophetæ quidem obscurius, Apostoli autem manifestius & plenius. Prophetæ igitur sunt fundamenta minus propinqua, Apostoli propinquiora.

Objic. 3. Ante adventum Christi non fuit eadem fides, ac nostra: ergo tunc nec eadem Ecclesia fuit. ℟. D. a. non fuit eadem fides secundum modum c. a. secundum substantiam n. a. Modus est alius secundum objectum; licet & veterum & nostra fides tenderet in idem objectum Christum, tamen illi credebant nasciturum & moriturum, & nos credimus natum & mortuum; alia etiam fuit fides ex parte actus: veteres tenebantur duntaxat ad fidem implicitam in Christum, nos ad explicitam: quia Mysteria Christi fuere apud antiquos figuris & umbris involuta, apud nos autem sunt evoluta. Sed tamen secundum substantiam fuit eadem fides, ut testatur S. Augustinus Tract. 45. in Joan. ibi: *Tempora solummodo variata sunt, & verborum soni,* non

non vero fides; in venturum enim credebant, nos in Eum, qui jam venit, eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos, qui venturum esse Christum, & eos, qui Eum venisse crediderunt. Videatur in Probatione prima alius similis textus ejusdem S. Doctoris.

Objic. 4. Ecclesia est visibilis; sed in Lege naturæ non erat visibilis: ergo non erat tum Ecclesia. ℞. D. m. hoc est, non erat corpus perfecte formatum, & omnibus numeris absolutum c. m. non erat visibilis secundum cultum externum n. m. Abel obtulit Sacrificium, Noe transacto diluvio, Job & sæpius Abraham, maxime cum arietem loco filii obtulerit ordinante Deo: obtulit & Jacob, qui & aram seu lapidem erexit, fundens oleum desuper, ut legitur Gen. 28. Nec dubito, quin Adam, & alii Dei unius cultores frequentius mactarint victimas, & sacrificia. Successu temporis Ecclesia crevit in magnam arborem, primum in Lege Mosaica, tum & multo magis in Lege nova.

Objic. 5. Si fuisset Ecclesia Christi in antiquo testamento, debuissent etiam veteres appellari Christiani; sed non sunt sic appellati: ergo. ℞. N. M. Licet veteres non fuerint appellati, re ipsa tamen fuerunt, & potuissent appellari Christiani: ut docet Eusebius L. 2. Hist. c. 4. *Nam, cum Christiani nomine,* ait, *nil aliud significetur, quam vir, qui per Christi cognitionem & doctrinam, modestia, justitia, tolerantia, fortitudine, & pietatis cultusque unius, qui super omnia est, Dei professione ornatus est; hæc omnia illi veteres non minus studiose, quam nos, excoluerunt.* Sic & D. Augustinus L. 3. ad Bonifacium contra duas Epist. Pelagianorum c. 4. inquit: *Eadem igitur fides est & in illis, qui nondum nomine, sed re ipsa antea fuerunt Christiani, & in istis, qui non solum sunt, verum etiam vocantur, & in utrisque eadem gratia per Spiritum Sanctum.*

Objic. 6. Ecclesia Christi fundata est supra petram, juxta illud Matth. 16. ℣. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* ergo non fuit ante Christi adventum. ℞. D. M. Ecclesia in stricto sensu sumpta, ut est societas tantum eorum, qui credunt in Christum jam natum & mortuum c. M. Ecclesia in latiore quadam acceptione pro multitudine omnium fidelium, & cultorum unius veri Dei, qui fidem saltem implicitam in Christum habuerunt, & Hujus gratia adjuti bona opera præstiterunt, & omnino salutem sunt consecuti n. M. Distinctio liquet ex dictis. Sic exponendi sunt etiam hi textus S. Augustini, dum ait in Psal. 147. *Ecclesiam incepisse ab Jerusalem, atque hinc extendi ad omnes nationes;* & in 1. Epist. S. Joan. *ibi inchoatam esse Ecclesiam, ubi venit de cœlo Spiritus S., & implevit in uno loco sedentes centum viginti.*

Pro ulterioribus diluendis inſtantiis Nota 1. Veteres cohæſiſſe Chriſto tanquam capiti per fidem, aliave veræ Religionis pia exercitia, quamvis ante ipſum nati eſſent. 2. Membra corporis naturalis non poſſe eſſe ante capitis productionem, bene membra corporis myſtici, quale eſt Eccleſia. Chriſtus ſecundum prædeſtinationem & prævíſionem cum ſuis meritis ab æterno Deum moventibus eſt ab æterno: in quo ſenſu dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi;* quia quotquot juſti exſtitere ab origine mundi, & ſalvi facti ſunt, pretio Sanguinis Ipſius, ac merito gratiam & ſalutem ſunt conſecuti, & taliter Ipſi tanquam capiti adhæſerunt myſtice & moraliter. 3. Veteres non habuiſſe eadem cum noſtris Sacramenta quoad ſigna exteriora, ſed quoad rem ſignificatam; erant enim ſigna noſtrorum, & eadem ſignificabant. 4. Veteribus, ut ad vetus Teſtamentum pertinentibus, fuit quidem promiſſa felicitas temporalis: quia autem ob fidem ſaltem implicitam in Chriſtum etiam ſpectabant ad Teſtamentum novum, fuit ipſis etiam promiſſa, & bene viventibus conceſſa felicitas æterna. 5. Veteres, etſi Legis Moſaicæ præceptis eſſent adſtricti, juſtitiam tamen a Lege non expectabant, ſed tantum a fide Chriſti venturi: propter hanc fidem erant ſub gratia potius, quam ſub Lege, & ſpectabant potius ad novum Teſtamentum, quam ad vetus, ut clare tradit D. Auguſtinus L. 3. contra duas Epiſt. Pelagianorum c. 4.

Objic. 7. Cum Tournely & Cartier. Eccleſia ſaltem non incépit ab Adamo, ſed Abele; ita enim videtur Apoſtolus Hebræ. 11. ℣. 4. affirmare his verbis: *fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus;* quibus Apoſtolus commendationem tam fidei, quam fidelium enumerationem, proinde & ipſius Eccleſiæ incepit ab Abel, prætermiſſo Adamo. 2. Abel omnium primus ſigno ſenſibili, ſeu Sacrificio Deum coluiſſe legitur. 3. Abel merito primus dicitur in Eccleſia, quæ ſancta eſt, quia in eo primo Sanctitas & Innocentia ſine interruptione perduravit: ergo. ℞. n. a. Primus quidem recenſetur inter juſtos & fideles Abel, quod in accepta juſtitia perduraverit ſine interruptione: Exinde tamen Protoparentes non merentur excludi numero fidelium, & verorum cultorum Dei; etenim fidem in Deum & cultum non negarunt; peccaverunt quidem: ſed & defacto non obeſt peccatum veræ fidei & Religioni, ac non obſtante ſuo peccato fuere adjuti gratia Chriſti tanquam capitis, ut agerent ſalutarem pœnitentiam: & non eſt dubium, quin tam internis quam externis pietatis operibus Deum poſt peccatum coluerint, & ſic placarint, ac veniam receperint, etiam ſacrificia obtulerint, licet hoc ſcriptum non ſit. Fuit & ipſis Chriſti adventus

primo

primo relevatus a Deo per illa verba Gen. 3. ℣. 15. ad ſerpentem dicta: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Auſit etiam dicere Scotiſſecla, gratias Adamo collatas, in ſtatu innocentiæ Protoparentibus fuiſſe conceſſas, & ſi hic ſtatus permanſiſſet, concedendas, deſcendiſſe ex meritis Chriſti, utpote prævisi adhuc venturi, Adamo non peccante. Ex quibus infero, recte ſenſiſſe noſtrum Franciſcum Bonal, Religionem veram, & Chriſtianam cœpiſſe cum, & in noſtris Protoparentibus.

ARTICULUS III.

An Eccleſia Chriſti vera debeat eſſe viſibilis?

103. Nedum quarti ſæculi hæretici, nempe *Donatiſtæ*, ſed & noviſſime Lutherus, & qui ejus partes ſequuntur, inficiantur, Eccleſiam eſſe, & manſiſſe viſibilem, putaruntque Lutheri tempore ita defeciſſe, ut non niſi in paucis, iisque undique diſperſis fidelibus conſervata fuerit, ad tempus inviſibilis facta. Hollazius adverſæ partis Pſeudo-Theologus omnino aſſerit, fieri poſſe, ut *Eccleſia vera nulla ſui parte ſit viſibilis, deficiente cœtu hominum conſpicuo, & illuſtri veram doctrinam publice profitente, & ubique locorum hæreticis atque Schismaticis prædominantibus.*

Cœterum Eccleſiam eſſe viſibilem, eſt eam eſſe talem, ut vera doctrina & profeſſio fidei, ac legitima Sacramentorum adminiſtratio in ea perpetuo vigeat, ac palam in oculos aureſque incurrat: dein ut talibus ſignis ſit affecta, ut ab aliis cœtibus infidelium poſſit diſcerni, & evidenter credibile ſit, eam ſolam eſſe veram. Hanc igitur, ut jam inſinuavi, viſibilitatem perpetuam negant noſtri ævi Hæretici; quamvis enim ipſimet dicant, Eccleſiam poſt Chriſti mortem ab initio per primos circiter quadringentos annos, vel quingentos fuiſſe viſibilem, poſtea tamen per plura ſæcula redditam eſſe inviſibilem, temere aſſerunt. Contra hos

104. Aſſero cum Catholicis omnibus contra prædictos Sectarios: Eccleſia vera debet ſemper eſſe viſibilis. P. 1. Iſai. 61. ℣. 8. & 9. dicitur: *fœdus perpetuum feriam eis, & ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum, qui viderint eos, cognoſcent illos: quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Quod hoc in loco de Eccleſia ſit ſermo, colligitur tum ex Luc. 4. ℣. 17. ubi cœpit Chriſtus iſtud caput Iſaiæ legere, & poſtea ℣. 21. dixit: *quia hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris.* Tum ex SS. PP. communiter eum ita exponentibus. Iterum Pſalm. 18. ℣. 6. dici-

6. dicitur: *In Sole posuit tabernaculum suum;* quem textum explanans D. Augustinus expositione 2. in huc Psalmum ait: *In manifestatione* (posuit) *Ecclesiam suam: non in occulto, non quæ lateat: non velut operta: ne forte fiat sicut operta super greges hæreticorum.* S. Chrysostomus Hom. 4. ℣. 1. dicit: *facilius est, Solem extingui, quam Ecclesiam evanescere.*

P. 2. Ecclesia in S. Scriptura dicitur: *Mons Domini in vertice montium* Isai. 2. ℣. 2. *Lucerna non sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus* Matth. 5. ℣. 15. *Civitas supra montem posita, quæ non potest abscondi* ibid. ℣. 14. atqui hæc sunt visibila: ergo etiam denotant Ecclesiam visibilem.

P. 3. Omnes homines tenentur ingredi veram Ecclesiam, & quidem omni tempore, quia extra eam non est salus, ut infra docebitur, & habetur ex Lateranensi Concilio Cap. firmiter. De Summa Trinitate ibi: *una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus salvatur:* ergo debet esse visibilis, ut homines eam invenire valeant.

P. 4. Ecclesiæ omni tempore debent posse denuntiari defectus fratrum, quos correctio fraterna non emendat; non enim uni homini, sed omnibus, & pro omni tempore dictum est a Christo Matth. 18. ℣. 17. *quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Rursus Christus dedit Ecclesiæ suæ *Pastores* & *Doctores*, ut dicitur ad Ephes. 4. ℣. 11. qui oves regant, pascant, & doceant, & quibus oves obediant, ac rudes credant: & hoc *usque ad consummationem Sanctorum*, & *donec occurramus omnes*, nimirum Christo Judici in die judicii: ergo debet Ecclesia semper esse visibilis, alias ista fieri non possent, ut consideranti liquet. Ad rem nostram etiam loquitur D. Augustinus L. 19. contra Faustum c. 11. *In nullum autem nomen Religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

P. 5. Ecclesiæ non sufficit ad sanctitatem fides tantum interna, sed exigitur quoque externa ejusdem professio, ut ait Apostolus ad Rom. 10. ℣. 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed si Ecclesia non est visibilis, non potest dari externa, & ore facta confessio: ergo &c.

Objic. 1. Ecclesia creditur: ergo non videtur: quia fides debet esse de re obscura. ℞. D. c. Ergo non videtur sub ea ratione, sub qua creditur c. c. sub alia ratione n. c. S. Thomas Apostolus, licet viderit Christum ut hominem, credidit tamen in Eum ut Deum: quia sub ratione Dei Eum non viderat; ita licet etiam videamus Baptismum, tamen credimus eum secundum virtutem tollendi peccata,

105.

& sanctificandi animam. Sic etiam videmus Ecclesiam per signa credibilitatis, & alia externa, quibus fideles inter se externe uniuntur in unum corpus morale, & congregationem: sed credimus eam ut affectam infallibili assistentia Spiritus Sancti, & afferentem credentibus salutem.

Objic. 2. Etsi Ecclesia tempore Christi & Apostolorum fuerit visibilis, non debuit semper manere visibilis: ergo. ℞. N. a. Probationes adductæ universales militant pro omni tempore. Textus etiam Scripturæ universim de Ecclesia in omni statu, & tempore loquuntur.

Objic. 3. S. Scriptura ait sæpe, Ecclesiam Christi esse invisibilem: ergo. A. p. Jerem. 31. ℣. 33. legitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Psal. 44. ℣. 13. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* ℞. N. a. in primo textu Jeremias non discernit Ecclesiam antiquam a nova per hoc, quod hæc sit futura cœtus internus, & invisibilis, sed quod habitura sit majores gratias internas: signa autem externa nulla negat ratione. Secundus textus significat, præcipuum Ecclesiæ coram Deo ornamentum esse gratiam internam, non vero negat omnem ornatum externe visibilem, imo ibi addit etiam vestitum deauratum, & circumdantem varietate. Sic plures adhuc textus commendant internum virtutum ornatum, & gratiæ pulchritudinem, quin signa externa excludant: imo cultus externus petit informari ab interno, sicut corpus ab anima, ut Deo placeat.

Objic. 4. SS. PP. Hilarius & Hieronymus dicunt, Ecclesiam tempore Arianorum latuisse, etiamque fore latentem tempore Antichristi, sicut tempore Eliæ latebat Ecclesia Hebræa: ergo. ℞. N. a. Hi SS. Patres tantum volunt, Ecclesiam tunc fuisse multum pressam, & aliquos etiam ob metum persecutionum latuisse, sicque fore tempore Antichristi, ut aliqui lateant, & se abscondant: nullus autem asserit, penitus fuisse Ecclesiam oppressam, vel opprimendam, & abscondendam. Et certum est, illis temporibus fuisse Summos Pontifices, & multos Patres, ac alios veros Christianos Zelo Dei fulgentes, & sese Hæreticis opponentes. Tempore quoque Eliæ floruerunt Asa, & Josaphat Reges Judæ, vero Dei cultui addictissimi: & licet vera Religio multum exulasset illo tempore e regno Israel, tamen erant in eo *septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.*

Objic. 5. Vera Christi Ecclesia dividi debet in visibilem, & invisibilem; invisibilis significatur per regnum Dei, quod teste Luca 17. ℣. 20. & 21. *non venit cum observatione, sed intra nos est:* & hæc est Eccle-

Ecclesia principalis, quam in Symbolo credimus, quæ semper in aliquibus saltem mirabiliter erit conservanda. Visibilis indicatur per parabolas ovilis, convivii, agri &c. & sicut ovile, convivium &c. deficere possunt, sic & Ipsa deficere potest: ergo. ℞. N. a. Hæc divisio Ecclesiæ in visibilem & invisibilem nec in S. Scriptura, nec in SS. PP., nec in ratione Theologica fundamentum habet, ut ex probationibus colligitur. Imo S. Augustino, & PP. est tam certum, Ecclesiam esse visibilem, ut D. Augustinus sentientes contrarium Donatistas propterea tanquam hæreticos sit persecutus. Nec ille textus, ex quo Adversarii Ecclesiam invisibilem conantur deducere, est ad rem; non loquitur enim de Ecclesia a Christo condita, & congregatione fidelium, sed de dominio, & regno spirituali Christi in anima cujuslibet justi per fidem & charitatem; venit autem Christus in mundum *sine observatione*, seu seposita Majestate, in stabulo natus, & alias totus humilis, ideo parum a plerisque observatus & honoratus. Dicta magis confirmabuntur sequenti articulo.

ARTICULUS IV.

De Indefectibilitate, seu Perpetuitate Ecclesiæ.

Indefectibilitas una est infallibilitas, seu *inerrabilitas*, ut ita loquar, Ecclesiæ in fidei & morum doctrina, de qua in sequentibus; nunc accipimus indefectibilitatem secundum durationem temporis, seu pro *permanentia*. Quæritur proinde, an visibilis Christi Ecclesia aliquando defecerit, vel adhuc defectura sit?

Assero. Visibilis Christi Ecclesia defecit nunquam, neque est unquam defectura. Ita Catholici contra modernos Sectarios. **106.**

P. 1. Indefectibilem fore Ecclesiæ durationem prædixerunt Prophetæ, promisit Christus, & declararunt Apostoli: ergo est indefectibilis. P. 1. m. a. Isai. 60. ℣. 19. dicitur: *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Et ℣. 2. *Populus tuus omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram.* Item c. 61. ℣. 8. quod Christus ipse Luc. 4. ℣. 21. intelligi docuit de Ecclesia novi Testamenti: *fœdus perpetuum feriam eis, & scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

Daniel. 2. ℣. 44. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum* (Ecclesiam) *quod in æternum non dissipabitur.*

Oseæ 2. ℣. 19. *Et sponsabo te* (Ecclesiam) *mihi* (id est, Christo, in cujus Persona loquitur) *in sempiternum: & sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus.*

Micheæ 4. ℣. 1. & 5. *In novissimo dierum erit mons domus Domini* (id est, Ecclesia) *præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi: Nos autem* (fideles) *ambulabimus in nomine Domini in æternum.*

Psal. 47. ℣. 9. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri* (in Ecclesia) *Deus fundavit eam in æternum.*

P. 2. m. Antecedentis principalis. Matth. ult. ℣. 20. ait Christus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* quibus verbis duo Christus comprehendit: primo Apostolos usque ad consummationem sæculi esse permansuros, videlicet in eorum successoribus; secundo, se, Christum nempe, Ecclesiæ suæ semper affuturum continua Spiritus Sancti assistentia.

Matth 16. ℣. 18. promisit Christus, se *ædificaturum Ecclesiam supra petram*, ut hujus constantiam ostenderet, addens: *adversus quam portæ inferi non prævalebunt:* quod non esset verum, si aliquando defecisset, vel deficeret; quia tunc portæ inferi adversus eam prævalerent.

Luc. 1. ℣. 32. dicitur: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris sui, & regnabit in domo Jacob* (congregatione fidelium, seu Ecclesia) *in æternum, & regni ejus non erit finis.*

P. 3. m. A. Ephes. 4. ℣. 11. *Ipse* (Christus) *dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* (nempe mystici, seu Ecclesiæ) *donec omnes occurramus in unitatem fidei & agnitionis filii Dei*, quod fiet in fine mundi in extremo judicio. Hoc igitur textu declaratur ministerium Pastorum, quod utique visibile est; consistit enim maxime in prædicatione, doctrina, Sacramentorum administratione &c. sicque visibilem facit Ecclesiam, usque ad consummationem mundi perseveraturam.

P. Assertio 2. Ex PP. Tertullianus in Apologetico ita alloquitur Imperatores: *Nec quidquam proficit exquisitior quæque crudelitas vestra: illecebra est magis Sectæ; plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum.*

S. Hilarius L. 7. de Trinit. n. 4. *Hoc Ecclesia proprium habet, ut tunc vincat, cum læditur, tunc intelligatur, cum arguitur, tunc obtineat, cum deseratur.* S. Chrysostomus Homilia, cum de ejus expulsione ageretur: *Christi Ecclesia nihil fortius: si quis eam impugnare proponit, vires atterat, necesse*

cesse est; tale est enim, velut si cœlo bellum meditetur inferre. —— Fortior enim Ecclesia multo, quam terra, imo fortior & cœlo; cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Idem argumentum tractat in Isaiam.

S. Ambrosius de Salomone c. 4. *Navem Ecclesiam debemus accipere in salo mundi constitutam, —— —— quæ etsi undarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium.*

S. Hieronymus in c. 4. Isaiæ. *Supra petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertetur;* similia habet etiam in c. 8. Amos.

S. Augustinus in Psal. 101. conc. 2. disputans contra Donatistas, dicentes, totam Ecclesiam visibilem periisse, & in solis quibusdam justis in Africa remansisse, scribit: *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit; hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Hanc vocem abominabilem, detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nulla veritate suffultam —— vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam prævidit Spiritus S.*

P. 3. Ratione. Si visibilis Ecclesia aliquando defecisset, vel deficere potuisset, via salutis, quæ extra Ecclesiam non invenitur, fuisset facta penitus impossibilis: siquidem nemo hominum valet ingredi societatem invisibilem, & quam quis ignorat, quo loco sit constituta: ergo.

Unde necesse est, ut perpetuo in Ecclesia sint Episcopi, qui eam regant, Presbyteri, qui Sacramenta administrent, seu ut nunquam deficiat publicum Ecclesiæ ministerium, sine quo salutis instrumenta, & ipsa salus æterna haberi nequeunt. Eam ob rem Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei Act. 20. & Christus dedit Pastores in consummationem sanctorum in opus ministerii Ephes. 4. ℣. 11. eisque ligandi atque solvendi potestatem concessit Joan. 20. ℣. 23.

Vindicatur Assertio ab Objectionibus.

Objic. 1. Defectio Ecclesiæ in Scripturis prædicitur: ergo ea evenit jam, & adhuc potest evenire. ℞. N. a. & Respondeo ad textus, quos in hac re contra nos usurpant Sectarii. Nihil igitur probat ille 2. Paralip. c. 15. *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote, absque Doctore quoque, & absque lege.* Hæc verba Azariæ intelligi petunt de regno Israel, ex quo ferme penitus vera Religio exulavit, non de regno Juda, in quo mansit usque ad Christum; imo etiam in Israel Deus suos cultores & adoratores, qui idola non coluere, multos conservavit, nempe septem millia virorum, qui non incurvarunt genua ante Baal.

107.

Baal. Nunquid & Tobias senior, & junior Israelitæ erant, & tamen mansere veri Dei piissimi cultores? 2. Neque obstat vaticinium Danielis 9. ℣. 27. *Deficiet & hostia, & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.* Hæc Prophetia loquitur de vastatione Jerusalem, & cessatione legalium ac Sacrificiorum Synagogæ, quibus Christus morte sua finem fecit. Ita SS. PP. Hieronymus, Chrysostomus & alii. 3. Dum Christus Lucæ 18. ℣. 8. ait: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Loquitur ibi vel de quadam eximia fide, quæ montes transferre valeat, quæ quidem ultimis diebus rara erit: vel de fide formata per charitatem, quæ & tunc in paucis exstabit propter iniquorum copiam, & bonorum paucitatem, juxta illud Christi Matth 24. *quoniam abundavit iniquitas, frigescet charitas multorum.* Dein recte ait in laudatum textum Theophilactus: *has loquendi ratione Christus fidei raritatem significat, non totalem interitum.* 4. Nec est ad propositum textus 2. Thessal. 2. ℣. 3. *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* Per *discessionem* ibi minime intelligitur interitus Ecclesiæ: sed vel intelligitur ipse Antichristus per Metonymiam, quia erit causa, cur multi a Christo discedant. Sic exponunt S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius & alii Græci, & S. Augustinus L. 20. de Civit. Dei c. 19. Potest etiam intelligi defectio Romani imperii, vel etiam particularis, non generalis a fide, quæ omnia non obsunt nostræ assertioni.

Objic. 2. Reapse Ecclesia sæpius defecit, & invisibilis facta est: ergo. Probationes varias antecedentis adducam, & statim excutiam. 1. Non defecit Ecclesia initio mundi, cum Adam & Eva peccavere; non enim peccaverunt infidelitate, sed inobedientia, quæ non opponitur fidei, nec facit infidelem, nec excludit ex Ecclesia. Imo si tunc in Adam & Eva non fuisset Ecclesia: nec visibilis, nec invisibilis, sed nulla omnino fuisset. 2. Tempore Noë quidem *cuncta cogitatio cordis erat intenta ad malum, & multa malitia erat hominum super terram.* Gen. 6. Nihilominus tunc non ad unum omnes a veri Dei cultu defecerunt: quinquennio ante diluvium obiit Lamech Pater Noëmi: ipso anno diluvii Mathusale, & procul dubio non pauci alii pii defuncti sunt. Sem & Japhet eximii pietatis cultores erant: de eorundem uxoribus nullum est dubium. Hi ergo constituebant Ecclesiam visibilem, licet non numerosam, tamen aliquam. Ecclesia habet & sua initia, & incrementa: Scriptura autem sæpe per Hyperbolen, dum magnam hominum corruptionem vult significare, ita generatim loquitur, quasi nulli fuissent justi, quamvis aliquos fuisse

certum

certum ſit. 3. Tempore Moyſis Exod. 32. Etſi graviter peccaverunt Aaron vitulum conflando, & populus eum adorando, non tamen ad unum omnes conſenſerunt. Moyſes enim, caput omnium, & omnes Levitæ a tali flagitio immunes fuere. S. quoque Paulus ad hocce crimen reſpiciens 1. Corinth. 10. ℣. 7. ſignificat, aliquorum ſolum, non omnium Judæorum hoc crimen fuiſſe; ait enim: *Neque Idololatræ efficiamini, ſicut* NB. *quidam ex ipſis.* 4. Tempore Judicum, poſt obitum Seniorum, qui Joſue viderant, *ſurrexerunt alii, qui non noverunt Dominum, —— feceruntque filii Iſraël malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Baalim, & dimiſerunt Deum Patrum ſuorum.* Jud. 2. Hæc relatio de defectu a vera Religione ad Idola, fuit *aliquorum*, non *omnium*, imo conſueta Scripturæ phraſi frequenter per *το omnes*, non ſimpliciter omnes & ſinguli, ſed multi duntaxat ſignificantur. 5. In captivitate Babylonica Iſraelitæ a veri Numinis cultu non erant alieni, & legem obſervabant ſuam: fuit apud eos Concilium Sanedrim, & ritus ſuos religioſos exercebant, ſacrificiis exceptis, ſicque ab aliis nationibus propter ceremonias ſuæ Religionis facile diſtinguebantur, juxta dicta Aman ad Regem Aſſuerum L. Eſther c. 3. ℣. 8. *Eſt populus per omnes Provincias regni tui diſperſus, & a ſe mutuo ſeparatus, novis utens legibus & ceremoniis.* 6. Hyperbolica eſt etiam locutio Eliæ 3. Reg. c. 19. *dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt: derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Nam tempore Eliæ has querelas moventis, ut plurimum veteris Teſtamenti florebat Religio: tunc enim tertium circiter imperii ſui annum agebat Joſaphat: *fuit autem Dominus cum Joſaphat, quia ambulavit in viis David Patris ſui primi.* 2. Paralip. c. 17. ℣. 3. Neque probari poteſt, in Iſrael fuiſſe tempore Achab prohibitum cultum veri Dei, licet ex motivis politicis fuerit interdictum, ne Iſraelitæ irent Jeroſolymam, ibi ſacrificaturi. Imo tempore Eliæ, ut habetur L. 3. Reg. c. 18. Abdias diſpenſator domus Achab timuit Dominum valde, & cum interficeret Jezabel Prophetas Domini, ſervavit centum, & in ſpeluncis abſconditos pane & aqua ſuſtentavit. Pariter L. 3. Reg. c. 19. ℣. 18. Deus dicit: *Derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* 7. Illud Iſai 11. *cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit*, et iſtud Jerem. 2. *omnes me dereliquiſtis*, per Hyperbolen ſunt dicta, & *το* omnes ſignificat multos. 8. Tempore nativitatis Chriſti exigua erat Eccleſia orthodoxa, quæ Chriſtum natum parvulum agnoſcebat, & colebat: erat tamen aliqua in Maria, Joſepho, Zacharia, Eliſabeth, Anna Prophetiſſa, Simeone juſto,

Paſtori-

Paſtoribus, & pluribus aliis expectantibus redemptionem Iſrael: horum cœtus viſibilis tum viſibilem Eccleſiam conſtituebat. 9. Tempore mortis Chriſti periit cum omnibus ceremoniis ſuis Judaica Religio, quia eouſque tantum durare debebat, cui ſucceſſit proprie dicta Chriſtiana, quæ Chriſtum jam adveniſſe, paſſum & mortuum eſſe, ac reſurrexiſſe agnoſcebat. Illo tempore in Apoſtolis fuit mera puſillanimitas, & defectus conſtantiæ ac fortitudinis, non fidei. Et quamquam paulo tardiores fuerint in credenda reſurrectione Chriſti; putabant enim Chriſtum figurate loqui, *nec intelligebant*, *quæ dicebantur* Luc. 18. ſic articulus iſte ipſis non erat perfecte & clare propoſitus, ideoque fides non erat plene in illis extincta. Præterea tunc Apoſtoli necdum erant Epiſcopi conſtituti, necdum uberiore Spiritus S. gratia confirmati. Non miremur ergo, ſi aliquid humani ſunt paſſi. Dein ille, quicunque fuit, defectus modiciſſimo duravit tempore.

Tandem, ſi omnia transmittantur, quæ ex vetere Lege adducuntur, nihil nobis obeſt; loquimur enim præcipue de Eccleſia Chriſtiana, ut nunc eſt conſtituta, & quæ Chriſti adventum jam peractum credit; huic ſiquidem ſingulares promiſſiones de indefectibilitate ſunt factæ, & hanc propheticæ prædictiones adumbrarunt.

Objic. 3. Moriente Summo Pontifice, qui eſt caput Eccleſiæ, perit Eccleſia, maxime dum longo tempore ſedes Romana vacat; præciſo enim capite exſpirat corpus: ergo. ℞. n. a. non eſt tanta neceſſitas capitis moralis, quanta naturalis. Refecto capite naturali, corpus ne momento quidem vivere poteſt: non vero ſic perit corpus morale, ſeu civile, ſi ejus Rector, vel caput moritur. Sic mortuo Romano Pontifice ſedes Romana ſemper manet, & ſocietas fidelium ſub legitimo ſuorum Paſtorum regimine.

Objic. 4. Saltem tempore graſſantis hæreſis Arianæ vera Eccleſia, & fides penitus defecit, & inviſibilis eſt facta: ergo. a. p. Tunc, maxime furente in Catholicos perſecutione Conſtantii, lapſi ſunt in errorem Epiſcopi fere ſexcenti Conciliorum Ariminenſis, & Seleucienſis: & teſte S. Hieronymo *totus ingemuit orbis*, & *miratus eſt, ſe eſſe Arianum*: ergo. ℞. N. a. Certe, ut pluribus oſtendit Janſenius Iprenſis in Spongia Notarum adverſus Voëtium Sylvæ-Ducenſem Miniſtrum c. 67. *Cum vel maxime ſæviret illa* (Conſtantii) perſecutio, *veriſſimum fuit illud Auguſtini: quod Eccleſia in ſuis, firmiſſimis tanquam columnis ædificii immobiliter ſtantibus eminebat.* Innumeri quippe (quos omnes nominatim adducere nimis prolixum foret) tum orientis tum occiden-

occidentis Episcopi & Antistites Ecclesiæ avitam Religionem, & Catholicam de consubstantialitate Filii cum Patre ab Arianis tunc impugnatam doctrinam retinuere. Neque illi Episcopi in Ariminensi Concilio subscribentes hæretici dicendi sunt; etenim decepti fraudibus Arianorum, afferentium fidei formulam subscribendam secundum apparentiam Catholicam, sed in se Arianæ hæresi faventem, subscripsere ignorantes Sectariorum dolos, quibus veritati insidiabantur: quod dum post subscriptionem (quam tamen Liberius Papa, Servatius Tungrensis, & alii 18. Episcopi non fecere, sicut & S. Gaudentius Ariminensis Episcopus, propterea & fustibus & lapidibus petitus, & Martyr mortuus) sic deceptis Patribus innotuit, ingemuere & mirati sunt, quod inscii & ignorantes habeantur hæretici, & Ariani contra suam mentem. Et de his intelligendus est S. Hieronymus supra in objectione perperam adductus, qui & hyperbolice loquitur. Non tamen fuere hæretici: quia sola manus non reddit hæreticum reclamante animo. De Seleuciensi Concilio nihil est dicendum; cum illud ex meris fere Arianis Episcopis, & paucis tantum Catholicis conflatum, & ideo cum Catholici pauci Arianis nollent consentire, dissolutum fuerit.

ARTICULUS V.

De Notis, seu Characteribus Ecclesiæ.

Cum hæc materia sit prolixioris tractationis & digna, & indiga, ea merito erit secanda in plures §§. seu minores articulos. Est autem omnino scire, quibus notis vera Ecclesia fulgeat, ut a falsa discerni queat, & sic quis eam invenire, & in ea salutem suam operari valeat; cum extra eam salus obtineri non possit. Debent autem hi characteres ita esse clari & obvii, ac faciles cognitu, propriique, ut saltem simul sumpti nulli alteri Ecclesiæ vel Societati hominum ab hac Ecclesia alienæ valeant convenire, istam autem, seu veram evidenter credibilem efficiant. 108.

Acatholici, Lutherani nempe, & Calvinistæ duas tantum Ecclesiæ notas admittunt, *sinceram Verbi Dei prædicationem*, seu *Doctrinæ veritatem*, & *legitimum Sacramentorum usum*. Ita Confess. August. Art. 6. Apolog. Calvinus L. 4. Inst. c. 1. Contra hos sit

§. I.

Assero: Nec vera Christi Doctrina, nec legitima Sacramentorum administratio vel usus sunt veræ notæ, quibus certa cognosci possit Ecclesia Christi, & secerni a quacunque falsa. 109.

P. Prædicta non habent conditiones requisitas ad veras notas: ergo non sunt veræ notæ. P. a. Conditiones ad veram Ecclesiæ notam sunt hæ tres: prima, ut sit propria, & non communis; si enim non est uni Religioni propria, sed pluribus communis, unam non discernit ab aliis. Secunda, ut sit notior & clarior re, quam significat, sive cujus nota est, scilicet Ecclesia. Tertia, ut sit sensibilis & obvia, & omni conditioni hominum accommodata, ut nempe obvie quemlibet possit ducere in notitiam Ecclesiæ: atqui hujusmodi conditiones non habent vera Christi doctrina, & legitimus Sacramentorum usus: ergo. m. p. Non habent primam: nulla enim fuit hæreticorum secta, quæ non jactaret, se habere puram Christi doctrinam, purum Verbum Dei, & vera Sacramenta: ergo hæc nota non est propria, sed omnibus hæresibus communis. Id jam pridem advertit S. Hilarius L. 3. ad Constant. ubi ait: *Neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.* Id testantur PP. plures: Lactantius L. 4. Institut. c. 29. Cyprianus Epist. ad Jubajan. Augustinus L. de unit. Eccl. c. 2. & cont. Epist. fundam. c. 2. Atque adeo hæc nota non sufficit ad Religionem veram ab omnibus falsis dignoscendam, cum conveniat, & communis sit omnibus falsis.

Confirm. 1. Ex mente Lutheranorum & Calvinistarum Ecclesia constat solis justis & prædestinatis: sed per veram Christi doctrinam, & ejus Sacramenta nunquam demonstrari poterit, quinam sint prædestinati, & vere sancti: ergo nunquam ex iis notis cognosci potest, ubi sit vera Ecclesia, seu societas & congregatio talium justorum & prædestinatorum.

Confirm. 2. Vel illa pura doctrina, quam pro nota Ecclesiæ vendunt Sectarii, debet esse ita pura, ut vel minimum errorem, vel solum fundamentales excludat; sed neutrum dici potest: ergo.

Non primum: alioqui enim nec apud Lutheranos, nec apud Calvinistas vera esset Ecclesia: tum quia Lutherus Lib. de Ecclesia, & Calvinus L. 4. Institut. c. 1. §. 12. fatentur, Verbum Dei ita esse notam Ecclesiæ, ut tamen aliquando magis pure, aliquando minus pure annuntietur: tum quia fatentur, suas Ecclesias nævos aliquos habere: tum quia necesse est, vel Lutheranos, qui præsentiam Corporis Christi veram in Eucharistia admittunt, vel Calvinistas, qui eam negant, errare contra veritatem, vel veram doctrinam a Deo revelatam.

Non secundum: quia necdum inter se convenere Protestantes, quinam sint fundamentales errores: Item hæc nota erit pluribus sectis

fectis communis, cum hæc circa præcipuum fidei fundamentum, SSmam Trinitatem, & Incarnationem soleant inter se convenire.

Neque hæ duæ Adversariorum notæ habent secundam conditionem; est enim tam obscurum, vel omnino magis, cognoscere, quænam sit pura Christi doctrina, quænam pura ejus Sacramenta, quam quæ sit vera ejus Ecclesia. Proinde certo hæ adversariorum notæ non habent conditionem secundam, & declarant, ac indicant obscurum per obscurum, non autem per quid notius: sed sunt hæ duæ notæ, si ita dici possunt, æque vel adhuc magis obscuræ ac est ipsa Ecclesia: ergo. P. m. ut cognoscatur vera Christi doctrina, de tribus constare debet: 1mo de Verbo Dei, in quo doctrina illa continetur, an revera sit Verbum Dei. 2do Quod versiones librorum, in quibus legitur Verbum Dei, sint genuinæ & fideles, & ipsi fontes ab omni errore saltem fundamentali sint liberi. 3tio Quinam sit genuinus sensus, & legitima interpretatio Verbi Dei: sed difficillimum, imo moraliter est impossibile, hæc omnia ab unoquoque privato dignosci, & explanari; hujus certe sunt incapaces plebeji, & illiterati, imo & literati ac docti, qui de his tribus multum inter se disputant, ut in Parte 1ma hujus Tomuli de S. Scriptura vidimus.

Sed nec tertia conditio convenit veræ Christi doctrinæ; hæc enim nec sensibilis, nec obvia est, nec omni generi hominum accommodata: simplices enim, illiterati, & plebeji prorsus sunt incapaces discussionis & examinis doctrinæ hujus; tenentur tamen illi, si salvi fieri cupiant, veram Christi Ecclesiam agnoscere, & ad eam se recipere. Ulterius vera Christi doctrina non solo lumine naturæ, & cognitione orta ex sensibus intelligi potest; tanta enim & tam sublimia mysteria continet, ut omnem captum rationis humanæ & naturalis longe superet, & hinc incredibilis appareat, stultumque videatur iis assensum præbere, Teste Apostolo 1. Corinth. c. 1. ℣. 18. & ℣. 23. item c. 2. ℣. 14. ergo vera Christi doctrina non potest esse nota Christi Ecclesiæ, sed hæ notæ aliunde sunt quærendæ.

Confirm. 1. De vera Christi doctrina, & legitimo Sacramentorum usu non modo inter Adversarios, & nos Catholicos, sed etiam inter ipsos magna est concertatio, & dissensio: ergo hæc duo non sunt clara: ergo neque apta ad notas Religionis & Ecclesiæ veræ.

Confirm. 2. Ad Ecclesiam solam pertinet, proponere, & determinare, quæ vera sit Christi doctrina, quis legitimus Sacramentorum usus; siquidem Ecclesia est viva doctrinæ Christianæ Regula,

quam in dubiis circa fidem consulere tenemur: ergo vera doctrina &c. non potest esse nota Ecclesiæ; qua enim ratione vera doctrina potest esse signum Ecclesiæ, nisi de illa constet? atqui constat solum per Ecclesiam. Minor aliunde est probata ex superius dictis de Judice Controversiarum fidei, de canone SS. Librorum.

Sequitur Solutio Objectionum.

110. Objic. 1. Joan. 10. ℣. 28. inquit Christus: *oves meæ vocem meam*, id est, doctrinam meam, *audiunt*. Ibidem c. 15. ℣. 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Ephes. 5. ℣. 27. Apostolus de Ecclesia sic dicit: *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, id est, Verbo Dei: ergo certo sunt illi ex ovili, seu Ecclesia Christi, qui doctrinam ejus audiunt: & illa est vera Christi Ecclesia, quæ per verbum Ejus munda est: ergo ex Verbo Dei Ecclesia dignosci potest. ℞. N. c. audire vocem Christi non potest esse nota veram a falsis Religionibus discernens, cum omnes hæretici hoc glorientur. Ergo hæc nota non ostendit perspicue, ubi vera Ecclesia sit reperienda. Mundatio, quæ fit per Verbum Dei, est interna, & invisibilis: ergo nec ista, quæ Ecclesiam solum mundam coram Deo, non vero coram hominibus ostendit, hominibus signum esse potest Ecclesiæ.

Inst. Matth. 18. ℣. 20. pro nota Ecclesiæ assumitur, congregari in nomine Christi: ergo. ℞. N. a. cum omnes hæretici contendant, & jactent, se congregari in nomine Christi, non hoc quomodocunque intellectum sufficit pro vera nota: sed congregari per authoritatem a Christo acceptam, sub legitimis scilicet Pastoribus & Episcopis, qui continua ab Apostolis traditione & successione pro Christo ad fideles legatione funguntur &c. Et hoc sensu nota ista coincidit cum *Apostolicitate* Ecclesiæ, de qua postea.

Objic. 2. S. Augustinus Epist. 105. ad Donatistas, alias 166. scribit: *in Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesiam: has Scripturas communiter habemus: quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus?* Ergo S. Augustinus asserit Ecclesiam per Scripturam cognosci posse, & debere.

℞. N. c. S. Augustinus cit. loc. & L. de unit. Eccl. c. 19. n. 50. scribens: *Sed utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendunt*, hic locis agens contra Donatistas, non favet Adversariis: quia his locis supponit veram doctrinam per Ecclesiam dignoscendam esse, non autem Ecclesiam per doctrinam. Dein, dum videtur sustinere, Scripturam sacram, & doctrinam in ea con-

tentam,

tentam, veram esse Ecclesiæ notam, non ita intelligendus est, quasi existimet, eam esse notam simpliciter, & respectu omnium, etiam infidelium, qui Scripturas non admittunt, ut pagani: sed solum esse notam secundum quid, & ex hypothesi respectu eorum duntaxat, qui Scripturas agnoscunt, quales sunt plures hæretici. Dicebat ergo S. Doctor contra Donatistas admittentes sacram Scripturam, doctrinam in ea contentam, & notam & testem esse veræ Ecclesiæ, non quod præter eam nullæ sint aliæ, sed quod omnes aliæ a SS. Scripturis testimonium accipiant. Itaque agentes contra hæreticos, qui admittunt Scripturas, merito etiam eas adducimus pro ostendenda vera Ecclesia Christi.

Objic. 3. S. Augustinus L. contra Epist. fundamenti c. 4. dicit: *veritatem, si manifesta monstraretur, ut in dubium venire non posset, præponendam esse omnibus iis, quibus antea dixerat, se teneri in Ecclesia Catholica:* Ergo doctrinæ veritas sola sufficit, ut dignoscatur vera Christi Ecclesia. ℞. N. c. hæc propositio S. Augustini est conditionata, & deberet conditio de evidente veritate exhibita impleri, quam tamen negat S. Doctor impleri posse; subdit enim allegatis verbis: *Si enim hæc manifesta veritas tantummodo promittitur* (a Manichæis) *& non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ Religioni adstringit.* Igitur non ex propria mente & sententia, sed ex hypothesi Manichæorum, quam non admittit, fatetur, veram doctrinam esse notam Ecclesiæ.

Objic. 4. Homil. 49. in cap. 24. S. Matthæi S. Chrysostomus sic pronunciat: *quare jubet* (Christus) *in hoc tempore omnes Christianos, conferre se ad Scripturas? quia in tempore hoc, ex quo obtinuit Hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse vera Christianitatis,* —— *nisi Scripturæ divinæ.* Subjungit dein plura idem dicentia: ergo juxta S. Doctorem Ecclesia Catholica ab Hæretica per S. Scripturam tanquam notam discernitur. ℞. 1. Hoc opus imperfectum in Matthæum in Homilias 54. divisum non esse S. Chrysostomi, licet sub ejus nomine laudetur in officiis Ecclesiasticis, in Gratiano, in Summa S. Thomæ: tum, quia utitur vulgata Versione Latina: tum quia citat libros Apocryphos, nimirum librum Seth, Ezechiæ, Itinerarium Clementis, quorum certe nullus apud genuinum Chrysostomum usus: tum quia continet multa dogmata hæretica, veræ S. Chrysostomi doctrinæ adversantia ℞. 2. Eo tantum sensu ex mente hujus Authoris, quicunque demum sit, dici potest Scriptura nota Ecclesiæ, quia ipsa sola (si alia non essent) nobis ministrat veras notas, & textus, quibus possumus nostras notas dilucidare, & confirmare, atque Ecclesiam secernere

nere ab Hæreticorum conventiculis, cum quibus plura communia habemus.

Objic. 5. Verbum Dei eſt per ſe efficax, & ubicunque prædicatur, aliquos fideles & bonos efficit, adeoque Eccleſiam: ergo & hanc ſecernit a falſis ſectis. ℞. D. a. ubi Verbum Dei prædicatur non genuine n. a. ubi prædicatur genuine ſubd: & hoc primum ex aliis notis cognoſci poteſt, & debet c. a. ſecus n. a. Verbum Dei annunciatur etiam ab hæreticis, & ſic prædicatum non facit homines bonos, ſed profert ſolum lolia & Zizaniam: debemus ergo aliunde certiores reddi, quod prædicetur ab hominibus legitimam poteſtatem habentibus & legitime miſſis, qui eo non abutuntur.

Objic. 6. Nulla res cognoſci poteſt absque cognitione eorum, quæ ad ejus eſſentiam ſpectant, & ejus definitionem ingrediuntur: atqui vera Chriſti doctrina ad eſſentiam Eccleſiæ ſpectat, cujus definitionem ingreditur; nam bene definitur, quod ſit ſocietas veram Chriſti doctrinam, & fidem profitentium: ergo. ℞. D. M. ſi quæſtio ſit de cognitione rei perfecta, &, ut in Scholis dicunt, quidditativa c. M. ſi quæſtio ſit de cognitione minus perfecta, & aliter, quam ſecundum eſſentiam, ſeu de eo, ubi, vel quænam ſit n. M. Plurima cognoſcimus evidenter, quantum ſufficit, ut ab aliis certo diſtinquantur, quorum eſſentiam tamen penetrare nequeunt etiam alias perſpicaciſſimi: ſic absque difficultate diſcernimus frigus a calore, lucem a tenebris, locum & tempus, & tamen eorum eſſentiam & naturam explicare eſt difficillimum. Ad cognoſcendam Eccleſiam etiam minus perfecta ſufficit cognitio, ut etiam rudes ejus ſint capaces.

Objic. 7. Veritas doctrinæ ſemper fuit uſurpata, tum ut ſecerneretur Eccleſia vera a falſa, tum ut reſtitueretur, cum paululum defecerat: ergo eſt vera nota Eccleſiæ. A. p. Nam Judæa ut vera Dei Eccleſia agnita fuit, Samaria ut falſa: quia hæc filios per circumciſionem Deo genitos a vera doctrina, & vero cultu avocabat. 2. Quando Synagoga ſub impiis Regibus Manaſſe & Amon defecit, Joſias eorum ſucceſſor illam reformaturus, ſtatim legem Dei proponit, dein Paſcha celebrat, & alios ritus veri cultus Dei reſtaurat: ergo.

℞. N. a. Neque enim pro nota Eccleſiæ veræ aſſumi poteſt id, quod hæretici apud ſe habere ſemper gloriati ſunt, quamquam immerito, nempe puram doctrinam, & verum Sacramentorum uſum. Ad prob. 1. dico: Sacram doctrinam eſſe quidem notam apud illos, apud quos ea recepta eſt, & agnita ut divina, ut apud Judæos: hinc ejus explicatio & obſervatio utique oſtendit ipſis veram Eccleſiam Dei.

Dei. Fors melius ſtatuitur pro Judæa præ Samaria nota Eccleſiæ veræ, quia apud illam non iſtam habebatur continua ſucceſſio Sacerdotum, ut teſtatur Joſephus L. 13. Antiquitatum c. 6.

Ad 2. prob. ajo: Merito vera doctrina, & rectus Sacramentorum uſus reſtitui debent, ut repararetur Eccleſia, quæ ab iis defecerat: ſed non poteſt dici, quod hæ ſint notæ Eccleſiæ reſtitutæ; nam Sacramenta, Evangelium &c. poſſunt etiam eſſe apud hæreticos, licet male applicata, ut obſervat S. Auguſtinus ſuper geſtis Emeriti: ergo tutum non eſt recurrere ad eam Eccleſiam, quæ prædicat ſe habere veram doctrinam & vera Sacramenta, cum deſertores Eccleſiæ hæc penes ſe habere affirment. Unde S. Auguſtinus L. 3. contra Petilianum c. 5. *Nullus*, inquit, *prædicans nomen Chriſti & geſtus*, *ac miniſtrans Sacramentum Chriſti*, *ſequendus eſt contra unitatem Chriſti.* Confugiendum nempe eſt ad eam Eccleſiam, in qua ſunt veri & Apoſtolici Paſtores, ſeu in qua apparet antiquitas, univerſalitas, ſucceſſio, unitas &c.

Denique adulti, antequam baptizentur, debent quidem fidei doctrina imbui, & credere, ut ſic ad baptiſmum diſponantur, non ut per hanc doctrinam Eccleſiam veram a falſa dignoſcant. Nam ipſam hanc doctrinam ab Eccleſia, ſeu Paſtoribus Eccleſiæ habent recipere: ergo prius debent cognoſcere Eccleſiam, ut ei ſe erudiendos poſſint tradere. Hoc & non plus vult ille textus Matth. 28. ℣. 19. *Euntes docete omnes gentes*, *baptizantes eos &c.* Orthodoxi itaque requirunt, prius cognoſci veram Eccleſiam, quam ejus doctrinam. SS. PP. præſertim D. Auguſtinus diſputans contra Donatiſtas, non ad Eccleſiam, de qua non conveniebant, ſed ad Scripturam, quam illi admittebant, hæreticos provocare debuere, ut ex S. Scriptura veras notas Eccleſiæ agnoſcerent: ſic S. Scriptura & Eccleſia ſibi mutuo lumen accendunt: Eccleſia Scripturæ veritatem probat, Scriptura Eccleſiæ infallibilem authoritatem, quamquam in diſpari probationis gradu.

Dimiſſis igitur Acatholicorum notis, magis convenientes ſtatuamus cum aliis Catholicis, quorum aliqui plures, alii pauciores aſſignant. Thomas Bozius Congregationis Oratorii Presbyter affert 99. notas, ſeu ſigna veræ Eccleſiæ: Bellarminus 15. Alii brevitatis gratia omnes Eccleſiæ notas ad 4. celebriores, & ſplendidiores reducunt, nimirum ad *unitatem*, *ſanctitatem*, *univerſalitatem*, *antiquitatem* expreſſas in Synodo Nicena, juxta cujus ſymbolum tenemur credere *unam*, *ſanctam*, *Catholicam*, & Apoſtolicam Eccleſiam. Has ſequentibus quatuor Paragraphis examinabo.

§. II.

§. II.

De Nota Unitatis.

III. Assero 1. Una debet esse Ecclesia. P. Scripturæ Ecclesiam vocant *unum corpus*, Rom. 12. *unam columbam*, Cant. 6. *unum ovile* Joan. 10. Item in Scripturis assimilatur regno, & familiæ, quæ, ut subsistant, exigunt suam unitatem; *da enim unum* (inquit Augustinus Serm. 26. de verbis Domini) *& populus est: tolle unum, & turba est.*

Hæc unitas in tribus præcipue consistit: nempe primo in universali & fidei, & doctrinæ consensione, quia *una fides, unum baptisma, unus Deus* Ephes. 4. ℣. 5. secundo in simili regimine, & communione cum uno capite visibili Romano Pontifice, qui sit unitatis origo & centrum. Hanc unionem seu communionem cum Ecclesia per orbem diffusa, & ejus Capite Romano Pontifice, etiam veteres pro nota Ecclesiæ statuerunt. Hinc S. Augustinus Epist. 162. sub initium scribit, quod Cæcilianus Episcopus Catholicus possit non curare conspirantem multitudinem Donatistarum, cum se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, per communicatorias literas esse conjunctum. Optatus L. 2. contra Parmenianum sub initium scribit, Donatistas non pertinere ad Ecclesiam, quia non essent conjuncti cum Siricio Papa tunc Ecclesiæ capite. S. Hieronymus in oriente existens Epist. 57. ad Damasum Papam scribit: *Ego nullum Ducem, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in arca Noe non fuerit, perebit regnante diluvio: quicunque tecum non colligit, spargit.* S. Irenæus L. 3. adversus hæreses c. 3. *Ad hanc Ecclesiam Romanam* (inquit) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.* S. Cyprianus L. de unitate Ecclesiæ ait: *ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit Christus, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit. —— Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur.* Tertio consistit in unitate finis: cum enim Ecclesia sit cœtus eorum, qui salutem suam quærunt, & salvi fieri volunt, ita, ut extra Ecclesiam salus nequeat obtineri, convenit, ut omnes eodem cultu externo Deum colant, & ad eundem finem tendant. In hac una Ecclesia, necesse est, ut maneat, qui salvari cupit; ideo ea comparatur arcæ Noe, extra quam tempore diluvii salus non erat: comparatur & viti, in qua *qui non manserit, arescit, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.*

ardet. Unitas itaque est prima Nota Ecclesiæ, quia unum tantum ovile, unus Pastor, una fides, unum in Christo corpus.

Assero 2. Sola Ecclesia Romano-Catholica est vere una, & hinc vera Ecclesia. 112.

P. 1. m. Assert. Nam 1mo habet Ecclesia Catholica unitatem finis; quippe quotquot sunt fideles in hac nostra Ecclesia, omnes ad unum, eundemque cultum divinum instruuntur, omnibus eadem salutis media offeruntur, omnibus eadem beatitudo secundum Christum, & Apostolorum oracula prædicatur. 2do habet unitatem concordiæ: sub uno capite visibili servimus uni Domino in omni concordia & consensu: exurgit in fide dubium, in doctrina dissidium, ad sedem Petri, quam superbæ inferorum portæ nunquam superare possunt, recurrimus, & quidquid Christi Vicarius, Romanus Pontifex, qui teste S. Hieronymo contra Jovinianum ideo constitutus est, *ut Schismatis tollatur occasio*, Spiritu S. assistente pronuntiaverit, summa summissione recipimus, eaque, qua tenemur, fide credimus; unde nobis dictum esse credimus illud Apostoli 1. Corinth. 12. ℣. 25. *Vocati estis in uno corpore*, cujus caput est Deus Pacis, qui non vult esse schisma in corpore suæ Ecclesiæ. Unde & 3tio obtinet nostra Ecclesia in toto terrarum orbe summam doctrinæ unitatem; quod nos hic Monachii, ubi scribo, credimus, credunt omnes Catholici apud Afros, Indos, & in omnibus locis, in quibus Religio Catholica sedem posuit; id docet experientia, ad quam provoco. Veritates fidei, quas Romanus Pontifex a S. Scriptura, & illibata Antecessorum suorum Traditione accepit, Apostolica quoque, ac suprema, qua ut supremum caput pollet, authoritate intemeratas custodit, docet, & prædicat: has totus orbis Christianus ex tot diversis populis tam diversorum humorum & geniorum conflatus unanimi consensu suscipit, credit, & profundendo etiam vitam & sanguinem, ubi opus est, defendit. Eadem ubique est doctrina de Deo in Essentia uno, in Personis trino, de Verbo Incarnato, de Justificatione, merito, purgatorio, peccato originali, numero Sacramentorum, tremendo Missæ Sacrificio, Primatu Romanæ Sedis, aliisque plurimis, quæ ut de fide Verbo Dei scripto, aut tradito proponuntur. Si quoque ad mores & vitia respicias, quæ Romæ damnantur, hic quoque, & in quavis Romano-Catholici orbis parte rejiciuntur: pietas vero eadem, eædem virtutes ubivis prædicantur, commendanturque, ita, ut Romana Sedes semper sit quasi centrum, quod Doctores Catholici docendo, & fideles credendo semper præ oculis habent.

Nec hoc fine caufa fit: Recte enim fequimur primorum Patrum, qui primis quinque fæculis vixerunt, doctrinam, quæ fatentibus ipfis Adverfariis, fuit adhuc doctrina Chrifti, & Apoftolorum. Hi magnificentiffime de Romana Ecclefia loquuntur: inde omnem fidei veritatem accipiendam effe volunt: eidem effe communione confociandam omnem aliam Ecclefiam, & ad eam omnes veros fideles convenire debere afferunt. Diferta verba quorumdam antiquiffimorum Patrum adduco. Tertullianus fecundi fæculi Pater, cum adhuc effet Catholicus, fcripfit L. de Præfcript. adverfus Hæref. c. 36. *Habes Romam, unde nobis quoque authoritas præfto eft. Statu felix Ecclefia, cui totam doctrinam Apoftoli cum fanguine profuderunt.* S. Irenæus ad initium tertii fæculi Martyrio coronatus L. 3. adverfus Hæref. c. 3. *longiffime*, inquit, *foret, fucceffionem omnium Ecclefiarum recenfere: fatis erit, fi Traditionem & doctrinam Ecclefiæ omnium* MAXIMÆ *&* ANTIQUISSIMÆ, *toti mundo notæ, a gloriofis Apoftolis Petro & Paulo fundatæ afferamus. Hac Traditione* ROMANA *ab Apoftolis accepta, hac fide hominibus annuntiata, & usque ad nos per fucceffionem Epifcoporum continuata omnes illos confundimus, qui conventus fpurios, & illegitimos celebrant;* Et pergit ulterius fequentibus fingulariter notandis verbis: *cum Ecclefia Romana omnes aliæ propter ejus potentem primatum concordes effe tenentur, nempe omnes fideles.* S. Hieronymus Epift. ad Damafum Papam, quæ apud Fleurium eft Epift. 57. quinti Sæculi Pater jam eft laudatus in probatione affertionis primæ, cujus notabilem textum relege, & bene imprime, ficut & Cypriani ibidem adductam fententiam. Ut Patres alios filentio prætercam, unum D. Auguftinum omnes ad Ecclefiæ Romanæ unitatem invitantem affero. Hic in Pfal. contra partem Donati, *Venite fratres*, inquit, *fi vultis, ut inferamini in vite: dolor eft, cum vos videamus præcifos ita jacere. —— —— Petri fedes erat Petra, quam non vincunt fuperbæ inferorum portæ.* Confulo demum, ut Adverfarii evolvant integrum librum S. Cypriani confcriptum de unitate Ecclefiæ. Difcent inde, quam reverentiam, obedientiam orbis univerfus Catholicus præftitit ab origine Ecclefiæ Romanæ & Sedi S. Petri, & Cathedræ Succefforum ejus; & licet fors fuerit, qui Ecclefiæ Romanæ doctrinæ refragari aufus fit, ftatim inter hæreticos numerabatur, ut talis, qui Evangelio non obedit, & unitatis vinculum fcindit. Hæc cum ita fint, Ecclefia Romano Catholica unitatis Nota gaudet, & quidem fola, quod oftendetur, dum

113. Prob. Alterum membrum Affertionis 2dæ. Hærefes & Sectæ extra Ecclefiam Romanam vix natæ, mox in alias varias Sectas fuere diffectæ, quarum mutuæ diffenfiones fufficiunt ad fuam ipfarum doctrinam

ctrinam evertendam; quod de antiquis, & jam dudum antiquatis hæreſibus oſtendit Irenæus L. 1. c. 21. & ſeqq. Epiphanius hæreſi 8. in fine. Theodoretus L. 4. de Hæreticorum fabulis. Auguſtinus hæreſi 46. qui ſpeciatim de Donatiſtarum hæreſi L. 1. de Baptiſmo c. 6. tradit, eam ſuo tempore in multa minutiſſima fruſta fuiſſe conciſam; quomodo vero Ariani mox fuerint diviſi, ſcribit Ruffinus L. 10. Hiſtor. Eccleſ. c. 25. de quibus etiam refert Hilarius L. 3. ad Conſtantium, quod ſingulis pene annis mutarint fidem.

Idem notiſſimum eſt de Lutheranis & Calviniſtis. Lutherani vix orti in Anabaptiſtas, Confeſſioniſtas, & Sacramentarios ſunt diſtincti, & hi rurſus in alias & alias Sectas usque ad triginta quatuor: idque non longe poſt initium. Nunc autem numerantur fere centum diverſæ Sectæ ex uno Luthero prodeuntes, ut vix reſtent, qui puram Lutheranam doctrinam ab initio traditam ſectentur, ac Lutheranis apte conveniat illud Irenæi L. 1. c. 5. dictum de Valentinianis, quod, cum eſſent plurimi, vix duo vel tres convenire reperiebantur in dogmatibus ſuis.

Quæ & quanta diſſenſio fuit in Confeſſionibus ſuis, quas Lutherani ediderunt? Primam edidere anno 1530. Auguſtanam dictam, quod Auguſtæ Carolo V. oblata fuerit. Anno 1537. Articuli Schmalcaldenſes fuere collecti, offerendi Concilio Tridentino. Alia dicta Saxonica Confeſſio Synodo Tridentinæ oblata eſt anno 1552. Alia Wittembergenſis anno ſequenti eidem Concilio oblata: quæ inter ſe in plurimis contrariæ & pugnantes, ab univerſa tamen Lutheranorum Societate ſubſignatæ fuerunt.

Præterea in Synodo Dresdenſi anno 1571. communi conſenſu reprobata eſt ſententia Brentii, Illyrici, & aliorum de Chriſti ubiquitate: & tamen eandem ſententiam prius a ſe damnatam publice receperunt in Libro Concordiæ, & Synodus illa, & ipſa Concordia auctoritate Principis Saxoniæ fuerunt Wittembergæ impreſſæ. Ex quibus patet ſumma diſcordia. Quantum Lutherus ſecum ipſo pugnet, varie variis locis ſcribens, & ſibi contrarius, oſtendunt plures Auctores. Cochlæus in libro, cui titulus: *Lutherus ſepticeps*, adjecit in fine triginta ſex unius Lutheri varias de unico Articulo, ſcilicet Communione ſub utraque ſpecie ſententias.

Calviniſtæ quoque, & Defenſores ſenſus figurati in Euchariſtia, inter ſe conveniunt minime. Et hi aliam Confeſſionem fidei Carolo V. eo tempore, quo Lutherani, obtulerunt, quæ vocatur Argentinenſis. Parum & illa ſuis placuit. Helvetii ſucceſſive quatuor ſcripſerunt. Galli & Genevenſes ſuam peculiarem quoque ha-

bere voluerunt. In Anglia duæ etiam fere eodem tempore visæ sunt, & duæ aliæ sub nomine Ecclesiarum Scotiæ. In Belgio iterum alia conscripta fuit, in Synodo Dordracena approbata: nec defuit Polonis sua edita anno 1570. Legi possunt istæ Confessiones omnes variæ, in unum corpus collectæ, & typis Genevæ excusæ apud Petrum & Jacobum Ghover 1612. Ergo Protestantes in sua doctrina non conveniunt. Nec possunt convenire; quia non habent certum & constans fidei suæ motivum vel regulam: Nam talis ipsis non est S. Scriptura, de cujus libris, eorum legitima versione & sensu constare non potest, nisi ad aliam regulam confugiant: sed nullam aliam agnoscunt, præter spiritum privatum, qui non est sufficiens, cum in variis sit varius, & aptus ad varias pariendas sententias, & tollendum consensum in eandem doctrinam. Neque apud ipsos habetur regimen unum, unumque caput visibile: ergo non habetur unitas

§. III.

Solvuntur Objectiones contra asserta præcedentis Paragraphi.

114. Objic. 1. Explicari nequit, in quo sita sit illa unitas Ecclesiæ universalis: ergo. ℞. N. a. Satis superque explicatum est §. præc: in quo consistat illa unitas, nempe in eadem fide, & fidei doctrina, in eodem regimine, & visibili capite, quod tantam multitudinem diversorum, & loco maxime dissitorum hominum in eadem fidei doctrina, & communione continet.

Objic. 2. Non intelligitur, quomodo huic unitati non adversetur tanta hominum, ex quibus constat, multitudo, tantaque temporum & locorum distantia: ergo. ℞. N. a. Imo singulare opus Divinæ Providentiæ, regentis nostram Ecclesiam elucet, quod tot tam diversi homines, alias ingenio & moribus, ac politico vivendi modo tam dissimiles, per totum orbem sparsi, sint unanimes in una doctrina fidei, ut nec in uno articulo per Ecclesiam de fide proposito dissentiant, ut experientia testatur.

Objic. 3. Nota debet esse propria, & sensibilis, atque notior ipsa re significata: talis non est unitas Ecclesiæ: ergo. ℞. N. m. Nam propria nota est, quia nulla secta constantem & unam habuerit doctrinam, constans idem regimen, & idem Caput, ut nostra Ecclesia ac Religio. Cum hæc tria etiam sint evidenter visibilia & sensibilia, sic & hæc unitas est sensibilis, & notior ipsa re significata.

Objic. 4. Requiritur quidem unitas Capitis invisibilis Christi, sed non visibilis, Romani nempe Pontificis, & cum hoc communio: ergo. ℞. N. a. cum Ecclesia sit corpus visibile, requirit etiam Caput

put visibile, & cæterorum membrorum cum hoc visibilem communionem.

Objic. 5. Etiam inter Doctores Catholicos sunt maximæ dissensiones, v. g. de gratia efficaci, de prædestinatione, causalitate Sacramentorum, præsertim inter Thomistas, Scotistas, & RR. ergo nec apud illos habetur unitas doctrinæ. ℞. D. a. apud nos sunt dissensiones inter Doctores in opinionibus Scholarum libertati relictis, & necdum pro articulis fidei determinatis c. a. in fidei dogmatibus n. a. Inter nostros Doctores nullum est diffidium de veritatibus fidei ab Ecclesia propositis in publicis Symbolis, fidei Professionibus, claro S. Scripturæ textu, aut Romanorum Pontificum & Conciliorum generalium decretis: imo qui vel uni simili veritati se opponeret, statim hæreticis annumeraretur. Non sic res se habet in aliis Scholæ opinionibus, quas varias in partes agitari permittit Ecclesia ad elucidationem veritatis, exercitationem ingeniorum & Scholarium, *in quibus* (ut scribit D. Augustinus L. 2. de peccato originali c. 23.) *salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur, quid verum sit —— aut aliter, quam est, humana & infirma suspicione conjicitur*, in quibus proinde quisque sine pertinacia & contentione refellere, & refelli paratus esse debet.

Tres igitur sunt differentiæ inter nos, & Sectarios: 1. Catholici Doctores non diffident in articulis fidei, sed tantum in opinionibus adhuc relictis scholasticæ disputationi. Contra Sectarii pugnant inter se in articulis fidei v. g. de ubiquitate Christi, de necessitate bonorum operum &c. 2. Catholici disceptantes simul sunt parati, se submittere judicio Ecclesiæ, & ejus definitioni acquiescere, quamprimum secuturæ: & hinc tantum discordant sub conditione, si Ecclesia aliter non definierit. Unde 3. inter Catholicos diffidentes non est pertinacia; sine hac autem nemo fit hæreticus. Sectarii vero sua placita absolute, & cum pertinacia sustinent, quod alium Judicem non admittant præter S. Scripturam, suo proprio sensu & privato spiritu intellectam, quam tamen quælibet pars pro se claram jactitat.

Objic. 6. Ex ipsa Apostolorum Ecclesia variæ ortæ sunt divisiones, & Sectæ contrariæ, ut Simonianorum, Nicolaitarum, Valentinianorum, Marcionitarum, Gnosticorum &c. ergo nil obest, si etiam oriantur divisiones ex Ecclesia Protestantium. ℞. N. a. Sectæ illæ quidem in Ecclesia ortæ sunt, non vero ex Ecclesia, seu ex natura Ecclesiæ; quia Ecclesia habet certam regulam finiendarum similium controversiarum, nempe Judicium Ecclesiæ: at contra Sectæ contrariæ apud Protestantes ex propria societatis indole oriuntur; cum enim non

non habeant similem certam regulam, variis sunt erroribus obnoxii. Deinde Ecclesia sectas illas ortas rejicit, & damnat, illarumque authores & fautores a communione sua excludit, nec eos tolerat: secus fit apud Protestantes. Sic Calvinistæ tolerant Lutheranos, quamquam hi agnoscant corpus Christi vere adesse in Eucharistia, quod illi, seu Calvinistæ negant.

Objic. 7. Apud Catholicos sunt diversi ordines Religiosi: ergo sunt etiam diversæ divisiones, & schismata. ℞. N. c. Fundatores SS. ordinum non fuerunt authores novæ fidei doctrinæ, sed institutores novæ & severioris vitæ, ac disciplinæ, salva fide, fideique ac morum doctrina, quam tradit Ecclesia. Dein Ordines Religiosi omnes subjiciuntur Ecclesiæ, ab hac confirmantur, & approbantur, foventur, ac proteguntur: aliqui etiam Episcopis subduntur: omnes autem sunt sub regimine S. Pontificis Romani.

Objic. 8. Quamvis in regno Pontificio sit externa quædam unitas, vera tamen, ac interna ipsi deest: ergo. ℞. N. a. Gratis omnino, & sine fundamento negatur nobis unitas interna in rebus fidei, concessa externæ in professione externa fidei dogmatum; talis enim quisque debet præsumi, esse interius, qualem se gerit exterius, nisi probetur Hypocrita. Et licet forte de singulis non sit certum, quod eandem habeant interne fidem, quam profitentur exterius, de tota tamen collectione certum est, quod in ea saltem aliqui, imo plerique & major pars habeat veram interne fidem: ne alias Ecclesia pereat, quæ perire nequit secundum dicta.

Objic. 9. Unio in Ecclesia Romana est servilis, & coacta a Papa: ergo non est vera unitas fidei. ℞. N. a. Siquidem omnes boni Catholici in consueta fidei professione jurata dicunt, se fidem Ecclesiæ Romanæ profiteri *sponte*. Neque obest, quod subjiciunt suum sensum sensui Ecclesiæ, quia id libere præstant, sicut quando subjicimus sensui Christi, vel Sectarii subjiciunt verba Scripturæ suo proprio sensui, & spiritui privato.

Objic. 10. Ecclesia successit Synagogæ, ita, ut hæc hominibus in veteri Testamento idem præstiterit, quod in novo iis præstat Ecclesia: Sed non erat tanta Synagogæ necessitas, ut extra eam non obtineretur salus; multi enim ex gentibus, penes quos unius veri Dei cognitio erat, ut Melchisedech, Job, & alii sola legis naturalis observatione salutem suam sunt consecuti: ergo. ℞. D. M. Ecclesia tamquam quid perfectum successit Synagogæ tanquam imperfecto, nec secundum omnia c. M. tanquam perfecto, & secundum omnia n. M.

Ecclesia non successit Synagogæ quantum ad amplitudinem, cum Synagoga tantum ad Judæos pertineret, & solum fuit illorum, qui se ipsis per circumcisionem jungebant, particularis Ecclesia: e converso Religio in novo Testamento se diffundit per totum orbem, cum Evangelium fuerit prædicatum omni creaturæ, seu omni genti ex præcepto Christi. Iterum non successit secundum perpetuitatem, qua usque ad consummationem sæculi nostra Ecclesia est perseveratura: nec secundum perfectionem Sanctitatis & cultus Divini, qua Ecclesia Synagogam multum superat: ita neque successit ei secundum necessitatem ad salutem.

Objic. 11. S. Augustinus Epist. 43. alias 162. ad Glorium, Eleusium & alios, quos a sua communione sejunctos agnoscit, affirmat, extra externam Ecclesiæ communionem salutem obtineri posse: ergo ℞. S. Augustinus cit. Epistola loquitur de iis, *qui* (ut ejusdem verbis utar) *sententiam suam, quantumvis falsam & perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim etiam, quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed a seductis, & in errorem lapsis parentibus acceperunt, ac cauta sollicitudine quærunt veritatem, corrigi parati, cum invenerint. Et hi nequaquam sunt inter hæreticos deputandi:* quia si non ipso actu, certe desiderio, & quidem sincero spectant ad externam Ecclesiæ communionem, atque, si nihil aliud obsit, participant Ecclesiæ Spiritum, & apud nos hæretici solum materiales vocantur, quales e. g. sunt infantes, multi Rustici, fœminæ &c. Idem vero S. Doctor separationem ab externa Ecclesiæ unione summe reprobat eadem Epist. c. 8. n. 24.

Objic. 12. Si Ecclesia esset una, tunc maxime propter charitatem: ergo, qui non sunt in charitate, Ecclesiæ non sunt uniti. ℞. D. a. maxime propter charitatem solam n. a. ita, ut charitate deficiente in aliquibus (licet ea maximopere optanda sit in omnibus membris) tamen ex aliis rationibus, nempe fide, regimine, Sacramentis, subjectione erga legitimos Pastores uniti maneant corpori Ecclesiæ c. a.

Objic. 13. Quæ habent easdem qualitates, sunt quidem similia, sed non unum: ergo licet in omnibus Ecclesiis particularibus sint eadem fides, Sacramenta, Leges, non sunt una Ecclesia, sed mere similes. ℞. D. a. quæ habent easdem qualitates non sunt unum, si non habeant eundem finem, nec ad eum tendant ut partes ejusdem totius c. a. secus n. a. Ecclesiæ particulares eundem finem, media, ac subjectionem habent erga Pastores, & visibile suum caput S. Pontificem: atque adeo, sicut omnia membra simul sumpta, licet inter se distincta, unum corpus constituunt, sic plures Ecclesiæ simul sumptæ unam universalem constituunt, & unum integrum corpus mysticum.

Objic.

Objic. 14. Unitas, concordia, & ordinata diſpoſitio non conveniunt ſoli Eccleſiæ Chriſti, ſed etiam multis aliis Societatibus: ergo. ℞. D. a. Unitas, concordia &c. quæ fundatur in conſenſu fidei ejusdem, participatione eorundem Sacramentorum, & ſubjectione erga legitimos Superiores, maxime unum S. Pontificem n. a. unitas cuilibet Societati communis c. a. n. c. Nulli Societati competit ea unitas, quæ Eccleſiæ Catholicæ eſt propria.

Objic. 15. Tali modo damnarentur omnes, qui extra Eccleſiam cum Pontifice Romano non haberent communionem: ſed hoc eſt valde inhumanum & durum: ergo non admittendum. ℞. Plurima ſunt in Religione Chriſtiana, quæ ſunt veriſſima, licet humanæ rationi videatur duriora: ut reatus peccati originalis propter unum hominem, parvulis absque baptismo decedentibus negata ſalus, æternitas ignis & gehennæ in vindictam vel unius peccati mortalis &c. hæc tamen & plura alia, quamvis duriora videantur, negare, aut reprobare non licet; Deus enim in his, ac cunctis aliis juſtus eſt, & recta judicia ejus cum tremore ſunt adoranda. Proinde, etſi durum videatur, damnari omnes hæreticos, & Schismaticos, qui communionem non habent cum Pontifice Romano, id tamen non minus verum eſt, cum tota paſſim Traditio doceat, extra Eccleſiam veram non eſſe ſalutem.

§. IV.

De Nota Sanctitatis: ubi etiam de Miraculis.

115. Affero 1. Chriſti Eccleſia debet eſſe ſancta. Catholici. P. 1. Quia in Concilio Nicæno & Conſtantinopolitano confitemur unam *Sanctam* Eccleſiam. 2. Eccleſia habet ſuam originem a Deo Incarnato, Sanctiſſimo, & omnis ſanctitatis fonte, cujus doctrina eſt *Lex immaculata, convertens animas.* Pſ. 18. 3. *Pro ea* (Eccleſia) *ſe ipſum tradidit Chriſtus, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ, ut exhiberet Ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata,* ait Apoſtolus Epheſ. c. 5. ℣. 25. & ſeqq. Proinde & fidelibus S. Petrus Epiſt. 1. c. 1. ℣. 15. annunciat: *In omni converſatione ſancti ſitis.* Sanctitas autem Eccleſiæ conſiſtit non tantum in ſanctitate Capitis Chriſti, ſed inſuper in puritate & ſanctitate doctrinæ, quæ nihil in materia fidei falſum, nihil in materia morum contineat iniquum, & in ſanctitate membrorum, & cultorum ſecundum doctrinam & inſtituta Eccleſiæ Catholicæ viventium. Unde

Aſſero 2. Eccleſia Catholica Sancta eſt, & quidem ſola. P. 1. pars. Nam doctrina Eccleſiæ noſtræ nullo nævo rationi adverſo laborat, tota a peccatis, & terrenis avertit, & ad ſtudium virtutum, ac perfectionis chriſtianæ, ſeu ſanctitatis inducit, ut S. Auguſtinus recte docet L. 2. de Civit. Dei c. 28. dicens: *Nihil turpe aut flagitioſum* (in Eccleſia Catholica) *ſpectandum, imitandumque proponitur, ubi veri Dei præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut beneficia poſtulantur.* Certe, ſive ſi ſpectemus, quæ ad Deum, nos ipſos, vel proximum pertinent, talibus moribus vivere jubemur, qui nos ſanctos, & toti mundo, ſi juſſa iſta exequimur, laudabiles reddunt. Proponit Eccleſia non ſolum mandata Dei, ſed & Conſilia Evangelica, quæ a plurimis ſanctiſſime obſervantur, & quæ perfecte ſervata hominem ad ſummam ſanctitatem perducunt: id quod teſte experientia ſcimus in tot millibus Eremitarum & Monachorum, aliorumque Sanctorum, quos ceu ſuos Heroes Eccleſia ad imitationem & cultum proponit, qui ampliſſimas opes, imo interdum & Regna cum voluptatibus ac honoribus omnibus poſtpoſuere graviſſimis laboribus, & aſperitatibus vitæ, tantaque fecerunt, quæ nec Antiquitas in ſuis fabuloſis Heroibus fingere eſt auſa.

116.

Igitur Cultores & Aſſeclæ hujus ſanctæ doctrinæ tot milleni & milleni utriusque ſexus, atque inter hos Reges, ac Principes, eorumque filii ac filiæ ex doctrina Eccleſiæ, adjuvante divina gratia tam mirabilem in ſe mutationem ſenſerunt, vitamque conformiter inſtituentes ſanctitate orbi nota eluxerunt, quam etiam poſt mortem ſignis & miraculis manifeſtis Deus atteſtatus eſt. Tales ſunt Antonius, Hilarion, Baſilius, Martinus, Nicolaus, Ambroſius, Auguſtinus, Benedictus, Gregorius, Bonifacius, Norbertus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus (quos tres ſignanter Novatores fatentur eſſe Sanctos) Antonius de Padua, Thomas Aquinas, Bonaventura, Nicolaus Tolentinas, Bernardinus, Xaverius, & innumeri alii.

P. 2. m. quod ſola Eccleſia Romano-Catholica gaudeat hac ſanctitate. Nam. 1. Doctrina Proteſtantium, id eſt, modernorum Sectariorum non eſt ſancta, quia adverſatur ſanctæ morum diſciplinæ, quæ viguit etiam puriſſimis, & ſanctiſſimis Eccleſiæ temporibus, Sanctorum nempe Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nyſſeni, Ephremi, Cyrilli Hieroſolymitani, Concilii Calcedonenſis, cui interfuere Patres ſexcenti, Ambroſii, Hieronymi &c. Dein 2. doctrina moralis Proteſtantium non ducit ad ſanctitatem, ſed peccatum; in eorum enim ſententia ſola incredulitas poteſt damnare, quibuscunque tandem cupiditatibus v. g. adulterii, aut cujusvis criminis quis

 ſerviat,

serviat, & admittat, modo credat, se esse electum a Deo, gratiam nunquam amittere potest: quia, etsi timorem Dei perdat, fidem tamen justificantem non perdit. Ita passim Luth. L. de Captiv. Babylon. c. de Baptismo. Calvinus L. 3. Inst. c. 13. Beza in Confess. c. 4. Art. 20. Quid magis impium cogitari potest, atque magis apertam viam omnibus vitiis laxat, virtutibus autem claudit, quam ubi scelestissimi quique salutis suæ securi redduntur?

Huc faciunt etiam sequentia, quibus Lutherus expresse ad peccatum allicit: ut illud Epist. 238. ad Melanchtonem: *a Christo non avellit nos, etiamsi millies, millies uno die fornicemur, & occidamus.* Et eadem Epistola: *esto peccator, & pecca fortiter.* O quam sancta, id est, impia & scelerata hæc est doctrina! Plura alia pessima principia in Lutheri, aliorumque Sectariorum scriptis passim ad nauseam usque leguntur. Nec Lutheri & Calvini vita ablusit a suis nefariis principiis: ipsorum probris nolo maculare chartam: sunt ea satis, superque nota; unde nulla sanctitas resplenduit in eorum vita, bene vero flagitia non modica. Speciatim legatur Lessius in Appendice consultationis de Religione c. 3. differens de Sodomia, & stigmate Calvini, & alii, qui de utriusque gestis scripsere.

Quis igitur credat, tam probrosos & scandalosos homines fuisse a Deo assumptos ad reformandam Ecclesiam? Quis credat, Sectam illam esse veram Christi Ecclesiam, in qua docetur doctrina Spiritui Christi, qui carnem cum concupiscentiis suis vult crucifigi, penitus adversans, & homines ad peccatum, quod Christus, ut deleret, venit, alliciens, in qua vivitur secundum carnem, cujus macerationem Christus & Apostoli verbo & exemplo tradidere, in qua nullum vestigium sanctitatis reperitur? Apage has sordes, & sordidos homines, & eorum conciliabula, veræ Religionis & Ecclesiæ nomine prorsus indigna.

117. Assero 3. Sanctitas doctrinæ, & vitæ in Ecclesia Catholica est miraculis confirmata. Ante probationem sciendum, Miraculum esse quasi sigillum Dei infallibiliter aliquid attestantis; nam miraculum verum non nisi divina virtute fieri potest: proinde si in confirmationem alicujus Religionis, vel hominis sancti videmus contingere miraculum, evidens signum est, ejusmodi Religionem esse veram, vel hominem esse vere sanctum; cum evidenter repugnet, Deum testari falsum. Miraculum itaque vel unicum, si de eo evidenter constaret, probaret evidenter, Religionem, in cujus contestationem fuisset factum, esse veram: si vero constet solum moraliter, & evidenti credibilitate

dibilitate de eo, saltem probat, ejusmodi Religionem esse evidenter credibilem. H. P.

P. Assertio. Habuit Ecclesia Catholica continuo miracula in testimonium suæ sanctitatis & veritatis: sic sæculo primo habuit miracula Christi, & Apostolorum sacris libris recensita. Secundo sæculo miracula militum Christianorum in exercitu Marci Antonii Imperatoris, quæ referuntur a Tertulliano L. ad Scapulam c. 4. & Apologetici c. 5. ab Eusebio L. 5. Hist. c. 5. Tertio sæculo miracula S. Gregorii Thaumaturgi agud S. Basilium L. de Spiritu S. c. 29. apud S. Gregorium Nyssenum in vita ejus, apud S. Hieronymum L. de viris illustribus. Quarto sæculo miracula S. Antonii, S. Hilarii, S. Martini, S. Nicolai apud S. Athanasium, Hieronymum, Sulpitium. Quinto sæculo miracula, quæ describuntur a S. Augustino L. 22. de Civit. c. 8. & quæ suo tempore Carthagine, & Mediolani contigisse narrat. Sexto sæculo miracula, quæ referuntur a S. Gregorio Magno in suis Dialogis, & multa alia, prout Annales Ecclesiasticos volventi facile liquet; quæ omnia a tot & tam sanctis viris patrata fuere in testimonium ejusdem doctrinæ & fidei, quam nos Catholici profitemur, quæque proinde eam sanctam probant; ubi enim vera miracula, ibi vera & sancta doctrina. Deus siquidem præcipuus, imo unicus miraculorum author, mendacii & erroris testis, & assertor esse non potest; atqui si fides & doctrina sancta & vera non esset; author mendacii & erroris testis foret, ut qui permitteret, in ejus testimonium miracula fieri.

Protestantes sane nulla miracula in medium afferre possunt, quibus doctrinam suam confirment; cumque nulla apud se inveniunt, nostra Dæmonum præstigiis deputant, aut falsi postulant, non alia quidem ratione, quam quod pugnent contra nova ipsorum placita.

§. V.

Respondetur Objectionibus contra asserta præcedentis Paragraphi.

Objic. I. Si sanctitas doctrinæ est nota veræ Ecclesiæ, tunc & ipsa doctrina sancta erit nota veræ Ecclesiæ, quia hæc duo sunt idem: sed sequela non admittitur a Papistis; alias enim deberent admittere, quod pura prædicatio doctrinæ sit nota veræ Ecclesiæ: de puritate autem & sanctitate doctrinæ non potest constare nisi ex sacris Literis: ergo. R. N. quod puritas & sanctitas doctrinæ non queat cognosci nisi ex sacris literis. Etenim sanctitas in Lege naturæ, antequam ulla Scriptura extaret, scilicet ante Moysen: item sanctitas doctrinæ, 118.

doctrinæ, quam prædicabant Chriſtus & Apoſtoli integro ſeptennio, antequam ſcripta erat, poterat cognoſci; ſiquidem ante annum Chriſti 41mum nec Evangelium, nec Epiſtola, nec alius liber novi Teſtamenti erat conſcriptus, & ſic non exſtabat Scriptura, complectens doctrinam Chriſti & Apoſtolorum. Quam ob rem ſanctitas doctrinæ patere poteſt tum per ſe, & beneficio luminis naturalis, nullum errorem aut inconveniens in ea videntis, tum ex eo, quod manifeſte appareat apta perducendis hominibus ad virtutis ſtudium, ac retrahendis a vitiis, tum quod actu perducat ad omnem honeſtatem lumine naturali cognitam. Hæc itaque doctrinæ puritas ab errore manifeſto, & aptitudo ad peccata eradicanda, & implantandas virtutes longe eſt notior, quam ſacra Scriptura, cum veritas Scripturæ primum dignoſci poſſit ex veritate Eccleſiæ proponentis illam: veritas vero Eccleſiæ ex ſanctitate doctrinæ, & aliis notis.

Objic. 2. Sanctitas doctrinæ non poteſt cognoſci, niſi quis diſcutiat omnes articulos alicujus Eccleſiæ: ſed hoc, præſertim indoctis eſt impoſſibile: ergo & ſanctitas doctrinæ eſt incognoſcibilis, adeoque inepta ad notam Eccleſiæ. ℞. N. M. Si rudis, rationis tamen compos, nullum videt manifeſtum errorem in doctrina, quam haurit, & aliunde novit per famam & experientiam, homines juxta hanc doctrinam viventes fieri valde ſanctos, a gravioribus vitiis liberos, virtutum ſtudioſos, item valde multos vitæ ſanctimonia clareſcentes adhærere huic doctrinæ &c. ſatis cognoſcit ſanctitatem doctrinæ, quin examinet ſeorſim omnes & ſingulos articulos. Optime ergo diſcernet Eccleſiam veram a falſa, ſi unius doctrinam videt immunem ab errore manifeſto ſtimulare ſuos cultores ad virtutes, caſtitatem, charitatemque, cultum Dei, pietatem & alias, & avocare a vitiis: non item doctrinam alterius Eccleſiæ.

Objic. 3. Societas Catholicorum corrupta eſt in doctrina, ob infinitos errores & ſuperſtitiones, quibus verus Dei cultus apud eos inficitur: & in moribus, ut patet ex reformatione, quæ ſubinde adhibita fuit in capite & in membris. ℞. N. a. Si errores quidam & ſuperſtitiones aliquando in Eccleſiam irrepſerunt, & ſubinde adhibenda fuit morum reformatio, id privatorum quorumdam vitia fecerunt, quæ ipſi Eccleſiæ immerito imputantur, utpote quæ teſte S. Auguſtino *errorem nec facit, nec jubet, nec patitur.* Ut objectio aliquid valeat, proferri debet aliquod Eccleſiæ judicium, vel Canon, quo vel error, vel morum corruptela per Eccleſiam approbata fuerit, quod non poterunt facere Proteſtantes, qui tantum ſequuntur morem antiquorum Hæreti-

Hæreticorum, quibus ſemper conſuetum erat, Catholicorum Societatem, e qua ejiciebantur, calumniis proſcindere, ut probat, & notat Honoratus Tournely de Eccleſia Art 3. in Solutione objectionis primæ.

Objic. 4. Illa doctrina eſt vere ſancta, quæ ſolius Dei, & Chriſti Mediatoris gloriam maxime promovet, & humanam ſuperbiam deprimit: ſed utrumque facit doctrina Proteſtantica: m. prob. Proteſtantes docent, ſolum Deum eſſe adorandum, non Sanctos, & creaturas: item omnem fiduciam eſſe ponendam in Chriſti meritis, nullam in hominibus, aut meritis propriis &c. ergo. ℞. D. M. quæ maxime promovet gloriam Dei vere, & in omnibus c. M. ficte, & in aliquibus tantum n. M. Vere Deo injurioſa, & omni honeſtati adverſa dogmata reperiri apud Proteſtantes, facile patet vel modicam notitiam de illis habenti. Neque adducta vere promovent gloriam Dei, imo eam minuunt; magis enim reapſe glorioſum eſt Deo, hominumque arrogantiam deprimit, ſi iſti non ſoli audeant comparere coram tanta Majeſtate ſine Patronis, qui utpote familiares, & dilecti amici tanti Regis invocantur tanquam interceſſores. Profecto magis glorioſum eſt ſupremo Principi, ſi habeat ſupplices non ſolum gregarios, & plebem, ſed etiam Magnates & Principes, qui etiam ipſi omnem ſuam dignitatem Principi in acceptis referunt.

Præterea meritis Chriſti nihil adimitur, ſi dicatur, Eum non tantum meruiſſe nobis primam gratiam, & gloriam æternam: ſed etiam iis, qui ſemel ab Eo in gratiam ſunt recepti, ac libertate præditi, per ſua merita vires impetraſſe, merendi augmentum gratiæ, & gloriæ æternæ; quemadmodum omnipotentiam Dei non deprimit, ſed extollit, qui aſſerit, Eum non agere omnia per ſe ſolum, ſed etiam rebus creatis contuliſſe vim agendi. Neque propterea per ſe præbetur cauſa ſuperbiendi creaturis, ſed potius ſe humiliandi, cum agnoſcant, & fateri debeant, ſe omnes vires agendi, & merendi a Deo accepiſſe, neque ſe ſibi relictos poſſe agere, vel mereri, ſed debere cum Apoſtolo ad Phil. 4. pronunciare: *omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Item 1. Corinth. 15. *Non ego, ſed gratia Dei mecum.*

Objic. 5 Sanctitas vitæ eſt interna, & inviſibilis: ergo non poteſt eſſe nota Eccleſiæ. ℞. Si anima rationalis ex ſe eſt inviſibilis, utpote ſpiritualis, tamen fit ſenſibilis per diſcurſus, & operationes naturales: ſic & ſanctitas, quamvis præcipue conſiſtat in gratia ſanctificante, & actibus voluntatis, tamen ſe ſatis manifeſtat per operationes externas virtutum, ſine quibus nec datur vera ſanctitas interna. Arborem facile ex fructibus cognoſcimus.

Objic. 6. Opera externa ſunt communia bonis, & malis, & ſæpe nos decipiunt: ſuntque perſæpe Hypocritæ, qui nobis videntur ſancti: ergo neque per operationes externas ſanctitas interna ſit cognoſcibilis. ℞. T. A. nam diu non poteſt ſimulari ſanctitas coram attentis, & curioſis obſervatoribus. n. c. vel d. c. ergo ſanctitas vitæ ſingulorum hominum in particulari, & ſeorſim non eſt nota veræ Eccleſiæ T. c. ſanctas vitæ omnium, qui in aliquo cœtu habentur pro Sanctis n. c. Licet forte in quolibet particulari homine poſſimus falli circa ejus ſanctitatem, non tamen poſſumus falli circa ſanctitatem totius collectionis; Deus enim nequit permittere, ut non aliqui ſaltem (quamvis nobis determinate, & in individuo non cogniti) ſint veri Sancti ex fidelibus: qua enim ratione alias Eccleſia in Symbolo Apoſtolico *Sancta* poſſet dici, ſi nulla ejus membra forent ſancta? Vera igitur fides, licet in ſingulis abſolute poſſet dari ſine ſanctitate, non poteſt tamen dari in omnibus ſimul ſumptis ſine ſanctitate tam interna, quam externa.

Objic. 7. Morum corruptela non eſt certum ſignum falſæ doctrinæ: ergo nec Sanctitas morum eſt ſignum veræ doctrinæ, & veræ Eccleſiæ. ℞. T. a. n. c. Chriſtus, qui docuit, in ſua Eccleſia fore bonos & malos, ſtatuit ſignum veræ Eccleſiæ & doctrinæ in Sanctitate Bonorun: ſicut igitur ſigna vitæ in aliquibus corporis humani membris apparentia arguunt vitam totius corporis, atque ſigna mortis in aliis membris non indicant totius corporis mortem: ita ſanctitas vera, quæ in aliquibus Eccleſiæ membris datur, oſtendit, originem veræ ſanctitatis in Eccleſia reperiri.

Objic. 8. Propter ſanctitatem aliquorum non debet Eccleſia ſancta appellari: ergo. p. a. accidens aliquod poteſt convenire toti & parti: ſi ſoli parti convenit, non prædicatur de toto; ſed ſanctitas convenit tantum aliquibus membris: ergo non poteſt prædicari de tota Eccleſia. ℞. N. a. Eccleſia poteſt dici ſancta propter magis præcipuas, & nobiliores ejus partes, quæ ſanctæ ſunt. Sic dicitur exercitus fortis, licet in eo multi ſint ignavi, quia plures habet viros ſtrenuos & generoſos; ſic dicitur civitas opulenta, licet habeat multos etiam inopes. Ad paritatem ab accidente illatam dico, eam non valere, quia ſanctitas Eccleſiæ eſt eſſentialis, non accidentalis. Præterea datur accidens, uni duntaxat corporis parti proprie conveniens, quod tamen de toto corpore, ſeu ſubjecto prædicatur: ſic vir firma habens latera, & brachia robuſta, vir fortis dicitur, quamvis ejus fortitudo in brachiis ſolum & lateribus conſiſtat.

Objic. 9.

Objic. 9. Si Eccleſia Catholica propter aliquorum ſanctitatem ſancta appellatur, poterit etiam vocari prædeſtinata, vel reprobata: quia in ea ſunt aliqui electi & reprobi: ſequela eſt abſurda: ergo. ℞. N. M. & dico, poſſe Eccleſiam quidem vocari prædeſtinatam, tum ob ſingularem ejus a Deo factam prædeſtinationem, tum etiam propter præcipua ejus membra ſingulari Dei beneficio electa: non poteſt autem dici damnata, vel reprobata, quia tales denominationes non ſumuntur a partibus majoribus, ſed nobilioribus.

Objic. 10. Saltem miracula firmum non ſunt argumentum ſanctitatis alicujus doctrinæ, quia fieri poſſunt a Magis & Ariolis, ut Exod. 7. & 8. ab Antichriſto, & Pſeudo-Prophetis Matth. 24. ab Ethnicis, ut Veſpaſiano, qui cæco lumen, claudo greſſum reddidit: Suetonius in Vita n. 7. ab Hæreticis, ut de Paulo Novatiano Epiſcopo refert Socrates L. 7. Hiſt. c. 17. ergo. ℞. N. a. ad exemplum 1. dico, falſa fuiſſe miracula, quæ Magi & Arioli ediderunt Exod. 7. & 8. & dæmonum artificia, ac faſcinationes &c. colligitur id ex eo, quod Draco, in quem virgam ſuam convertit Moyſes, illorum Dracones devoraverit. Ad 2. dico, Antichriſti mira mendacia erunt, non vera miracula juxta Apoſtolum 2. ad Theſſal. 2. ℣. 8. & 9. ibi: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum, cujus eſt adventus ſecundum operationem Sathanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis* NB. *mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt.* Mendacia itaque, & ſolum apparentia, non vera Antichriſtus patrabit miracula, vel quia hæc tantum fallaciter & illuſorie fient, vel quia abſolute & ſimpliciter non erunt miracula, utpote quæ naturæ creatæ, præſertim Dæmonum facultatem non ſuperant, qualia ſunt, ventos & tempeſtates excitare, ignem cælo deducere, quosdam languidos ſubito ſanare &c. vel quia in mendacium & errorem homines inducent. Nec miracula Ethnicorum vera fuere, ut Veſpaſiani; nam non fuere vere cæcus & claudus, qui ab illo dicuntur ſanati. Id teſtatur Cornelius Tacitus L. 4. Hiſt. n. 81. ubi refert, Medicos aſſeruiſſe, rem non eſſe ope humana ſuperiorem, priusquam quidquam tentaretur a Veſpaſiano. Tertull. c. 22. Apologetici ait: non raro in ſimili occaſione contingere, ut dæmones neſcio quid maleficii hominibus inferant, quod dum ſuſtulerint, beneficium conferre exiſtimantur a neſcientibus, & prodeſſe, cum obeſſe deſinunt. Idem reſponde ad miraculum relatum a Valerio Maximo de Virgine Veſtali L. 8. de Judiciis publicis n. 5. Ad Novatiani Epiſcopi miraculum ℞. illud factum eſſe, non in confirmationem fidei Novatianæ, ſed Catholici Baptiſmi; cum enim, ut refert

fert Socrates cit. loco, Judæus quidam impoſtor, qui baptiſmum ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano ritu Catholico jam ſuſceperat, ad hunc Novatianum Epiſcopum acceſſiſſet, ut iterum baptizaretur, alveus baptiſmalis divinitus exhauſtus eſt: quo miraculo illius reiterationem illicitam eſſe, Deus teſtari voluit.

Objic. 11. S. Auguſtinus Tract. 13. in Joan. ait, non eſſe credendum Donatiſtis, etſi miracula faciant. Item L. de Unit. Eccleſ. c. 16. docet, Eccleſiam non demonſtrari ex miraculis, ſed Scripturis, nec fidem adhibendam eſſe miraculis Catholicorum: ergo. ℞. Miracula Donatiſtarum non fuiſſe vera, quæ proin S. Auguſtinus contemnit, ſed tantum quasdam occultas viſiones, quas ſine omni teſte gloriabantur ſe habuiſſe. Quod autem hic S. Doctor vera miracula non contempſerit, patet ex L. 22. de Civit. Dei c. 8. ubi adverſus Paganos plurima opponit miracula, facta ad Reliquias Sanctorum, præſertim D. Stephani. Et c. 9. probat, univerſa miracula, quæ per Martyres nomine Chriſti fiunt, ei fidei teſtimonium ferre, qua in Chriſtum Martyres crediderunt. Secundo loco duntaxat vult S. Doctor, miracula non eſſe Scripturis præponenda; erat nempe ibi illi res cum Donatiſtis, qui miracula apud ſuos patrata jactabant, ex quibus veram ſuam Eccleſiam inferebant; quorum falſitatem oſtendere, nimis prolixum viſum eſt Auguſtino: quare ad Scripturas, quas & ipſi Donatiſtæ admittebant, provocavit, ex quibus multo apertius de vera Eccleſia judicari poſſet. Aſt vero ex miraculis demonſtrari veram Eccleſiam Chriſti docuit S. Doctor L. de utilitate credendi c. 17. ubi ait: *Illa* (miracula) *eſſe vincula, quæ illum in Eccleſia Catholica tenent.* Diſputans quoque adverſus Manichæos, qui admittentes miracula, Scripturas rejiciebant, docet L. contra Epiſtol. fund. c. 4. & 5. Eccleſiam demonſtrari ex miraculis, nôn vero ex Scripturis. Adeoque S. hic Doctor pro ratione Perſonarum, quibuscum diſceptabat, modo ex Scripturis, modo eſt miraculis Eccleſiam demonſtrat, volens ſe cujuslibet ingenio accommodare, ut ſic facilius vincat.

Objic. 12. Miracula, quæ a noſtris Authoribus narrantur, vel ſunt ficta, vel imaginaria, vel ſunt Dæmonum præſtigiæ, vel hominum illuſiones. p. a. eſt horum miraculorum, quæ v. g. a. S. Franciſco, Antonio, Xaverio & aliis Sanctis patrata dicuntur, nimia multitudo: ergo. ℞. N. a. Si enim pro libitu, & gratis licitum eſt negare facta miracula, inquit S. Auguſtinus L. 10. de Civit. c. 18. peribit fides Librorum, Hiſtoriarum, atque Scriptorum, & noſtra non ſolum, ſed & quæcunque Religio labefactabitur. Ad hæc ab-

ſurdum

ſurdum eſt, potius Luthero, Calvino, Magdeburgenſibus, aliisque Novatoribus circa antiquas Hiſtorias habere fidem, quam Cypriano, Athanaſio, Auguſtino, Hieronymo, Gregorio Magno, & aliis veteribus PP., qui referunt plerumque res a ſe viſas, aut ſaltem ſuis temporibus cognitas. Similia olim Judæi Chriſto, Martyribus & Apoſtolis gentiles, Ariani & Eunomiani, aliique veteres Hæretici nobis objecere. Ad probationem dico, ea nihil probari; neque enim omnia ea miracula, quæ vulgus circumfert, ſtatim admittimus, ſed ea duntaxat, quæ poſt ſerium & diligens examen agnoſcit, & probat Eccleſia: unde monet Concilium Trident. Seſs. 25 nova miracula ſine graviſſimo conſilio, ac diligenti examine non eſſe admittenda. Sicut autem non omnia ſunt leviter admittenda, ita nec omnia temere rejicienda. Quam accurate, & rigide Eccleſia diſcutiat miracula, ex Proceſſibus Canonizationum diſci poteſt. Si Dominus Deus aliquem Sanctum vult honorare virtute plura, vel plurima patrandi miracula, & ea per ipſum patrare, utique Adverſarii Eidem non ligabunt manum omnipotentem?

Objic. 13. S. Chryſoſtomus Homil. 49. in Matth. dicit, jam ſua ætate ſublatam eſſe miraculorum operationem: ergo. ℞. N. a. Eruditorum enim omnium judicio opus illud, ex quo petitur objectio, non eſt Chryſoſtomi, ſed alicujus hæretici.

Objic. 14. Plura miracula a Chriſtianis vulgata, ob ſuam ineptiam Majeſtate divina indigna videntur: ergo. ℞. Si vulgus quædam ſpargat miracula Deo indigna, ea non approbat Eccleſia. Hinc notanda ſunt, quæ dixi ad probationem object. 12.

Object. 15. Vera miracula confirmant Evangelium Marc. c. ult. Aſt noſtra evertunt, & Idololatriam probant, nempe cultum Imaginum & Reliquiarum, Sanctorum invocationem, Miſſam & alia id genus: ergo. ℞. Miracula noſtra, ut innumeræ teſtantur Hiſtoriæ, nedum homines in vera fide confirmant, & ad pietatem animant, ſed & hæreticos ac infideles ad noſtras partes attrahunt: evertunt Evangelium, ſed Lutheri & Calvini, non vero Chriſti Domini. Nec cultus Sanctorum &c. Idololatriam, ſi Chriſtiano modo impendatur, redolet, ut ſuis locis oſtendetur.

Objic. 16. Proteſtantes non indigent miraculis; prædicant enim purum Verbum Dei, & puram Apoſtolorum doctrinam, tot miraculis ab ipſis olim confirmatam: ergo. ℞. N. a. Proteſtantes non prædicare puram doctrinam Chriſti & Apoſtolorum, in omnibus controverſiis inter ipſos & nos intercedentibus invictis probamus ar-

gumentis: ergo ipsorum doctrina, utpote a Christo & Apostolis aliena, non confirmatur miraculis a Christo & Apostolis patratis.

Objic. 17. S. Joannes Baptista, licet a Deo extraordinarie missus fuerit, nullum tamen signum fecit, ut habetur Joan. 10. ℣. 42. ergo Ecclesia non minus Sancta dici debet, licet nulla proferat miracula. ℞. N. c. Quamvis S. Joannes miracula non fecerit, Ipse tamen fuit miraculum maximum, Authoritatis divinæ pondus habens. Certe prodigiosa Nativitas ex Matre sterili & annosa, vita solitaria, victus austeritas, conversationis innocentia, prædicationis libertas & efficacia, ipsum Joannis nomen, gratiam significans, divinitus impositum, & per Angelum ante circumcisionem prænuntiatum &c. tot sunt miracula, quæ maximopere commendaverunt Joannem. Producant Protestantes in suis Authoribus & Pseudo-Prophetis talia portenta ac mirabilia, & nulla alia ab ipsis miracula expetemus, quibus sanctitatem doctrinæ suæ probent.

Ultimo fatemur quidem, ad fidei nostræ veritatem tot jam antiquis miraculis confirmatam, ultra comprobandam nova miracula absolute non requiri; cum autem in nostra Ecclesia hujusmodi fiant, merito inde illius doctrinæ sanctitatem, & veritatem evincimus: Deus enim, qui est præcipuus miraculorum author, in testimonium impietatis & falsitatis ea operari nequit.

§. VI.

De Nota Catholicismi.

119. Observa 1. Ecclesiam tripliciter posse dici Catholicam. 1. Ratione doctrinæ: quia semper & ubique eandem profitetur doctrinam, sive, quia omnibus fidelibus eadem doctrina universalis, & communis est. 2. Ratione temporis: quia semper durare debet a Christo usque ad finem mundi, id est, quia communis est omnibus temporibus. 3. Ratione loci: quia ubique, & per totum orbem debet esse diffusa, seu communis omnibus locis. Quam triplicem universalitatem expressit Vincentius Lirinensis L. adversus Hæreses c. 3. dicens: *Catholicum esse, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum.* De universalitate doctrinæ & temporis actum est in præcedentibus, & redibit fors iterum sermo in sequentibus: igitur modo agendum de universalitate loci, quæ proprie venit nomine Catholicismi. Itaque

Observa 2. *Catholicum* esse vocem græcam, & significare idem, ac universale, & commune omnibus, præcipue secundum locum, seu *esse diffusum per totum orbem*, juxta illud: ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ *in universo orbe.*

orbe. Hinc juxta Cyrillum Jerosolymit. Catechesi 18. *Catholica* vocatur *Ecclesia, quia per universum orbem sit diffusa.* Et infra sic pergit: *Neque id tantum quæras simpliciter, ubi sit Ecclesia: sed ubi sit Catholica Ecclesia? hoc enim proprium nomen Sanctorum est Sanctæ hujus, & Matris omnium nostrum, quæ est Sponsa Domini nostri JEsu Christi.*

Observa 3. Hanc universalitatem quoad locum Ecclesiæ debere competere, omnino certum est; prædicit enim Regius Psaltes, quod convertendi sint ad Dominum universi fines terræ Psal. 21. ℣. 28: & Christus Matth. 28. ℣. 19. Evangelium Regni in universo mundo prædicandum asseruit. Duo hic notanda veniunt. Primum: non esse necesse ad Catholicitatem Ecclesiæ, ut simul eodem tempore sit ubique per totum orbem propagata, multo minus, ut sit ab omnibus omnino hominibus agnita; sed sufficere, si fides Christi & vera Religio successive annuncietur omnibus totius mundi Provinciis, saltem nobilioribus & amplioribus, ante finem mundi; sic enim jam verificantur oracula Prophetarum, & promissiones Christi: atque adeo non simul, sed moraliter & successive Christi Ecclesia debet diffundi per orbem universum, & ad omnes gentes pervenire, & quidem ita, ut in omnibus Provinciis fructificet, & ut aliqui saltem recipiant Religionem & fidem Catholicam. Secundum est: ut Ecclesia nunc, nostra ætate possit dici Catholica, & re ipsa talis sit, requiritur, ut jam actu sit in plerisque Provinciis recepta; Ecclesia enim modo jam senescit: Si ergo in adolescentia sua non crevisset per orbem universum, quomodo cresceret in senectute sua? Præterea Apostolus jam de suo tempore Coloss. 1. ℣. 6. affirmavit: *Evangelium pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis.* Dixi: *in plerisque*, ut insinuarem, Ecclesiam adhuc posse crescere, & introduci in Regiones nondum cognitas; antequam enim totum mundum illustraverit, non veniet dies Domini: postquam vero illustraverit, veniet, juxta illud Christi apud Matth. 24. ℣. 14. *prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.*

Observa 4. Nomen *Catholicæ* jam adhæsisse Christi Ecclesiæ vicinioribus ad Apostolos temporibus, ut prodit Epistola fratrum Smirnæorum de Martyrio Polycarpi, qui fuit discipulus Apostolorum, apud Eusebium L. 4. c. 15. Et epistola S. Ignatii ad Smirnæos. Unde recte sentit Valesius in Notis in L. 7. Hist. Eusebii c. 10. videri hoc cognomen Ecclesiæ inditum esse circa primam Apostolorum successionem, cum nimirum hæreses multis in locis exortæ veram Christi fidem, & Apostolorum Traditionem evertere conarentur: tunc enim,

ut vera & germana Chriſti Eccleſia ab adulterinis hæreticorum Sectis diſtingueretur, *Catholicæ* cognomen ſoli orthodoxorum Eccleſiæ attributum eſt. Imo non ſpernenda eſt confeſſio Gerardi licet adverſarii, qui apud P. Pichler Th. Polem. P. 1. Controv. 3. de Nota Catholiciſmi ſic loquitur: *Non abnuimus, ab ipſis Apoſtolis hanc appellationem* (Catholicam) *eſſe profectam: cum enim ex ore Magiſtri audirent, Eccleſiam in novo Teſtamento non amplius, ut in veteri anguſtis Judææ limitibus fore incluſam, ſed Evangelium prædicandum eſſe per totum mundum, inde Eccleſiam novi Teſtamenti vocarunt* CATHOLICAM, *quia ſcilicet ſine reſpectu, ac diſcrimine locorum, nationum &c. ex omnibus hominum generibus in univerſo orbe colligitur.*

Obſerva 5. Hunc Catholiciſmum eſſe veram, ac ſingularem Eccleſiæ Chriſti notam, vel ex eo liquet, quia ipſa per Catholicitatem ſemper ab omnibus aliis hæreticorum cœtibus, tanquam per indubitatum ſignum ſecreta fuit, prout docent SS. PP. S. Auguſtinus paſſim, præcipue L. contra Epiſt. fundam. c. 4. *Multa*, inquit, *ſunt alia, quæ ejus* (Catholicæ Eccleſiæ) *gremio me juſtiſſime teneant.* —— —— *tenet me poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut, cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Sermone 131. de Tempore n. 242. dicit, ideo Eccleſiam Chriſti in Symbolo vocari *Catholicam, quia toto orbe diffuſa eſt: diverſorum autem hæreticorum Eccleſiæ ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca, atque per ſuas quæque Provincias continentur. Hæc vero a Solis ortu usque ad occaſum unius fidei ſplendore diffunditur.* S. Cyrillum Jeroſolymitanum catecheſi 18. pro nobis loquentem, ſupra in obſervatione ſecunda jam laudavi. S. Pacianus Epiſt. 1. ad Sympronianum Novatianum, quæ Epiſtola de Catholico nomine agit: *Catholicum iſtud*, inquit, *nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum ſonat, nec hæreticos ſumit authores.* —— —— *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus vero cognomen: Illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor.* S. Cyprianus L. de unit. Eccleſ. ait: *Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit,* —— *ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latius expandit.* His præmiſſis ſequitur

120. Aſſertio Unica. Eccleſia Romana eſt Catholica, non vero Societas Proteſtantium.

P. 1ma pars aſſerti. 1. Quia iidem SS. PP. qui declarant, Eccleſiam Chriſti toto terrarum orbe eſſe diffuſam, eandem cum Epiſcopo Romano eſſe communione conjunctam affirmant. Ita Irenæus ſæculo

lo secundo: Tertullianus, S. Cyprianus, S. Optatus, & S. Augustinus quarto sæculo. 2. Revera Societas, quæ Episcopum Romanum agnoscit ut caput suum, in omnes hujus mundi partes se late diffundit. Est in Oriente apud Persas, Indos, Sinenses, Japones, & in omnibus fere Insulis maris, quod has Provincias alluit. In Occidente vero apud utriusque Americæ Incolas, & in tota Europa, in cujus majore parte maximopere floret, quamquam in quibusdam aliis partibus persecutionem sustineat. In Meridie habuit olim clarissimas sedes, & notissimas frequenti Episcoporum numero, & Synodis: & licet nunc a Barbaris occupentur hæ Regiones, numerat tamen & suos in iis fideles, qui hujus antiquæ fidei etiamnum sunt cultores. 3. Illa Societas vere est universalis & Catholica, quæ sola semper sic vocata est, & adhuc ita vocatur; atqui Societas, seu Ecclesia, quæ communionem servat cum Romano Pontifice, semper Catholica vocata est, & adhuc ita vocatur: ergo. M. patet, nec nisi ab insano, qui totum orbem mendacii arguere auderet, negari potest. Minor pariter liquet ex allegatis SS. PP.

P. 2da pars 1. Societas Protestantium in Oriente vix nota est: & ubi cognoscuntur, habentur pro hæreticis partium occidentalium, & orientales partes eorum hæresis vix leviter infecit: Ecclesia vero Catholica ubique est nota, ut ex experimentali notitia constat. 2. Neque in Europa ubique est recepta; eam enim non admisit Hispania, nec Italia, nec Bavaria: in cæteris Germaniæ Provinciis plerisque, uti & in finitimis Septentrionalibus Regionibus multum quidem invaluit, sed in his quoque divisa, & permixta est Catholicis. 3. Ex propria Confessione Lutheri: qui propterea, quod suam Sectam novam viderit non esse *Catholicam*, hanc vocem ex Symbolo Apostolico expungendam nefarie censuit: imo & ex confessione Lutheranorum, qui ideo contendunt, Catholicismum non esse notam veræ Ecclesiæ, quia apud se eum non inveniunt.

Et plane hæc diffusio fidei prodigium maximum est Divinæ Providentiæ, quo fides tam ardua, tantopere repugnans inclinationi naturæ nostræ & mundano spiritui, sine armis, inter tot Imperatorum & Principum, Ethnicorum & Hæreticorum persecutiones ubique est diffusa: ergo hæc diffusio in suis circumstantiis considerata, suppeditat argumentum manifestum a Deo fundatæ & institutæ, per consequens veræ Ecclesiæ. De hac conversione, maxime Gentilium ad Ecclesiam possumus merito exclamare: *Digitus Dei est hic!* ostendant Lutherani, quos converterint gentiles.

§. VII.

Solvuntur Objectiones

121. Objic. 1. Christus Ecclesiam suam vocat *pusillum gregem* Luc. 12. ergo Ecclesia non debet esse diffusa per totum orbem. ℞. 1. N. c. Ecclesia Christi initio, quando hæc verba audiit a Christo, fuit pusillus grex: sed postea crevit in amplissimum populum, & crescere debuit juxta vaticinia Prophetarum & Christi, sicut granum Sinapis crescit in arborem. ℞. 2. Ecclesiam veram etiam hodie posse dici pusillum gregem, si compararetur cum omnibus Sectis, & Religionibus falsis collective sumptis. Superat autem diffusione omnes Sectas hæreticorum seorsim, & distributive acceptas, cum nulla fuerit ubique diffusa per totum orbem, licet forte omnes collective sumptas non superet. Quippe apte ad propositum dixit D. Augustinus L. de Pastor c. 8. *Ecclesiam esse ubique, hæresin ubique: sed Ecclesiam ubique eandem* (id est, eadem dogmata tradentem) *hæresin vero diversissimam*, nimirum aliam in Oriente, aliam in Occidente, aliam in Anglia, aliam in Germania &c.

Objic. 2. Etiam falsis Religionibus convenit diffusio per totum orbem, ac tanta dilatatio, quanta Ecclesiæ Christi, vel adhuc major; nam Ethnicismus, Turcismus, Judaismus post Christum non minus, imo magis per orbem propagati sunt, quam vera Christi Ecclesia: ergo Catholicismus non est nota veræ Ecclesiæ. ℞. N. a. Turcismus minime diffusus est per totum orbem, licet valde sit dilatatus: neque Ethnicismus modo per orbem diffunditur, esto, aliquando plerasque nationes & regna pervaserit: non tamen ubique fuit idem, sed varie in species infimas divisus in doctrina & Idolis colendis, in quibus nunquam conspiravit ubique. Judaismus nec ad rem facit, quia Judæi sunt ubique sine Rege & Regno, vagi & Peregrini, adeoque non attendendi.

Objic. 3. Hæresis Ariana teste D. Hieronymo corrupit totum orbem, ita, ut *mundus miraretur se esse Arianum:* ergo hæc nota convenit etiam falsæ Religioni. ℞. N. a. & conf. Ariana hæresis fere inter solos Orientis limites hæsit, & plerasque Occidentis Regiones non occupavit. Constat certe, tempore Arianorum in Romana Ecclesia fidem Catholicam floruisse: De Antiochia fatetur Claudius: de Alexandria testatur S. Athanasius. Refert etiam S. Augustinus Epist. 93. alias 48. n. 22. iis temporibus fidem Catholicam prædicatam fuisse apud Persas, & Indos: atque licet maximus Arianorum in Catholicos fuerit furor, ubique tamen iis persecutionibus obsistebat fides Catholica.

Erant tunc temporis defensores ejus acerrimi Julius, Athanasius, Paulinus, Hilarius, Eusebius Vercellensis, Basilius, Gregorius Nazianzenus, & multi alii. Defensa, & propugnata fuerat in Conciliis; Nicæno anno 325. in Romano anno 341. in Mediolanensi anno 345. in Sardicensi anno 347. in Jerosolymitano anno 350. Adde, Arianam hæresin, quantumcunque creverit, non prodigiis, non peculiari virtute divina, sed armis & fraudibus fuisse propagatam: secus Religionem Romano Catholicam. 5. Hieronymus loquitur per hyperbolen: quia Patres in Concilio Ariminensi illegitimo partim ex errore Linguæ, partim per fraudem Arianorum subscripserunt fidei regulæ, in qua omissum, erat *Homousios*; & ideo inviti illi & decepti mirati sunt, quod tali modo Arianis aperuerint aditum ad oppugnandam fidem Catholicam de Consubstantialitate Filii, & quod nescientes facti fuerint proditores Nicænæ fidei. In illo Concilio Ariminensi, ait S. Hieronymus, conclamatam fuisse fidei Nicenæ damnationem, non a PP. Ariminensibus, sed Arianis; hi enim post subscriptionem formulæ Valentis gloriabantur, Catholicos suæ doctrinæ consensisse: at non ita erat. Pariter Hieronymus loquitur hyberbolice, dum ait, Arianismum, excepto Athanasio & Paulino, possedisse totum orientem, quia, quamvis in multis Orientis partibus grassabatur, ibique cœpit, & a multis illarum Regionum Episcopis, & Imperatoribus præsidium habuit, tamen a longe pluribus Consubstantialitas Filii cum Patre etiam in Oriente propugnabatur.

Objic. 4. Synagoga fuit vera Ecclesia, nec tamen fuit per totum orbem diffusa: ergo nec Ecclesia Christi sic debet esse diffusa. ℞. N. conf. Synagogæ non fuit promissa ejusmodi diffusio per orbem totum, nec unquam divinitus obtinuit titulum *Catholicæ*, sicut Ecclesia novi Testamenti. Cæterum nec olim Ecclesia universalis fuit populus Israeliticus sub Lege Mosaica constitutus, sed etiam alii extra eam, uti Melchisedech, Job, Ninivitæ &c. extra gentem Judæam fuerunt veri fideles, & salutis compotes, ut nec Adversarii negant. Quapropter Synagoga fuit solum Ecclesia particularis, non universalis omnium gentium, ut est nostra ex voluntate Christi.

Objic. 5. Id, quod Ecclesiæ non convenit perpetuo & semper, illud non est genuina, & propria illius nota: sed diffusio per totum orbem non convenit perpetuo & semper veræ Ecclesiæ: ergo non est ejus nota. m. p. Ecclesia in exordio suo solis Judææ limitibus claudebatur: & in fine mundi tam angustis arctabitur terminis, ut vix ullus fidelium futurus sit, juxta illud Christi Luc. 18. *Filius hominis*

minis veniens, putas, fidem reperiet in terra? ergo. ℞. 1. D.M. quod non convenit perpetuo & femper, hoc eft, per fpatium notabile, & moraliter confiderabile Tr. M. per fpatium breve pauciffimorum annorum, moraliter non confiderabile refpectu tot fæculorum n. M. & fic dift. m. conf. ℞. 2. iterum D.M. quod non femper convenit, id eft, quod nec Ecclefiæ natæ, nec agonizanti, nec adultæ, & in fuo ftatu perfecto conftitutæ convenit, non eft nota ejus c. M. quod Ecclefiæ natæ, nondum in ftatu perfecto conftitutæ, vel jam agonizanti non convenit, n. M. &c. Etiam tempore Apoftolorum, nempe in Symbolo, fuit Ecclefia vocata *Catholica*, & fuit quoque faltem in virtute, licet non actu. Neque tamen potuit, nec debuit primo ftatim quafi memento per totum orbem diffundi, & crefcere, fed fucceffive; ideo enim comparatur grano Sinapis Matth. 13. quod initio parvum, poftea fucceffive in magnam ubertatem excrefcit. Et cœpit adhuc tempore Apoftolorum magna incrementa fumere per omnes fere Regiones mundi tunc cognitas, tefte Paulo Rom. 1. *Fides veftra annunciatur in univerfo mundo.* Neque in fine mundi ad tantam paucitatem perfecutione Antichrifti (quæ non nifi tres annos & dimidium duratura creditur) redigentur fideles, ut non amplius in potiffimis mundi plagis faltem aliqui fuperfint, & veræ Ecclefiæ doctrina ubique in recenti memoria exiftat: adeoque tunc perfeverabit univerfalis & Catholica. Si vero non permaneret hoc modico tempore, nihil obeffet, ut ex prima diftinctione apparet.

Objic. 6. Ad verificandos textus S. Scripturæ fufficit, quod Ecclefia Chrifti fuerit aliquando diffufa per totum orbem, fcilicet tempore Apoftolorum: ergo. ℞. N. a. Nam ifte articulus fidei, qua credimus *Ecclefiam Catholicam* in Symbolo, femper debet effe verus: adeoque non fufficit, Ecclefiam fuiffe femel diffufam per totum orbem cognitum ad breve tempus: fed femper debet effe diffufa omni tempore notabili.

Objic. 7. Si contingeret, ut unica adhuc Provincia retineret veram fidem, vel talis Ecclefia effet Catholica, vel non? fi effet: tunc non requiritur diffufio actualis, fed fufficit illa, quæ fuit primis fæculis vicinis tempori Apoftolorum. Si non effet: tunc Ecclefia vera defineret effe Catholica, & fic non effet verus nonus articulus Symboli Apoftolorum. ℞. 1. N. cafum, quod Ecclefia ante finem mundi poffit arctari una Provincia; femper enim debet crefcere usque ad finem mundi: converfa autem Provincia, & gente ultima veniet confummatio juxta vaticinium Chrifti citatum. ℞. 2. transmiffa poffibilitate cafus, talem Ecclefiam vere adhuc effe Catholicam, fcilicet

ampliativè, quia ſaltem aliquando fuiſſet propagata in univerſo mundo, proinde haberet adhuc prærogativam univerſalitatis, quam nulla Secta hæreticorum habuiſſet unquam, aut eſſet habitura.

Objic. 8. Eccleſia eſt, & vocatur Catholica ideo, quia conſentit cum doctrina Prophetica & Apoſtolica: ſine hoc conſenſu nil prodeſt qualiscunque amplitudo localis: ergo iſta amplitudo non eſt nota Eccleſiæ. ℞. N. a. vera doctrina non patet per ſe in omnibus fidei articulis, clare autem & ſenſibiliter patet prædicatio, & diffuſio hujus prædicationis per orbem.

Objic 9. Eccleſia Romana nunc non eſt in Anglia, Dania, Suecia, Scotia, Hibernia, & aliis plurimis Regionibus: ergo non apparet, quomodo univerſalis ſit habenda. ℞. N. conſ. Eccleſia Romana natales ſuos habuit Jeroſolymis, & inde in totum terrarum orbem propagata recte univerſalis dicitur, præſertim cum vix mundi pars ſit, in qua non annunciet aliquis Romanam fidem. Et quamvis non ubique locorum obtemperetur Sacerdoti Dei, omnibus Romanæ fidei jugo ſe non ſubjicientibus vel ex ſuperbia, vel ob ſeductionem, vel ob ademptam libertatem, Eccleſia tamen Catholica Romana manet ubique diffuſa per ſuos operarios, quos jubente Chriſto in mundum univerſum mittit Evangelicæ veritatis præcones, adeo, ut, ubi non *regnat*, ſaltem aut *toleretur*, aut *perſecutionem patiatur:* qua ratione non raro accidit, ut in ſtatu perſecutionis multo clarior evadat, & appareat. Similia de ſuis cœtibus nequeunt dicere Sectarii. Præterea, licet in Scotia, Dania, Anglia, & aliis regionibus ſint plurimi inimici Romanæ Eccleſiæ, non tamen hi unam profitentur fidem, ſed ſunt varie diviſi in Lutheranam, Calviniſticam, Puritanam &c. omnes clamant Chriſtum, ſed diviſum nimis.

Ad refellenda quædam Hollazii dicteria, quibus prætendit, extra Romanam Eccleſiam Deo naſci ſpirituales filios, & hæredes vitæ æternæ, nota, Eccleſiam Romanam complecti moraliter omnes particulares Eccleſias, vera fide imbutas, quia eſt omnium Mater, ad quam propter potiorem principalitatem, velut ad centrum, omnes convenire debent; *Ex illa enim* (ut loquitur S. Irenæus L. 3. adverſus hæreſes) *veritas præſto eſt, illique totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt.* Hæc ipſa Eccleſia complectitur omnes vere credentes, Sanctos, & electos: ſiquidem non eſt vere credens, ſanctus vel electus, niſi huic Eccleſiæ communione ſociatus, in ea moriatur: *quisquis* (ait S. Hieronymus Epiſt. 57. apud Fleurium) *agnum extra hanc domum manducat, profanus eſt: quisquis in arca Noe non eſt, perit diluvio.*

Objic. 10.

Objic. 10. Ecclesia Romana non est per totum orbem dispersa; quia major pars ex Ecclesiis Christianis non recepit dogmata, & ritus Romanæ Ecclesiæ: imo nec S. Hieronymus, & Ambrosius receperunt; nam ille ad Evagrium de Ecclesia Romana loquens ait: *si auctoritas quæritur, major est orbis, quam urbis.* Iste vero L. 3. de Sacramentis c. 1. scribit: *In omnibus sequi cupio Ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus; ideo, quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus:* ergo. ℞. N. a. Ad hoc, ut dicatur per totum orbem dispersa Ecclesia, non requiritur, ut omnes omnino homines in omnibus Provinciis, vel major pars hominum recipiant ejus fidem: quomodo enim alias Paulus dicere potuisset Rom. 1. *Fides vestra annunciatur in universo mundo.* & Coloss. 1. *fructificat, & crescit in universo mundo,* cum tunc plurimi mortalium in variis Provinciis Christi fidem necdum receperint? sufficit itaque, modo in partibus, & præcipuis mundi Provinciis tunc cognitis annunciata, & propagata sit successive, & moraliter. SS. Hieronymus, & Ambrosius intelligendi veniunt de certis consuetudinibus locorum, & quibusdam particularibus statutis, quæ non debent esse ubique eadem, juxta vulgatum: *si fueris Romæ &c.* non autem debent intelligi de dogmatis fidei, aut morum decretis universalibus. Possunt Romæ particulares quædam consuetudines, vel abusus irrepere, in quibus se reliquæ particulares Ecclesiæ non debent conformare.

Objic. 11. Ecclesia Romana est particularis, sicut v. g. Frisingensis, Augustana, Ratisbonensis &c. ergo non est Catholica, absurdaque est adjectio: Ecclesia Romano-Catholica. ℞. D. a. Ecclesia Romana est particularis, si consideretur, ut est sub Episcopo Romano tanquam peculiari Pastore suo c. a. si consideratur, ut est sub Episcopo Romano tanquam Pastore universali omnium Christianorum, & quatenus sub se continet Ecclesias universas, quibus privilegio singulari prælata est, & quacum omnes fideles ratione Capitis universalis communicare debent n. a. Quatenus Ecclesia Romana est sub Episcopo Romano tanquam particulari suo Pastore, & ipsa Ecclesia particularis est, & pars universalis Ecclesiæ: quatenus est sub Episcopo Romano, tanquam Pastore universali, & ipsa universalis est; quia non est ista sola, sed omnes omnino Ecclesiæ particulares simul sumptæ per totum mundum, cum & omnes Ecclesiæ Episcopo Romano subsint tanquam Pastori universali, hoc solo discrimine, quod reliquæ Ecclesiæ habeant Episcopum particularem. a Romano & universali Pastore distinctum, non autem Romana; fere sicut Imperium Romanum iis temporibus, quibus Imperatores residebant Romæ, poterat

rat dici universale, & valde diffusum, quia cœtera regna suberant Imperatori, & Urbi Romæ, quamquam ipsa Roma non habuerit Dominum particularem, distinctum ab Imperatore, & Domino universali Provinciarum omnium totius Imperii. Hinc non pugnant inter se, sed idem dicunt: *Romano - Catholica*, Römisch - Catholisch. Tantum ideo additur *Romano*, ut indicetur, quænam Ecclesia particularis in se, a Deo sit facta universalis, seu Catholica: sicut modo non pugnant hæc duo: *Austriaco - Cæsarea Domus*, sed indicatur, penes quam domum sit suprema Imperii potestas, & Imperatoria dignitas.

Objic. 12. Nos vocamur *Papistæ*, *Pontificii*, *Romani*, *Romanenses*: ergo non sumus Catholici. ℟. 1. Ita vocamur ab iis, qui nobis invident nomen Catholici, per omnia sæcula a nobis præscriptum: sicut olim ex simili invidia hoc nomen alii hæretici nobis eripere voluere, veros fideles, & Ecclesiæ Romanæ addictos vocitando: *Simplices*, *Cinerarios*, & *Homousianos*. Non ita nominamur ab aliis, neque a Sectariis, quando sine passione loquuntur. Id sane certum est, quod, audito nomine Catholicorum, ab omnibus intelligantur Romanæ Ecclesiæ addicti, & non alii. ℟. 2. Tr. a. N. c. Hæc nomina in antecedente allata, si non detorqueantur in odium, idem sonant, ac Catholicus; Nam *Papista* & *Pontificius*, imo & *Romanus* significant eum, qui subest Papæ Rectori Universalis Ecclesiæ, Pastori œcumenico, seu Catholico, & communicat Pontifici Romano, & Ecclesiæ Romanæ, quæ universalis & Catholica est. Atque pro tali haberi voluit D. Hieronymus Tom. ep. 58. ad Damasum: *Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Et Apol. adversus Ruffinum ad Pammachium, & Marcellinum: *fidem suam, quam vocat? eamne, qua Romana pollet Ecclesia, an illam, quæ in Origenis Voluminibus continetur? si Romanam responderit: ergo Catholici sumus.*

Objic. 13. Lutherus pauper Monachus, & Lutherani brevi tempore ad suam fidem pertraxerunt tot populos, Provincias & Regna, licet potentissimos habuerint Adversarios Papam & Cæsarem: ergo etiam penes ipsos est doctrina efficax, convertens animas &c. ℟. 1. Quamvis Lutherani multos ad se pertraxerint, hi tamen non fuerunt gentiles, quorum conversio singulariter est promissa Ecclesiæ, & sic est nota ejus: attraxerunt enim Lutherani ad se, & perverterunt meros sceleratos, tepidos, ac rudes Christianos. Nec est paritas instituenda inter conversionem gentium ad Catholicam fidem, & perversionem Catholicorum ad Lutheranam perfidiam. Ecclesia convertens gentes proponit ipsis valde difficilia creditu, factu valde

ardua, & inaffueta, ac vitiofæ fenfualitati repugnantia, cujufmodi converfio valde mirabilis eft, ac virtutem fpecialem exigit: e converfo Lutheranifmus Catholicos pervertens, quæ factu funt difficilia, removet, & fenfualitati grata indulget. Nimirum facilis defcenfus averni: fed revocare gradum, fuperasque evadere ad auras, hoc opus, hic labor eft.

§. VIII.

De Nota Apoftolicitatis.

Ecclefiæ veræ illuftre fignum effe, quod fit *Apoftolica*, difcimus ex Symbolo Niceno & Conftantinopolitano, in quo profitemur unam, Sanctam, Catholicam, & Apoftolicam Ecclefiam. Ratio hujus eft, quia tefte Apoftolo Ephef. 2. ℣. 20. vera Ecclefia Chrifti debet effe ædificata *fuper fundamentum Apoftolorum, & Prophetarum, ipfo fummo Angulari lapide Chrifto Jefu.* Apoftolica igitur ea eft Ecclefia, quæ ab Apoftolis originem ducit, eandem cum ipfis doctrinam profitetur, & cujus Paftores legitimam fucceffionem habeant ab Apoftolis non interruptam. Antiquitas proin originis, & doctrinæ, miffio & fucceffio funt veri, & proprii Characteres Apoftolicæ Ecclefiæ.

122. Affero. Ecclefia noftra eft Apoftolica, hoc eft, ab Apoftolis fundata, & continuo hucufque ab Apoftolicis fucceffionibus gubernata, ac Apoftolicæ doctrinæ per omnia confentiens. Ita Catholici contra Proteftantes.

P. Ecclefia Romana Catholica eft fundata ab Apoftolo Petro, ut docent Concilia, & antiquiffimi Patres, & inferius fufe oftendetur. Sane paffim Pontifex Romanus a Conciliis, & Patribus D. Petri Succeffor appellatur. Dein continua ininterrupta ferie Pontificum fuiffe directam Ecclefiam, fatis fuperque patet ex plurimis Scriptoribus, qui recenfent a Petro ad fua ufque tempora Romanos Pontifices: quin imo hoc jam fecit Irenæus, a S. Petro ufque ad Eleutherium, tunc in cathedra Romana fedentem, omnes Epifcopos ac Pontifices Romanos enumerans. S. Optatus L. 2. contra Parmenianum recenfet omnes ufque ad Siricium Papam tunc fedentem, inde oftendens, apud Donatiftas, fucceffione ifta carentes, non effe Ecclefiam veram: *vos*, inquit, *veftræ cathedræ originem oftendite, qui vobis vultis fanctam Ecclefiam vendicare.* S. Irenæus vero L. 3. c. 3. adverfus hærefes fcribit: „Sed quoniam valde longum eft, in hoc tali volu„mine omnium Ecclefiarum enumerare fucceffiones: maximæ & an„tiquiffimæ, & omnibus cognitæ, a gloriofiffimis duobus Apoftolis „Petro

„ Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam
„ habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem,
„ per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indi-
„ cantes, confundimus omnes eos, qui quo quo modo &c. præter-
„ quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter po-
„ tentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire Eccle-
„ siam &c. Hanc ordinatione, & successione ea, quæ ab Apostolis
„ in Ecclesia Traditio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc
„ ostensio, unam & eandem vivificantem fidem esse, quæ in Ecclesia
„ ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate.“
hucusque Irenæus. Eodem ex capite D. Augustinus Epist. 165. o-
mnes Romanos Pontifices usque ad Athanasium tunc sedentem recen-
set, & in Psalmo contra partem Donati urget: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis, cui successit, videte.* Et L. contra Epist. fundamenti c. 4. *Tenet me* (in Ecclesia) *ab ipsa Sede Petri, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* S. Epiphanius Hæresi 27. enumeratis accurate Romanis Pontificibus invicem succedentibus, subdit: *Et ne quis miretur, quod singula ita exacte recensemus, per hæc enim semper claritas ostenditur.* Et si placet numerando pergere usque ad Modernum felicissime regnantem Clementem XIII. videbis, nunquam seriem fuisse interruptam. Consule libros de hac re tractantes, Bellarminum, Baronium, Berninum & alios.

Ab his habuere prædicatores Catholici missionem legitimam ad prædicandum etiam gentibus Verbum Dei: quam missionem necessariam esse ait Apostolus Rom. 10. ℣. 15. *quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* atque hæc legitima Pastorum missio necessaria est, ac vera Ecclesiæ Apostolicæ nota: quia nec in veteri Testamento, nec in novo ullus unquam fuit legitimus Pastor, qui non fuerit a Deo missus. In veteri quidem nulli, nisi qui fuerit ex stirpe Aaron, sacris se immiscere licuit, ac severe punitus fuit, quicunque extraneus thuribulo manum admovit, ut exemplo Regis Oziæ compertum est. In novo quoque Testamento S. Paulus ad Hebræ. 5. ℣. 4. sic pronuntiat: *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Inde est, quod, qui sine missione & vocatione legitima honorem sibi arrogare præsumpserunt, Schismatici habiti sint: sunt nimirum de illis, de quibus Christus Joan. 10. ℣. 1. dicit: *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & Latro.* Eosdem alloquitur Tertullia-

nus de Præscriptionibus c. 37. *Qui estis? quando & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion jure sylvam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transvertis? qua potestate Apelles limites meos commoves? Mea est possessio: olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum sunt res.* 2. Ecclesia debet habere veros Episcopos, quia debet habere Sacerdotes. Sic S. Hieronymus Dialog. adversus Luciferianos ait: *Ecclesia non est, quæ Sacerdotes non habet*: sed Sacerdotes debent ab Episcopis ordinari, hi ab aliis Episcopis, & sic ascendendo usque ad Apostolos, a quibus primi Episcopi & Sacerdotes ordinati fuere, sicut & ipsi Apostoli a Christo suam accepere potestatem: adeoque ipsa successio Pastorum Ecclesiam demonstrat Apostolicam, & antiquissimam.

Jam vero Protestantes suam Societatem ab Apostolis descendere, ex simili Pastorum successione ostendere nequeunt: id, quod docent Historiæ, ex quibus evidenter constat, Lutherum & Calvinum nòn fuisse Episcopos, & Pastores Protestantes non posse ulterius regredi, quam usque ad Lutherum & Calvinum, Patriarchas suos, qui tamen nec habuerunt, nec dare potuerunt potestatem Ordinis Episcopalis, utpote non Episcopi, atque adeo non habentes potestatem ordinandi alios, nec potestatem *Jurisdictionis*, vi cujus possent administrare Sacramenta, prædicare Verbum Divinum &c. utpote excommunicati, & omni Jurisdictione, quam prius acceperunt a Catholicis Episcopis, per excommunicationem privati: ergo in Luthero & Calvino fuit abrupta successio Episcoporum ab Apostolis derivata: ergo apud Lutheranos (idem est de Calvinistis) hæc successio non datur; ad hoc enim requiritur, ut aliquis fiat Episcopus, & potestatem ordinandi alios obtineat vel ab Apostolo, vel ab Apostoli successore, habente parem cum Apostolo potestatem. Quod autem nullus possit ordinare alios, nisi sit Episcopus, patet manifeste ex perpetua praxi, ac sensu communi totius Ecclesiæ, etiam Primitivæ, & ex S. Scriptura rite intellecta, ac exposita ab Ecclesia, ut exactius comprobabitur agendo de Sacramento ordinis Tomo 5to

Accedit propria confessio Adversariorum: quippe Gerardus in LL. Theol. Tit. de Ecclesia c. 11. Sect. 5. sæpius dicit, nihil curandam successionem continuam Personarum ab Apostolis, sibi sufficere successionem doctrinæ, quod & alii repetunt. Verum modo

Probatur, Ecclesiam Christi habere doctrinam antiquissimam, continua successione a Christo, & Apostolis derivatam: non item Societatem Protestantium. Primum membrum facile liquet; etenim fidei

fidei noſtræ capita omnia conveniunt cum iis, quæ primis quinque ſæculis vetus, & Apoſtolica Eccleſia propugnavit: ut facile oſtendemus per totum decurſum Theologiæ, in quo de ſingulis fidei noſtræ capitibus diſputabimus cum Adverſariis. Itaque in Eccleſia Romana, eaque ſola, eſt perpetua ejuſdem doctrinæ ſucceſſio: neque ullum articulum, quem Eccleſia noſtra uſque ad hæc tempora mutaſſet, vel alteraſſet, Acatholici demonſtrare poſſunt: firma inſiſtit, & conſentit Eccleſia moderna cum primitiva & vetere: nam nihil omnino antiquitati contrarium tradimus, quin potius fidei noſtræ articulos ex SS. PP. & Conciliis antiquioribus probamus, ut ex decurſu totius Theologiæ palam eſt.

Contra conſtat, Novatores in multis punctis tradere doctrinam contrariam doctrinæ, quæ ſemper in Eccleſia fuit, etiam illis temporibus, quibus fatentur, Eccleſiam Romanam nondum fuiſſe in fide adulteram, adeoque adhuc veram Chriſti Eccleſiam, puta primis quatuor ſæculis: imo docere puncta, quæ ab Eccleſia iſtorum primorum temporum fuerunt reprobata ut hæreſes. Etenim cum Simone Mago, & primis hæreticis tenent Lutherani & Calviniſtæ, hominem juſtificari ſola fide ſine bonis operibus: preces & Sacrificia pro defunctis execrantur cum Hæreſiarcha Aërio, cum quo etiam Epiſcopum a Presbytero non diſtinguunt poteſtate: ſtatuta certis diebus jejunia rident, eaque libera eſſe volunt cum eodem Aërio (alii ſcribunt etiam Aëtio) & Euſtachio: delectum & abſtinentiam quorumdam ciborum inutilem cenſent cum Joviniano: nuptias Virginum Deo dicatarum defendunt, & ſuadent, earumque continentiam non eſſe præ caſtis conjugiis majoris meriti, judicant cum eodem Joviniano: Monachorum nomen & inſtitutum rident, & deteſtantur cum Donatiſtis: Invocationem Sanctorum, cultum eorundem, & ſacrarum Reliquiarum abominantur, ac Idololatriæ nos arguunt, ſequentes Julianum Apoſtatam, Eunomium, & Vigilantium: Unctionem S. Chriſmatis contemnunt cum Novatianis: filios fidelium naſci ſanctos, aſſerunt, ſuſcitantes ex parte hæreſin Pelagianorum: liberum arbitrium tollunt cum Manichæis, quibus impietate præſtat Calvinus, & alii Novatores, quod illi peccatum Deo malo, hi etiam Deo bono, & optimo tanquam authori tribuere non vereantur: cui ne quid malitiæ deſit, inauditam hactenus blaſphemiam ſupperaddit Calvinus, dum Chriſto pendenti e cruce pœnas damnatorum, ac deſperationem tribuit. Hæc, ut plura prætaream, quid ſunt, niſi colluvies fœdiſſima diverſorum errorum, qui jam dudum ab Eccleſia, etiam primitiva, fuere damnati, antequam Proteſtantes ſunt nati? Ex quibus omnibus

omnibus recte concluditur, successionem doctrinæ veræ nequaquam in Protestantium Societate, recte autem in nostra Ecclesia inveniri, & continuari.

§. IX.

Diluuntur Objectiones contra paragraphum priorem.

123. Objic. 1. Antiquitas argumentum est rei deficientis, & ad interitum vergentis: ergo illa non est nota veræ Ecclesiæ. ℞. ad hoc puerile argumentum, antecedens locum habere in rebus naturalibus, & hominum arte vel industria constitutis, quæ sorti rerum humanarum obnoxiæ sunt: at in Ecclesia a Deo constituta, & a Spiritu S. semper directa, quæ habet perpetuæ durationis a Christo promissiones, ista non sunt metuenda.

Objic. 2. Successio Personarum nulla est, ubi non est successio doctrinæ Apostolicæ: ergo ista successio non est nota Ecclesiæ veræ. ℞. 1. N. a. Successio Personarum, & Episcoporum continua ab ipsis Apostolis signum etiam est successionis doctrinæ Apostolicæ, & quidem valde æstimabile, nisi evidenter demonstretur defectio a doctrina Apostolica. ℞. 2. Ex Bellarmino de Notis Ecclesiæ L. 4. c. 8. argumentum a successione legitima apud nos præcipue esse negativum, & adduci, ut probetur, ibi veram Ecclesiam non esse, ubi non est hæc successio: ergo cum apud Protestantes non sit, etiam apud eos Ecclesia non est. Unde ℞. 3. D. conf. ergo non est vera nota positiva tr. c. negativa, evidenter contra Protestantes probans n. c. Ut vero hæc nota etiam positive probet, Ecclesiam esse veram, ubi continuata ab Apostolis successio Pastorum &c. reperitur, necesse est, ut aliis adminiculis adjuvetur.

Objic. 3. Potest in aliqua Secta falsa conservari successio Personarum, v. g. apud Græcos Schismaticos: ergo hæc successio non est nota. ℞. Ut antea D. conf. non est nota positiva, nisi aliunde suffulciatur, maxime etiam per successionem doctrinæ; hæc enim utraque simul sumpta a nobis pro nota assumitur tr. conf. non est nota negativa n. c.

Objic. 4. Deus in gubernanda Ecclesia non semper utitur successione Præsulum ordinaria, sed subinde extraordinaria: seu non vocat semper Ministros mediate, scilicet mediante homine, cui olim potestatem commiserat, sed etiam immediate per se. Taliter in veteri Testamento extraordinarie misit, & immediate per se vocavit Prophetas, ut suæ Ecclesiæ collapsæ prospicerent. Similiter fecit in novo Testamento excitans Lutherum velut Eliam, aut Joannem Baptistam,

Baptistam, ut repararet Ecclesiam. ℞. Deus utique potest aliquos viros egregios vocare vocatione extraordinaria, & immediate per se, & subinde solitus est: sed simul observat hæc duo. Primo, ejusmodi viros talibus signis, & suæ extraordinariæ missionis characteribus exornat, nimirum vel dono miraculorum, vel singularissima vitæ sanctimonia, vel utraque hac dote simul, ut nemo prudens ambigere queat, eos esse peculiariter a Deo missos. Nihil tale reperitur in Luthero, & Calvino, sed contraria omnia. Secundo Deus non mittit, ut aliter doceant, quam ii, qui sedent supra cathedram Moysis & Petri, nec ut Ecclesiæ universæ doctrinam mutent, sed ut eandem majore fructu prædicent, ac maxime, ut perversos mores corrigant, vitia extirpent, virtutes implantent. In Prophetis antiqui Testamenti fuit insuper hæc ratio mittendi, ut mundo prænunciarent venturum Messiam, & alia ad regnum Christi spectantia. Præterea omnibus stomachum movent, dum Lutherum, hominem spurcissimum, & sceleratissimum, nulla Prophetici Spiritus dote clarum comparant cum Elia, cum Joanne Baptista, utpote vita & moribus dissimillimum.

Objic. 5. Quamvis Societas v. g. Lutherana non possit ostendere successionem suorum Præsulum usque ad ætatem Apostolorum, tamen est, & potest dici Apostolica: ergo. a. p. Ecclesia jam tempore Apostolorum dicebatur, & erat Apostolica, licet tunc nulla dabatur successio Præsulum: ergo hæc non est necessaria ad notam Ecclesiæ Apostolicæ. ℞. N. a. ad Prob. D. a. Licet tunc nulla dabatur successio radicaliter, & in actu primo, ut in Scholis solent loqui, vel in radice n. a. in actu secundo, & in effectu c. a. Quamvis tunc Ecclesia successionem non habuerit Præsulum re ipsa, eam tamen habuit in radice, hoc est, jam tunc exigebat Ecclesia continuam per secutura tempora successionem Præsulum propter promissionem Christi sibi factam. Illo tempore absque successione actuali satis constabat, Pastores Ecclesiæ suam potestatem accepisse a Christo: nunc autem sine tali actuali successione ostendi non posset, quomodo Pastorum modernorum potestas derivetur a Christo.

Objic. 6. Successio Pontificum Romanorum fuit sæpius interrupta, tum per illicitam, & Simoniacam occupationem Sedis Romanæ, tum per Antipapatum tempore Schismatum, tum per hæresin & Apostasiam aliquorum Pontificum: ergo. ℞. Negando, in his casibus unquam moraliter esse interruptam successionem Pontificum: physica autem interruptio per breve tempus nihil obest. Sicut solii Imperatorii vacatio, quæ necessario propter mortem humanam sæ-

pius accidere debet, nihil officit fucceffioni Imperatorum. Nam in primo cafu intrufionis illegitimæ, cenfetur Sedes Romana ad tempus vacare, nifi ab initio intrufus, poftea ab Ecclefia acceptaretur; fiquidem acceptatio Ecclefiæ fubfequens effet nova quafi electio, omnes defectus humani juris fupplens, & fanans, ut inferius dicetur. In fecundo cafu vel unus eft verus Papa, tanquam a majore parte Ecclefiæ acceptatus, vel fi nullus fit propter defectum fufficientis acceptationis, cenfetur vacare Sedes Pontificia. Quanto autem tempore vacare poffit, determinari non poteft, uti fæpius contingit in aliis rebus moralibus. Tertius cafus a Bellarmino & aliis negatur poffibilis: fi tamen contingeret, & Papa ut homo privatus incideret in hærefin notoriam, defineret effe Papa, & vacare inciperet fedes Romana.

Objic. 7. Magnum illud Schifma in Concilio Conftantienfi finitum, & circa annum Chrifti 1380. cœptum, in quo fe tres gerebant pro Romano Pontifice, duravit circiter 40. annis: ergo fi tempore Schifmatis cenfetur vacare, vacavit etiam moraliter valde notabili tempore, per confequens facta eft interruptio moralis. ℞. In funefto illo Schifmate femper fuit unus verus Pontifex, licet non omnibus fufficienter cognitus: cæteri autem fuere putatitii tantum, & Antipapæ: & fic non fuit interrupta fucceffio moraliter; non enim credibile effe exiftimo, Chriftum tanto tempore relinquere Ecclefiam legitimo capite deftitutam. Adde, in hoc diuturno Schifmate fatis etiam emicuiffe *Veros* Pontifices, qui nempe fuccedebant Urbano VI. Dein quamvis ex hujusmodi Schifmate ingens incommodum patiatur Ecclefia, nullum tamen damnum patitur irreparabile, quia Pontificum dubiorum acta ceffante Schifmate vel infirmantur, cum non fit obligatio fequendi Pontificem folum *probabilem*, vel confirmantur a Papa futuro *certo*, & *indubitato*, prout etiam factum eft finito hoc Schifmate a Martino V.

Objic. 8. Succeffio Pontificum eft valde dubia; nam ftatim de primo fucceffore Petri dubitatur, fueritne Clemens, an Linus: ergo ex illa nil probatur ℞. N. a. Ejus ratio nihil probat: quia parum refert, an inter D. Petrum, & Clementem alius intercefferit Pontifex, modo femper unus fucceflerit alteri; Lis enim inter Authores non eft, an D. Petro fucceffrit immediate aliquis in fupremo regimine, fed utrum immediate fucceffrit Clemens, vel ante Clementem Linus, & Cletus? quidquid dicatur, fucceffio manfit integra, nec eft interrupta.

Objic. 9.

Objic. 9. Aliqui Pontifices fuere valde ſcelerati: ergo per hos non fuit propagata ſucceſſio. ℞. N. conſ. Sit, quod pauciſſimi quidam reſpectu tanti numeri fuerint mali Pontifices, quorum tamen peſſimus melior exſtitit Luthero: quid hoc ad rem? Nonne & inter Progenitores Chriſti enumerantur homines ſcelerati? propterea tamen Linea ſtirpis Davidicæ non fuit interrupta. Mala vita Pontificis non debet præjudicare ejus poteſtati, Jurisdictioni, & infallibilitati: ſicut valor Sacramentorum non eſt alligatus probitati Miniſtrorum, ne alias male conſultum foret fidelibus, & Eccleſiæ.

Objic. 10. Eccleſia Romana non habuit ſucceſſionem Ceremoniarum earundem v. g. in Baptiſmo, in quo olim non adhibebantur Exorciſmi, uti nunc: ſicut & aliæ ceremoniæ fuerunt in uſu in Miſſa: ergo. ℞. T. A. N. conſ. Quid ſucceſſio rituum ſpectat ad ſucceſſionem Epiſcoporum? Dein quomodo conſtat Adverſariis, olim etiam ab Apoſtolis non fuiſſe adhibitos exorciſmos? unde conſtat ipſis, quod Apoſtoli in collatione Baptiſmi recitaverint orationem Dominicam; vel alias illas ceremonias uſurpaverint, quibus hodie utuntur Lutherani? Nunquid & ipſa Confeſſio Auguſtana fatetur ſatis Art. 21. ritus & ceremonias poſſe eſſe varias, *neque*, ait, *canones* (en! cenſet, ritus pleroſque pendere a Jure Pontificio, & Canonibus, quando ſcilicet Chriſtus nihil determinavit) *eſſe tam duros, ut ubique eoſdem eſſe ritus velint?*

Objic. 11. Imperatores Ethnici olim, & nunc Turcici non carent ſucceſſione: ergo ſucceſſio Perſonarum nil juvat Eccleſiam Romanam, nec eſt ejus nota propria. ℞. N. conſ. Non enim ſucceſſio qualiscunque reperitur in Eccleſia Romana: ſed talis, quæ promiſſa eſt a Chriſto, volente ſuam Eccleſiam regi ab Epiſcopis, & uno capite uſque ad finem mundi, quæ conſervata eſt mirabiliter inter tot hoſtium & Inferni machinationes. Et iſta ſucceſſio eſt propria veræ Eccleſiæ, & quæ illam non habet, vera non eſt: eſt autem vera, quæ illam habet, ſaltem cum aliis Notis.

Objic. 12. Neque Catholici poſſunt oſtendere, ea omnia fuiſſe a fidelibus credita ante 1400. vel adhuc plures annos, quæ modo creduntur ab ipſis: ergo neque ipſi habent continuam ſucceſſionem in doctrina. ℞. Catholici tamdiu manent in poſſeſſione pacifica, & quieta præſcriptione fidei, quamdiu ab Adverſariis nobis non fuerit oſtenſa manifeſte defectio aliqua, error, vel apoſtaſia. 124.

Objic. 13. Quamvis nominari nequeat author, tempus &c. novi dogmatis, tamen potuit ſucceſſive irrepere error, & dormientibus Paſtoribus ab inimico ſuperſeminari Zizania: ergo. ℞. Licet

errores irrepsissent successive in Ecclesiam Romanam, deberet tamen nominari posse iste error, falsum dogma, imo & author & tempus, cum errores totius Ecclesiæ circa res fidei non possint latenter, & nemine advertente, propter gravitatem rei introduci. Sic licet Lutherus successive suos errores, & falsa dogmata sparserit, incipiendo ab indulgentiis &c. tamen sciuntur errores, author, locus & tempus.

Objic. 14. Ecclesia Romana moderna in multis adversatur doctrinæ Apostolicæ. v. g. in doctrina de transsubstantiatione, Missa, Cœna Domini, purgatorio, invocatione Sanctorum &c. ergo non amplius habet doctrinam Apostolicam. ℞. N. a. quod est mera calumnia falsissima Protestantium, ut in suis locis propriis docebitur.

Objic. 15. Pontifices & Concilia invenerunt multas novitates, de quibus nihil sciebant veteres: ergo non amplius habemus fidem antiquam. ℞. D. a. invenerunt novitates in dogmatis fidei n. a. in ritibus c. a. vel D. aliter: invenerunt novitates, declarando & explicite definiendo ea, quæ prius tantum implicite continebantur in Verbo Dei scripto, vel tradito c. a. contraria dogmata statuendo, vel priora abolendo n. a. Multa quidem successu temporis ab Ecclesia Romana fuere explicite definita, ac pro articulis fidei declarata, & proposita, quæ prius tantum credebantur implicite, in Scripturis & Traditionibus non clare expressa: nunquam tamen aliquid definitum est contra Scripturam, Traditionem, & doctrinam Apostolicam. Illud prius non tollit identitatem, & antiquitatem fidei; cum eosdem articulos semper crediderint fideles, licet non semper omnes explicite, utpote nondum explicite propositos: antiqui tamen semper debebant esse parati, credere id, quod ab Ecclesia fuerit explicite ad credendum propositum, vel definitum. Deinde potest fieri mutatio circa ritus & leges pro varietate circumstantiarum sine detrimento fidei. Denique multa finguntur ab hæreticis, v. g. quod iste, vel ille Pontifex instituerit Confessionis Sacramentum, Sacrificium Missæ, purgatorium &c. cum tamen solum aliquam circumstantiam, aut ritum extrinsecum addiderint, vel mysterium aut dogma magis declaraverint.

Huc usque de Notis Ecclesiæ scripta liceat claudere verbis nostri Illustrissimi P. Guilielmi Herincx Episcopi Iprensis, qui P. 3. Theol. Disp. 5. sic Zelo salutis humanæ accensus loquitur: "adjuro „itaque te, quisquis gloriari vis Christiano nomine, & fluctibus va„riarum dubitationum agitaris, vel a castris Catholicæ unitatis exu„las, ut sepositis affectibus, humilique ad Deum oratione effusa iden-

„tidem

„tidem confideres, & rumines figna veræ Ecclesiæ: Spondeo fideli-„ter, clamabis, & dices cum Augustino L. cont. Epist. fundam. c. 4. „*Multa sunt, quæ in ejus* (Ecclesiæ) *gremio me justissime teneant. Tenet* „*consensus populorum, atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, spe* „*nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Aposto-*„*li —— usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremo* „*ipsum Catholicæ nomen.*„ Hæc apud laudatum Herincx, & plura alia utiliter legere potes.

ARTICULUS VI.

De Membris Ecclesiæ.

Nota: Ecclesiam esse corpus vivum, anima & corpore constans, cujus anima sunt dona Spiritus S. Fides, Spes, Charitas &c. corpus vero externa fidei professio Christianæ, & eorundem Sacramentorum communio sub legitimis Ecclesiæ Pastoribus, præcipue autem Romano Pontifice. Modo quæritur: quinam proprie hujus corporis membra esse censeantur? ad hoc quæsitum Respondeo, &

Assero. Ad membrum Ecclesiæ militantis non requiritur, ut quis sit justus, aut prædestinatus. Ita Catholici contra Novatianos & Donatistas, Hussitas, Wicleffistas, Lutheranos & Calvinistas. Hic etiam error erat Pelagianorum, qui etiam imperfectos, id est, levibus peccatis obnoxios ab Ecclesia excludebant. 125.

P. 1. Ex Propositionibus Joannis Huss a Martino V. in Concilio Constantiensi confixis in Bulla: *Inter cunctas*, quæ habetur in fine Concilii, prima sic habet: *unica est sancta, universalis Ecclesia, quæ est Prædestinatorum universitas —— universalis sancta Ecclesia tantum est una, sicut tantum unus est numerus prædestinatorum.* Tertia sic sonat: *præsciti non sunt partes Ecclesiæ; cum nulla ejus pars finaliter excidat ab ea: eoquod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet.* Ergo etiam præsciti, seu reprobi possunt esse membra Ecclesiæ.

P. 2. Ex pluribus parabolis S. Scripturæ, in quibus Ecclesia variis rebus comparatur: Matth. 3. ℣. 12. Areæ, in qua est palea & triticum. Matth. 13. ℣. 47. Sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium, bonorum & malorum congreganti. Matth. 22. ℣. 2. Convivio nuptiali, in quo non omnes habent vestem nuptialem. Matth. 25. ℣. 1. decem virginibus, quarum quinque fatuæ, & quinque prudentes. 2. Timoth. 2. ℣. 20. vasis aureis & ligneis &c. *in magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia.* Idem SS. PP.

 colli-

colligunt ex illo Matth. 18. ℣. 17. ubi dicitur, peccantem debere denunciari Ecclesiæ, & si hanc non audierit, esse vitandum tanquam Ethnicum, hoc est, ejiciendum extra Ecclesiam: ergo etiam dum peccavit, fuit adhuc intra Ecclesiam.

Confirm. 1. Hæ parabolæ, quibus Christus suam descripsit Ecclesiam, eo in sensu debent accipi, in quo eas acceperat prima Ecclesia, expers omnis erroris juxta propriam adversariorum confessionem: sed prima Ecclesia eas acceperat in nostro sensu: ergo. m. p. S. Hieronymus in caput 1. ad Ephes. in tomo 6. scribit: *Sunt quippe plures fideles, sed non in Christo Jesu; quomodo enim caput plurima sibi habet membra subjecta, e quibus sunt non nulla vitiosa, & debilia, ita & Dominus noster Jesus Christus, cum sit caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes, qui in Ecclesia congregantur, tam sanctos videlicet, quam peccatores, sed sanctos voluntate, peccatores vero necessitate subjectos.* Iterum: *Arca Noë Ecclesiæ typus fuit, —— ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac universarum gentium, & morum homines sunt, —— justi, & peccatores, id est, vasa aurea & argentea.* S. Augustinus Tract. 6. in Joan. circa medium ait: *Nos fatemur, in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas.* Item in Breviculo collationis cum Donatist. collat. 3. diei c. 8. & 9. *Donatistæ multis ostendere tentaverunt, quod Ecclesia Dei non cum malorum hominum commixtione futura prædicta sit. Tamen postea, cum ad Evangelicam similitudinem venissent, quam Catholici in mandato suo posuerunt, de retibus in mare missis, quibus congregari dixit Dominus omnia genera piscium, & bonos a malis in litore, hoc est, in fine sæculi separari: etiam ipsi fassi sunt, in Ecclesia esse permixtos saltem occultos malos.* Et paulo inferius: *Ipse Cyprianus sic intellexit, sic scripsit, quemadmodum ea Catholici in suo mandato posuerant: quod & Deus Judam ad exemplum malorum in Ecclesia tolerandorum pertulerit, & Paulus eos, qui Christum per invidiam annunciabant, non extra, sed intra Ecclesiam sustinuerit.* Ergo ex Patribus primæ Ecclesiæ (quorum plures nolo referre) constat, parabolas illas in sensu nostræ conclusionis esse intelligendas.

Confirm. 2. Si soli prædestinati essent membra Ecclesiæ, sequeretur, quod, qui semel est membrum Ecclesiæ, nunquam esse desineret: quia Decretum Dei prædestinativum est ab æterno, & in æternum: & qui semel non esset membrum, nunquam futurus esset tale. Quod est contra Scripturam ad Ephes. 2. ℣. 13. dicentem: *Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in Sanguine Christi.* Dein eratne D. Paulus jam membrum Ecclesiæ, quando hanc totis viribus persequebatur? affirmat quidem hoc Joannes Huss in 2da propositione, quæ sic sonat: *Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licet fecerit quosdam actus*

actibus

actibus Ecclesiæ malignantium consimiles. Verum hæc propositio in Concilio Constantiensi est proscripta, & est ex se incredibilis: factus est autem membrum Ecclesiæ Paulus postea conversus, & baptizatus.

Confirm. 3. Ecclesia debet esse visibilis, & conspicua congregatio, ut cognosci valeat, ubi resideat, ut possit quis ad eam accedere, & eam invenire, ut jam alibi est dictum: sed si constaret cœtu justorum tantum, & prædestinatorum, non esset congregatio visibilis, & conspicua: ergo. Minor de se constat; quia nemo novit, quisnam vere justus, vel prædestinatus sit. Et quamvis nec peccatores, & reprobi, quos pariter, præsertim occultos, nemo certo cognoscere potest, Ecclesiam de se reddant visibilem, cœtus tamen omnium, tam justorum, quam peccatorum simul sumptorum eatenus evadit visibilis, quatenus omnes ejusdem fidei Christianæ professionis sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius in terris Vicarii Christi Romani Pontificis adversus mundum, carnem & Sathanam aut pugnant, aut saltem tenentur, & se profitentur teneri pugnare.

Respondetur Objectionibus.

Objic. 1. Ecclesia est *hortus conclusus*, *fons signatus* Cant. 4. ℣. 12. qui juxta D. Augustinum continet in se tantum electos: ergo. ℟. D. a. est hortus conclusus, quia est exclusa hæresis c. a. secus n. a. Vel si de electis solum intelligit S. Augustinus, tunc denominationem accipit ab aliquibus, nempe nobilioribus membris Ecclesiæ, non vero ab omnibus. Dicitur ergo Ecclesia *hortus conclusus*, quia ab aliquibus membris est exclusum omne malum, non vero ab omnibus. Ipse S. Augustinus Epist. 59. post medium ait, esse morem Scripturarum, de toto dicere, quod parti convenit, verba ejus hæc sunt: *Scripturæ mos est, ita loqui de parte, tanquam de toto: sicut Paulus Corinthios in primis Epistolæ suæ partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis Epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant. Istam Divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrime sparsam quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur contraria.* Idem responde ad alios ejusmodi textus, ut illud Cant. 2. ℣. 2. *Sicut Lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, ubi per Lilium anima perfecta, per spinas animæ peccatrices intelliguntur. Neque omnia, quæ in Canticis dicuntur, debent exponi de Ecclesia, sed etiam, ut notat Bellarminus, de anima perfecta, de B. Virgine &c.

126.

Objic. 2.

Objic. 2. Ecclesia etiam comparatur arcæ Noë, in qua sunt omnes & soli salvati e diluvio: ergo & in Ecclesia sunt soli prædestinati, seu salvandi. ℞. D. a. comparatur arcæ secundum omnia n. a. secundum aliqua c. a. Typus, & figura hæc saltem in aliquo salvari petit: salvatur autem in eo, quod, sicut ab aquis diluvii nemo ereptus fuit, nisi in arca existens, ita nec ullus hominum salvandus sit, nisi qui in veram Ecclesiam vel re, vel voto se receperit. Ita S. Augustinus L. de Baptis. c. ult. & S. Cyprianus L. de unit. Eccles. Insuper hæc responsio fundatur in S. Scriptura, comparante etiam Baptismum Arcæ Noë, quin inde sequatur, quemlibet baptizatum esse prædestinatum, & nullum ex baptizatis fore damnandum. Interim si vis paritatem omnimodam facere, ecce! in arca fuere animalia munda, & immunda quoque: illa justos, hæc malos significant.

Objic. 3. Ecclesia Christi est congregatio Sanctorum, Virgo pura, & Sponsa Christi, Mater filiorum Dei, atque regnum Dei: ergo ad eam non spectant homines sanctitatis expertes. ℞. D. a. Ecclesia Christi est congregatio Sanctorum, ita tamen, ut etiam comprehendat peccatores, & reprobos c. a. ut hos excludat n. a. Reprobos quoque, & malos inter membra Ecclesiæ numerari, tam parabolæ, quam alia in probationibus Assertionis dicta ostendunt. Hoc tamen non obstante, Ecclesia manet semper Virgo pura, & Sponsa Christi, Mater filiorum Dei, atque Regnum Dei: Virgo pura, propter doctrinæ summam puritatem, cui similem in nulla secta invenias; quæcunque enim docet, sunt *Lex immaculata, convertens animas, sapientiam præstans parvulis, præceptum Domini &c.* Sponsa Christi, & Mater filiorum Dei, propter efficaciam doctrinæ, qua innumeros Christo generat filios in vitam æternam: Regnum Dei, propter gratiæ abundantiam, qua Deus dominatur in iis, qui per baptismum renascuntur, & per pœnitentiam, aliarumque virtutum insignes actus reconciliati eidem famulantur, veluti Regi Regum, Domino dominantium. Atque hi, cum constituant præstantiorem membrorum partem, denominant Ecclesiam Christi quoque Sanctam, totam pulchram, quamquam sanctitas Ecclesiæ substantialis a Capite ejus, & doctrina præcipue sit desumenda. Præterea peccatores ac reprobi in Ecclesia se habent veluti milites ignavi in exercitu alias glorioso, aut pauperes in regno alias opulento se habent; nempe sunt illi de exercitu, isti de regno, quin exercitus ab illis notam ignaviæ, aut regnum ab istis labem inopiæ contrahat. Cæterum etsi peccatores non habeant Spiritum Christi, quantum ad charitatem, habent tamen eundem eatenus, quatenus profiteantur Ejus doctrinam fidei, secundum charitatem ve-

ro sunt mortui & aridi, vitam autem fidei adhuc viventes. Hæreti ci, qui similia objiciunt, neutram vitam habent, nec charitatis, nec fidei, proinde deteriores sunt quovis peccatore fideli etiam gravissimo, cum hic saltem vitam fidei vivat.

Objic. 4. Christus est caput illius Ecclesiæ, quam salvat: sed salvat solum prædestinatos: ergo hi soli sunt Ecclesia. ℞. D. M. Christus est caput Ecclesiæ, quam Salvat, quantum est in se, & secundum passionem suam, & satisfactionem sufficientissimam c. M. quam salvat absolute subd. inadæquate sumptam c. M. adæquate acceptam. n. M. &c. Etiam hæc denominatio *salvatæ* potest convenire Ecclesiæ, licet non conveniat omnibus partibus.

Objic. 5. Membra debent esse similia capiti: sed reprobi non sunt similes Christo: ergo. ℞. D. M. Membra debent esse similia capiti aliquo modo c. M. omni modo n. M. &c. Nec in physico corpore manus aut pes est omnino similis capiti, nec in morali e. g. Republica vel regno subditi sunt secundum dignitatem, vel alia moralia prædicata similes capiti, seu Principi. Sufficit ergo similitudo aliqua, talis autem multa est inter Christum, & peccatores: est enim similitudo inter ipsos secundum humanam naturam, secundum quam Christus dicitur nobis similis factus: item est similitudo per Baptismum. Nec dicas: totum corpus Christi physicum esse salvum: ergo & totum corpus Ejus mysticum debet esse salvum. Alias sicut totum corpus Christi physicum est unitum Divinitati, sic & corpus mysticum Ejus deberet esse unitum, quod est falsum: unde similitudo non debet esse in omnibus.

Objic. 6. In Sacro Codice Ecclesia describitur ut *corpus spirituale*, quod totum dependet a Christo tanquam capite per influxum, ut sic membra incrementum capiant corpori conveniens, idque per charitatem: ergo membra Ecclesiæ debent vivere ex gratia spirituali, & charitate Christi. ℞. N. conf. Ratio negandi colligitur ex ipsa allegoria, qua nititur objectio. Ecclesia similis est corpori: in corpore vero diversa sunt membra, omnia veræ partes corporis, non autem eadem perfectione, nec eadem vita gaudentia. Sic cor & cerebrum habent vitam perfectiorem, quam caro: hæc perfectiorem, quam capilli, dentes & ungues. Ita similiter in Ecclesia corpore spirituali, qui charitatis abundantiam possident, sunt veluti membra nobiliora, perfectiore vita prædita: qui autem abundantiam charitatis non habent, gaudent tamen gratia sanctificante, sunt membra minus nobilia prioribus: qui autem nec gratia justificante pollent, habent nihilominus veram fidem, sunt membra imperfectiora cæteris, & quia adhuc

recipiunt alimenta doctrinæ Christi, censentur vivere vitam fidei, & vera adhuc esse membra Ecclesiæ, quæ ipsis alimenta veræ doctrinæ ministrat, & panem fidei frangit.

Objic. 7. Peccatores sunt membra Scorti, nec manent in vite: ergo nec possunt esse, aut manere membra veræ Ecclesiæ, sed sunt potius Diaboli, a quo reguntur. ℞. D. a. sunt membra Scorti, nec manent in vite, quantum ad vinculum charitatis c. a. quantum ad vinculum fidei n. a. Licet peccatores rumpendo vinculum charitatis se præbeant ramos charitate aridos, penitus tamen non sunt abscissi a vite, quia per vinculum rectæ fidei eidem adhuc sunt insiti, & connexi. Nec obest, quod per peccatum efficiantur veluti membra diaboli: etenim in *ratione morum* non est impossibile, ut sis primogenitus Diaboli, ratione vero fidei, fidelis Christi, quemadmodum non implicat, ut sis duarum communitatum membrum.

Objic. 8. Ecclesia est unum ovile, in se complectens oves Christi: sed oves Christi sunt tantum prædestinati: ergo. m. p. Joan. 10. ℣. 27 & 28. dicit Christus: *oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea:* sed hæc tantum verificantur de prædestinatis: ergo. ℞. 1. Ovile Christi complectitur etiam hædos; hi enim Matth. 25. ℣. 33. dicuntur segregandi in die judicii ab ovibus: ergo prius fuere mixti in eodem ovili. ℞. 2. T. M. n. m. quamvis in uno vel altero loco Scripturæ per oves intelligantur soli electi, ut loco cit. in objectione, & Matth. 25. ℣. 33. ubi dicuntur statuendæ a dextris, hoc tamen non contingit universaliter: siquidem eodem loco Joan. 10. ℣. 12. Christus ait: *lupus rapit, & dispergit oves*, hoc est, aliquæ earum pereunt. Item Psal. 73. ℣. 1. *iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* Et Psal. 78. ℣. 13. *Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ:* ubi David loquitur de omnibus Judæis, qui non omnes fuere electi, nec credibiliter justi. Quare quando est sermo de solis electis, per oves non tantum intelliguntur membra Ecclesiæ, sed membra electa. Ast si sermo est de membris Ecclesiæ, & ista universim vocantur oves e. g. Joan. ult. ℣. 17. *Pasce oves meas*, nullo modo potest probari, quod per oves tantum significentur electi.

Objic. 9. Peccatores non sunt filii Dei: ergo neque membra Ecclesiæ. ℞. N. conf. quæ non probatur.

Objic. 10. S. Augustinus L. 3. de doct. Christ. c. 32. ait: *Non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum.* Ergo non prædestinati non sunt membra Ecclesiæ. ℞. D. c. ergo non prædestinati

nati non ſunt membra Eccleſiæ ſtabilia, & perpetuo manſura c.c. non ſunt membra nunc, dum in vita retinent ea, quæ in membris Eccleſiæ requirimus n.c. D. Auguſtinus ibi intelligit corpus Chriſti morale, non quomodocunque tale, ſed id, quod ſemper tale erit permanſurum in cælo; nam ibidem ſe explicat ſic: *Nunc in uno ſunt* — — *non tamen ſemper in uno erunt; ipſe eſt quippe ille ſervus commemoratus in Evangelio, cujus Dominus cum venerit, dividet eum, & partem ejus cum hypocritis ponet.*

Id quoque obſerva, dum forte unus, aut alter ex PP. ait, in corpore Chriſti nihil mortuum: ita accipiendum eſſe, nihil omnino mortuum, adeo, ut nec habeat aliquam vitam ſecundum quid, non autem ſimpliciter mortuum, ita, ut vitam habeat ſecundum quid. Peccator carens gratia, dicitur ſimpliciter mortuus, nec poteſt dici membrum Chriſti ſimpliciter vivum, ut definit Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. quia tamen adhuc fidem, & communionem fidelium, & ſic aliquem motum retinet, habet adhuc aliquam vitam animæ ſecundum quid, ferme ſicut manus arida, nec potens moveri, dicitur emortua, licet adhuc aliquo modo tenuiter nutriatur.

ARTICULUS VII.

Appendix ad materiam Anterioris Articuli: ſeu quædam breves reſolutiones huc pertinentes.

Reſolvo 1. Catechumeni non ſunt actu, & perfecte vera Eccleſiæ membra. P. 1. ex S. Scriptura. Act. 2. ℣. 41. dicitur: *qui ergo receperunt verbum Dei, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* Ergo ſecundum Scripturam per baptiſmum animæ apponuntur, ſeu in Eccleſia conſtituuntur: atqui catechumeni non ſunt baptizati: ergo neque appoſiti, aut in Eccleſia conſtituti. 2. Baptiſmus eſt veluti janua ſicut ad ſalutem, ita & ad ſalutis portum, nempe Eccleſiam, juxta illud Joan. 3. ℣. 5. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non poteſt introire in regnum Dei.* Atque adeo ex communi P. P. doctrina catechumenus eſt quidem in veſtibulo, non vero eſt fidelis, niſi ingrediatur per baptiſmum. 3. Fidelis, & verum Eccleſiæ membrum non tantum habet jus ad ſalutis myſteria, id eſt, SS. Sacramenta, verum etiam ad ea omnia, quæ univerſæ Eccleſiæ ſunt communia: atqui catechumenus non gaudet hoc jure: quia caret baptiſmo, in quo omne jus ejuſmodi radicatur: ergo neque gaudet prærogativa veri membri Eccleſiæ. Si decedunt catechumeni, obtinent

127.

quidem vitam æternam, non quia actu, sed voto & desiderio sunt membra Ecclesiæ. Unde catechumenus est solum in Ecclesia potentia, sicut homo conceptus, sed nondum formatus, & natus non dicitur homo, nisi in potentia.

128. Resolvo 2. Schismatici non sunt membra Ecclesiæ. Theologi contra Theologos. P. 1. Juxta S. Scripturam Ecclesia est una, unum ovile, unum corpus Christi, una domus &c. sed huic unitati opponitur schisma, quod divisionem & separationem importat: ergo. 2. S. Cyprianus Epist. 69. *Ecclesia*, inquit, *quæ Catholica est, una est, scissa non est, nec divisa, sed utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutine copulata.* Et Lib. de unit. Eccles. ait: *Ecclesiam significari per vestem Christi inconsutilem, quæ scissa non est; ut intelligeremus, scindi posse Ecclesiam: sed non ut vestes scinduntur, ita ut omnes partes æque maneant vestis partes, sed ut ramus ab arbore, qui statim moritur, arbore virente: rivulus a fonte, qui mox arescit, fonte fluente: & radius a Sole, qui continuo deficit, Sole permanente.* S. Optatus L. 2. contra Parmen. de Schismaticis easdem comparationes adducit, quas S. Cyprianus laudatus. 3. Requiritur ad vera membra Ecclesiæ, ut sint unita inter se sub eodem Vicario Christi; nam debent esse conjuncta corpori non mutilo, aut acephalo, sed integro, habenti caput, adeoque juncta ipsi capiti. Et quidem, cum Ecclesia sit visibilis, debent etiam membra esse conjuncta alicui capiti visibili, quamquam primario debeant per fidem conjungi capiti invisibili Christo. Unde Schismatici se separantes ab unitate capitis non sunt Ecclesiæ membra: quare Ecclesia die Veneris Sancto non minus pro Schismaticis, quam hæreticis orat, *ut Deus eos ad S. Matrem Ecclesiam Catholicam & Apostolicam revocare dignetur.*

129. Resolvo 3. Hæretici publici non sunt vera membra Ecclesiæ: hæretici vero occulti sunt imperfecte talia, & quantum ad corpus Ecclesiæ, & partem externam. P. 1. memb. 1mo Tit. 3. ℣. 10. ait Apostolus: *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & deliquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* 2do Illi non sunt in Ecclesia, qui nec corpus, nec animam ejus participant; sed hæretici non participant animam ejus, seu fidem & charitatem, nec corpus: non enim habent eandem cum illa fidei professionem, nec eorundem Sacramentorum communionem, nec legitimis pastoribus adhærent. Etsi in aliquibus hæreticis maneat character baptismalis & Sacerdotalis, non sufficit, quia etiam in damnatis manet, quin sint vera membra Ecclesiæ, sed est tantum signum potestatis & unionis, quæ antea præcessit.

P. 2.

P. 2. memb. Quia hæretici occulti saltem externe fidem profitentur, & Pastoribus Ecclesiæ adhærent, eademque Sacramenta participant. Sunt igitur externe & imperfecte membra, licet interno Ecclesiæ Spiritu destituta.

130. Resolvo 4. Vere excommunicati non sunt membra actualia Ecclesiæ. P. 1. S. Augustinus L. de unit. Eccles. c. ult. ait: *excommunicari, esse visibiliter præcidi ab Ecclesia.* 2. Quia per excommunicationem privatur quis omni commercio spirituali, quod habuit cum aliis membris Ecclesiæ, seu omni communione fidelium, & cultu communi.

131. Objic. 1. Schismatici, & excommunicati retinent baptismum & fidem: ergo manent membra Ecclesiæ. ℞. N. conf. Ista, quæ in antecedente dicuntur, non sufficiunt ad membrum Ecclesiæ, si desit communicatio externa respectu aliorum fidelium, & subjectio respectu Prælatorum.

Objic. 2. Ecclesia potest punire Schismaticos, hæreticos, & excommunicatos: ergo sunt membra Ecclesiæ: de non membris enim nihil judicat Ecclesia, 1. Corinth. 5. ℣. 12. *quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ℞. N. conf. Cum hæretici & schismatici habent characterem baptismalem, hoc ipso habent debitum redeundi ad Ecclesiam, a qua discessere: sicut ergo oves fugientes extra ovile possunt a Pastore e fuga retrahi, & verberibus ad reditum cogi: ita supra dicti cogi possunt ab Ecclesia. Non sunt igitur membra Ecclesiæ in re, sed in debito. Textus Apostoli intelligitur de iis, qui ita sunt foris, ut nunquam fuerint intus, nec habeant debitum redeundi &c.

PROLOQUIUM

Ad Articulos sequentes de Summo Pontifice tractantes.

132. Christus abs dubio est, & semper manet Summus Pontifex, primarium fundamentum, supremus Rector, Pastor & Caput Ecclesiæ Sponsæ suæ dilectæ, qui ascensurus in cœlum, atque adeo Ecclesiæ visibilem præsentiam subtracturus, eam noluit relinquere instar domus sine Rectore, ovilis sine Pastore: sed ultra se ipsum Rectorem summum, qui invisibiliter eam regeret, & ultra particulares particularium Ecclesiarum Pastores & Doctores visibiles, constituit Vicarium suum, qui foret visibile universalis Ecclesiæ visibilis in terris caput, vice sua eandem recturus. Et quidem cum instituerit Ecclesiam suam velut perfectum regnum spirituale, ac regimen Monarchicum, Aristocratia tamen quadam mixtum ratione optimatum, qui tum ad consilium, tum ad regimen in subsidium adhibentur juxta optimam Hier-

archiæ formam, instituit, unum unius regni Principem, unius domus unum œconomum, unius ovilis unum Pastorem, unius exercitus unum Ducem, unius corporis unum caput constituit, quo melius unitas Ecclesiæ in fide & moribus, quod alias difficulter foret possibile, conservaretur, tum & ob alias causas. Neque id supervaneum: cum regnum istud sensibile & visibile simili capite egeat, & necessarii sint reliqui Pastores & Doctores, quamvis Christus præcipuus sit Pastor, ac Magister.

Verum contra hoc supremum visibile Ecclesiæ Caput summis furiis exurgunt hæretici. Nec mirum; quia nolunt subesse Illi, cui se subdit universa Ecclesia, a qua ipsi perfida divisione se separarunt, & quia S. Pontifex non consentit eorum erroribus, inobedientes redarguit, ac pro plenitudine potestatis tradit Sathanæ, ut discant meliora cogitare, & ad frugem redire. Ast vero non capiunt homines hi, quod in eorum salutem impenditur, & quo impensius Summus Christi in terris Vicarius exoptat, quæritque, ut eorum Spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi, eo petulantius obsistunt. Atque ne eorum seditiosis ausibus desit pallium, omne venenum contra SS. Pontifices evomunt, & ut rem a fundamento ordiantur, dignitatemque Pontificiam penitus evertant, statim machinas ad Primum ab Ipso Christo institutum visibile caput S. Petrum, ejusque Dignitatem & Primatum, dein ad Successores suos applicant. Ipsorum igitur commenta per plures articulos oportet discutere, & convellere. Quare sit

ARTICULUS VIII.

An S. Petrus fuerit Christi Vicarius, & supremum Caput universalis Ecclesiæ?

133. Affero, & Respondeo affirmative. Est assertio de fide contra Græcos Schismaticos, & alios plures, maxime modernos Sectarios.

P. 1. ex S. Scriptura Matth. 16. ubi juxta obvium sensum, sub metaphora fundamenti & clavium hæc potestas Petro, qui Christi Patrem confessus fuerat, promittitur. Sic sonat textus: *quem dicunt homines esse filium hominis? at illi dixerunt: alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dixit illis Jesus: vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et* Ego

Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Ex quibus sic argumentor:

Ille primatum obtinuit a Christo, supra quem Christus Ecclesiam suam ædificat, & cui Christus claves regni Cœlorum promittit, nec non ligandi, & solvendi authoritatem: atqui Christus supra Petrum ædificat Ecclesiam suam, & ei tradit claves: ergo. Major patet: quod Superior in corpore communitatis, quod Rex in Regno &c. hoc est fundamentum in ædificio: cui etiam Civitatis claves traduntur, Dominus vel Gubernator illius fit, & agnoscitur. Minor pariter videtur liquere, quia de propria Persona Petri hæc intelligenda sunt; nam id indicat textus literalis: siquidem Syriace (ut Christus est locutus) dicitur: *Tu es cepha*, quod saxum significat: *& super hoc cepha, seu saxum, ædificabo Ecclesiam meam.* Consonat etiam Lectio Græca, quæ priori loco habet πέτρος, posteriori πέτρα, quæ tamen græce idem significant, quod Christus dixit. Convenientius etiam erat nomen masculinum attribui personæ virili, & ad claritatem metaphoræ postea uti voce fœminina, nil nisi saxum vel petram significante. Græcam lectionem imitatur Latinus Interpres, cujus translationi inhærendo, clare evincit contextus το *hanc* referri ad Petrum, de quo nempe immediate antea sermo factus erat, & ad cujus nomen novum alluditur: ad quem etiam diriguntur hæc verba: *Tibi dabo claves* &c. cui denique ob insignem Dei confessionem prærogativa primatus in præmium datur, ut PP. urgent: ast nulla foret Petri prærogativa, si non primatus Petri præ aliis Apostolis intelligeretur.

Confirm. 1. Joan. 21. ℣. 15. 16. & 17. Christus primatum, quem Matth. 16. promiserat, Petro confert, probato iterum atque iterum ejus amore, dicens: *Simon! diligis me plus his? dicit ei: etiam Domine, tu scis, quia amo te, Dicit ei: pasce agnos, pasce oves meas.* Eusebius Emissenus Serm. de Nativit. S. Joan. hunc exponens locum ait: *prius agnos, deinde oves Petro commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit.* Id egregie etiam observat D. Bernardus L. 1. de Consideratione dicens: *Non modo ovium, inquit Christus, sed & Pastorum Tu unus omnium es Pastor. Unde id probem, quæris? ex Verbo Domini: cui enim non dico Episcoporum, sed Apostolorum sic absolute & indiscrete commissæ sunt oves? Si me amas, pasce oves meas: quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certe regni? oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Confirm. 2. Cap. 22. Lucæ ℣. 32. ait Christus: *Ego rogavi pro te, Petre! ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

tuos. Duas prærogativas D. Petro a Chriſto conceſſas ex hoc textu licet colligere. Prima, quod Chriſtus rogarit, ut non deficiat fides illius; cum enim jam eſſet deſtinatus fundamentum, & caput Eccleſiæ, magis pro illo curandum fuit: quia illius error & caſus in doctrina fidei omnium lapſus foret: nec primo & ſupremo Paſtore errante alius major foret, qui ipſum corrigeret. Orat ergo Chriſtus ſingulariter pro Petro, ut non deficeret fides ejus, quod ab iſto magis, quam a reliquis Apoſtolis Eccleſia & Religio penderet.

Altera prærogativa per hoc ſignificatur, quod Petrus ſuos fratres, id eſt, fideles omnes in fide confirmare, ac conſervare jubeatur; nam confirmare ad eum præcipue ſpectat, qui majoris eſt authoritatis, ut patet in confirmationibus omnium electionum, contractuum &c. Et ita hunc textum intelligunt SS. Patres.

Confirm. 3. Poſt Spiritus S. miſſionem ubique Petrum reliquis Apoſtolis prælatum videmus. Petrus electioni Matthiæ in Apoſtolum præſidet Act. 1. omnes ei cum ſilentio auſcultant, dum primus Legem Evangelicam promulgat, & ad fidem tria millia convertit Act. 2. Solus Judæos in die Pentecoſtes alloquitur, ſcelusque exprobrat, quod commiſerant Chriſtum crucifigendo, & ut in Eum credant, hortatur. Ipſe ſolus cum Joanne audacter Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus reſpondet c. 4. Ipſe ſolus Judaicam Eccleſiam, id eſt, primos fideles regit, Ananiamque & Saphiram ob commiſſam fraudem morte plectit c. 5. Ipſe ſolus ad prædicandum gentibus Evangelium primus deſtinatur c. 10. & 11. Ipſe primus in Concilio Jeroſolymitano ſententiam, quam Jacobus & cæteri probabant, pronunciat, & author eſt decreti de Legalium abrogatione. Et cum in carcere detinetur, univerſa Eccleſia pro ipſius liberatione ad Deum preces fundere non deſiſtit. Ipſe demum, dum duodecim Apoſtoli numerantur, non modo primus collocatur, ſed etiam apud Matthæum ſaltem primus dicitur Matth. 10. ℣. 2. ibi: *Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Marc. 3. ℣. 16. Luc. 6. ℣. 14. Hic attenditur primatus poteſtatis: nam non ſpectatur prioritas ætatis, vel vocationis, cum ſic præcederet Andreas, qui erat ætate ſenior Petro juxta Epiphanium hæreſi 51. & prius etiam illo vocatus, & ſecutus fuit Chriſtum Joan. 1. Nihil autem obeſt, quod unico loco Gal. 2. ℣. 9. Jacobus numeretur ante Petrum: ibi: *Jacobus & Cephas, & Joannes;* nam incertum eſt, an Apoſtolus ſic enumeraverit, cum Hieronymus, Auguſtinus, & Commentarius Ambroſianus legant Petrum primo loco tam in textu, quam commentario, ut & Chryſoſtomus in commentario. Deinde quod unico loco non ſit habita ordinis ratio, non derogat tam

tam constanti, & manifesto ordini alibi servato. Quidam insuper credunt, id factum, quod sermo esset de re, quæ contigit Jerosolymis, ubi Jacobus erat Episcopus. Nihilominus præcedentiam S. Paulus satis indicat, quia ad Gal. 1. dicit, se venisse Hierosolymam, *ut videret Petrum*, etsi ibi etiam esset Jacobus: *ivit* (inquit Hieronymus ibidem) *non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi*. Et 1. Corinth. 1. gradatim ascendendo Petrum proxime sub Christo constituit: *unusquisque dicit: ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi.*

P. 2. ex Traditione Patrum. Patres Græci Primatum Petri clarissime affirmant. S Irenæus L. 3. contra Hæres. c. 3. n. 2. de Sede S. Petri sic loquitur: *ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem* (alii legunt, *potentiorem*) *principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.*

Origenes Hom. 5. in Exod. *Vide, magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petræ solidissimæ, supra quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Christo Domino.* Rursus Homil. 2. de diversis vocat Petrum *Summum Apostolorum verticem.*

Athanasius Epist. ad Felicem Papam, quam nomine Synodi Alexandrinæ conscripsit, ait: *Tu es Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi sunt confirmatæ.*

Eusebius L. 2. Hist. c. 14. appellat Petrum *fortissimum, & maximum inter Apostolos, & virtutis merito reliquorum omnium Principem, ac Patronum.*

Cyrillus Hierosolym. Cath. 2. & 11. Petrum appellat Apostolorum Principem supremum.

Basilius prooemio de Judicio Dei dicit: *Beatus ille Petrus omnibus Discipulis prælatus, cui soli majora sunt data, quam aliis testimonia, qui prædicatus est beatus, cui claves regni cœlorum concreditæ sunt.*

Cyrillus Alexandr. L. 12. in Joan. sic loquitur: *præ aliis emicat ille cæterorum caput, ac Princeps, & ait: Tu es Christus Filius Dei &c.*

Chrysostomus Homil. 55. in Matth. ita pronunciat: *Ecclesiæ Pastor & caput est homo piscator, & ignobilis.* Atque Homil. 87. in Joan. nuncupat Petrum *os, Principem, & verticem Apostolorum.* Allatæ expressiones PP. clare indicant eminentiam Jurisdictionis Divo Petro in totam Ecclesiam concessæ: ergo ei conveniebat.

Accedant etiam PP. Latini.

Tertullianus in Scarpiaco c. 10. scribit: *Si adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus hicce Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.*

S. Cyprianus Epist. ad Quintum dicit: *Petrum Dominus primum elegit, & super eum ædificavit Ecclesiam suam.* Et L. de unit. Eccles. non longe ab initio: *Primatus Petro datur, ut una Ecclesia, & cathedra una monstretur.*

Optatus Milevitanus L. 2. cont. Parmenianum pag. 28. ait Parmeniano: *Negare non potes, fine te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus. — In qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi defenderent, ut Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret.*

S. Hilarius in caput 16. Matth. hæc habet de S. Petro: *In nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ inferorum leges dissolveret* &c.

S. Ambrosius in cap. ult. Lucæ inquit: *quia solus profitetur Christi divinitatem, omnibus antefertur.* Iterum in cap. 12. Epist. ad Corinth. *Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.*

S. Hieronymus tota sua ad Damasum Epistola de nomine Hypostaseon, mira dicit de Principatu S. Petri, & ejus Sedis: *super hanc Petram*, addit, *ædificatam Ecclesiam scio.*

S. Augustinus multis in locis huic veritati subscribit. Sic Psal. contra partem Donati ait: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede: Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Rursus L. 2. de Baptismo c. 1. *In quo, Petro, Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet.*

Denique S. Leo Serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen præcipue regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Ex quibus denuo clare concluditur Primatus Jurisdictionis, & Sacerdotii D. Petro a Christo collatus supra omnes Apostolos, & totam Christi Ecclesiam.

Dissolvuntur Objectiones.

134. Objic. 1. Hæc verba Christi: *Super hanc Petram ædificabo* &c. non fuerunt ad Petri Personam directa: ergo ex iis nil probatur. a. p. In illo textu nomine Petræ intelligitur Persona Christi, ut volunt Lutherani & Calvinistæ: vel per Petram intelligitur Ecclesia in persona Petri præsentata, & figurata, ut placet aliis. ℞. N. a. utrumque. Si nomine Petræ intelligeretur Christus, non persona Petri, nulla esset

esset connexio inter hæc Christi verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;* quia tunc idem esset, ac si diceret: *Tu es Petrus, & super hanc Petram, id est, super me ædificabo Ecclesiam meam*, in qua constructione nulla esset consequentia, vel connexio verborum. Dein ad quid Christus mutasset nomen Apostoli; antea enim vocabatur Simon, & postea vocavit eum Cepham, seu Petrum; nisi ut hac nominis mutatione significaret Christus, se Simonem elegisse ut Petram, supra quam ædificaret suam Ecclesiam, & ut caput visibile, a quo post suum in cœlum ascensum eadem regatur Ecclesia? Præterea in hac Adversariorum expositione nulla esset expressa remuneratio confessionis Petri de Christo, quod est contra SS. PP. Neque etiam potest dici secundum; si enim nomine Petræ intelligeretur Ecclesia, hic absurdissimus sensus eveniret: *Super Ecclesiam ædificabo Ecclesiam meam.* Nec dicant: Christum se digito demonstrasse, dum hæc verba protulit: *super hanc Petram ædificabo* &c. nam hæc est insulsa, & nugatoria conjectura, nullibi fundata.

Objic. 2. Prærogativa soli Christo propria nec S. Petro, nec alteri hominum assignari potest: sed esse Ecclesiæ fundamentum & caput, est prærogativa propria soli Christo, asserente D. Paulo 1. Corinth. 3. ℣. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus:* ergo. Adde, eundem Doctorem Gentium 1. Corinth. 10. ℣. 4. Christum solum vocare *Petram*, *Petra autem erat Christus.* ℞. D. M. Nec S. Petro, nec alteri assignari potest, eo modo, quo Christo est propria c. M. alio modo n. M. & d. m. sed esse fundamentum & caput Ecclesiæ est proprium soli Christo, si loquimur de fundamento, & capite primario, principali & invisibili c. m. si loquimur de fundamento secundario, ministeriali, & visibili n. m. & sub eadem ratione consequentiam. Dum Petrum profitemur fundamentum & caput Ecclesiæ, nequaquam ab hac prærogativa intendimus excludere Ipsum Christum, quem fundamentum & caput primarium, & principale corde & ore asserimus. Ex quo tamen nulla ostendi potest repugnantia, cur S. Petrus non valeat esse fundamentum *secundarium*, & *ministeriale*, ac caput visibile Ecclesiæ. Sane Christus potuit Ipsum tale in terris constituere, quid enim obstat? Ut autem eum constitueret, exegit Ecclesiæ utilitas & concordia; quis hoc negabit? quod ita constituerit, solidæ nostræ probant rationes: quis has dissolvet? Ad propositum eleganter loquitur S. Basilius Serm. de Pœnitent. *Petrus ter abnegat, & positus est in fundamento.* —— *Largitur Jesus dignitates suas, non ipse inanis factus, sed habens, quæ dat.* —— *Petra est, Petram facit, propria largitur servis; hoc*

enim signum est divitis, largiri, & nihilominus habere, quæ largiatur. Sunt quidem tali modo duo capita, sed diversæ dignitatis & ordinis, & tam parum inter se pugnant, quam parum in aliquo regno vasto Rex, & Prorex.

Objic. 3. Multi SS. PP. hunc locum S. Scripturæ: *Tu es Petrus* &c. aliter exposuerunt, quam nos exponimus: ergo. ℞. N. a. Sic 1. Non obstat S. Hilarius, dum ait, hanc Petram, supra quam Christus fundavit Ecclesiam suam, esse Confessionem Divinitatis Christi a Petro factam: nam per confessionem intelligitur ipse Petrus, quatenus illam confessionem edidit. 2. Pariter S. Augustinus L. 1. Retract. c. 21. dum per Petram intelligi vult Christum ipsum, tantum intendit, Petram esse Petrum, quatenus confitetur Christum Deum. 3. Origenes Tract. 1. in Matth. dum per Petram omnes fideles intelligi petit, ibi citatum locum exponit allegorice, quem literaliter interpretatur de Petro Hom. 5. in Exod. *Vide*, inquiens, *magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petræ solidissimæ, supra quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Christo Domino: modicæ fidei, quare dubitasti?* Et plane ad literam non potest hic locus intelligi de omnibus fidelibus, eo quod Dominus de solo Petro se loqui, clare & multimode indicaverit: vocavit enim eum Simonem, nomine a parentibus indito: addidit nomen Patris, vocans illum filium Jonæ, ut distingueret a Simone fratre Thaddæi: adjunxit nomen Petri, seu Cephæ, quod ipse illi imposuit: usus est præterea pronominibus certam Personam designantibus: Ego dico *Tibi*, quia *Tu* es Petrus &c. Quod autem Christus non dixerit, super hunc Petrum, sed super hanc Petram, ratio est jam in probationibus data, quia Syriace loquebatur, in qua lingua non est ea generis differentia, quæ in latina lingua reperitur, sed Cephas & Petrum & Petram significat. Dixit ergo Jesus: *Tu es Cephas, & super hoc Cephas* &c. id est: *Tu es Petra, & super hanc Petram* &c. Id autem non vertit hoc modo latinus Interpres, quod græcum Codicem sit secutus, qui non habet πέτρα, sed πέτρος: eumque Petros & Petra apud Græcos idem significet, latino versori commodius visum est, viro nomen masculinum, quam fœmininum tribuere. 4. Nec obstant alii, qui intelligunt omnes Apostolos, super quos Christus fundavit Ecclesiam suam, juxta illud Apostoli ad Ephes. 2. *superædificati super fundamentum Apostolorum* &c. quippe Christus Ecclesiam suam etiam super reliquos Apostolos fundavit 1. quia Ipsi Ecclesiam primitus fundaverunt ubique terrarum: 2. quia doctrinam, quam docuerunt, primi a Deo acceperunt: 3. quia fuerunt Rectores, & Pastores Ecclesiæ universæ, ad omnes gentes missi, ita tamen, ut Petrus esset eorum Caput, & ab illo penderent, ut bene explicat S. Hieronymus L. 1. contra Jovinianum

nianum dicens: *Licet super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tolleretur occasio.*

Objic. 4. Jacobus est major ipso Petro, quia Christo successit in Episcopatu Urbis Jerusalem, quæ est Mater omnium Ecclesiarum juxta illud Isa. c. 2. ℣. 3. *de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Jerusalem:* ergo. ℟. N. a. Christus non fuit Episcopus ullius particularis Ecclesiæ, sed fuit, & est Pontifex totius Ecclesiæ, nec ullum habet in Episcopatu successorem, cum semper vivat. Jerosolymitana Ecclesia est quidem Mater omnium Ecclesiarum antiquitate, multis Privilegiis insignis ob Domini, Ejusque Discipulorum præsentiam, & præcipue ob mysteria Redemptionis nostræ ibi consummata; sed non est Mater caeterarum Ecclesiarum Jurisdictione, ut patet ex Concilio Nicæno I., in quo datus est Episcopo Jerosolymitano quartus inter Patriarchas Orientis locus duntaxat quantum ad honorariam sessionem, nullus autem quantum ad Jurisdictionem, verum subjectus mansit Episcopo Cæsareensi totius Palæstinæ Metropolitano.

Instabis. Clemens Romanus apud Eusebium L. 2. Histor. c. 1. ait: *Post Servatoris ascensum Petrum, Jacobum, & Joannem, quamvis ab Ipso omnibus fuerint prælati, non tamen primatus gloriam sibi vindicasse, sed Jacobum, cognomine Justum, Apostolorum Episcopum elegisse:* ergo. ℟. Hic locus Eusebii est mendosus; nam quamvis in Basileensi Codice verba mox adducta legantur, in codice tamen Coloniensi per hominem Catholicum verso, ut ait Boucad, non exstat vox *Primatus*, neque vox *Apostolorum*, sed hujus loco *Jerosolymorum*, sicut etiam in quibusdam optimæ notæ codicibus Eusebianis, quos Valesius vidit, & contulit. Quibus codicibus consonat Nicephorus L. 2. c. 3. ubi eundem Eusebii locum sic refert: *Petrus, & Jacobus, & Joannes, quos Dominus præcipuo dignatus fuerat honore, post ascensum Ejus gloriam non affectarunt, sed Jacobum Justum Jerosolymorum Episcopum elegerunt.* Qui locus sic purgatus minime nobis obest. Neque adducatur S. Chrysostomus Homil. 3. in acta Apost. ibi quidem ait, *Apostolos concessisse Jacobo solium*, sed loquitur de solio particularis, non universalis Ecclesiæ. Se ipsum satis ad nostrum propositum explicat hic aurifluus Doctor, dum ait Hom. in Joannem: *quodsi quis percunctaretur, quomodo Jacobus sedem Jerosolymis acceperit? Responderem: Hunc, Petrum totius orbis Magistrum constituisse.*

Objic. 5. Apostoli Act. 8. miserunt Petrum cum Joanne in Samariam: sed major non mittitur a minore: ergo Petrus non fuit major reliquis Apostolis. ℟. D. M. Apostoli miserunt Petrum com-

muni conſilio, quod & Petrus probabat, quo modo etiam par parem, minor majorem mittere poteſt c. M. imperio n. M.

Object. 6. Paulus Gal. 2. ait, ſe in faciem reſtitiſſe Petro, quia reprehenſibilis erat. Unde S. Ambroſius in dictum locum ait: *quis eorum* (Apoſtolorum) *auderet primo Apoſtolo — reſiſtere, niſi alius talis, qui fiducia electionis ſuæ ſciens, ſe non imparem, conſtanter improbaret, quod ille ſine conſilio fecerat:* ergo. ℞. D. a. Reſtitit Petro, & objurgavit non authoritate judiciali, ſed correptione fraterna cum bono Zelo, & debita reverentia, neque circa fidem, ſed circa factum particulare, quo Petrus incaute ſimulavit Judaiſmum, & obſervationem legalium, ſicque reprehenſibilis erat c. a. ſecus n. a. Ad allegationem commentarii dico cum noſtro Herincx, authorem ejus non eſſe Ambroſium: & revera opus hoc inter genuina opera S. hujus Doctoris non numeratur ab Annato. Vel dic, textum eſſe intelligendum ſolum de paritate in merito, & laboribus Apoſtolicis, non in adminiſtratione, & authoritate regiminis.

Objic. 7. Paulus 2. Corinth. 2. ait: *nihil minus fui ab iis, qui ſupra modum ſunt Apoſtoli:* ergo S. Paulus non fuit minor Petro. ℞. D. a. Nihil minus fuit ſecundum prædicationem Evangelii, quod æque ac alii Apoſtoli a Chriſto acceperat, & ſecundum labores Apoſtolicos c. a. ſecundum authoritatem & Jurisdictionem n. a. Quando autem Paulus per Antonomaſiam dicitur *Apoſtolus*, id fit, quia plures ſcripſit Epiſtolas, & plus omnibus laboravit, non ideo, quaſi authoritate & poteſtate emineret ſupra cæteros.

Objic. 8. Petrus & Paulus ſimul vocantur Principes Apoſtolorum, & neſcitur, uter alteri præſtet: ergo. ℞. D. a. Ambo vocantur Principes Apoſtolorum, nempe quia uterque plurimum laboravit in convertendis gentibus, & uterque prædicavit Romæ præcipua mundi Urbe, ibique martyrium pro Chriſto ſubiit, ſicque uterque maximi apud Deum eſt meriti, ita, ut ignoretur, uter alteri in his præſtet c. a. ut ignoretur, quis alteri præſtet Jurisdictione, & poteſtate n. a. Ex hactenus dictis patet, majorem eſſe Petrum poteſtate, & authoritate; fuit enim Petrus ordinarius Romæ Epiſcopus, Paulus autem tantum Petri Coadjutor, & quaſi ſuffraganeus. Sic intelligendus eſt etiam S. Epiphanius hæreſ. 27. quando Paulum Epiſcopum Romanum appellat: quia nempe Coadjutor Petri, huic ſubordinatus, fuit in erigenda Eccleſia Romana, & Apoſtolicis laboribus, non quia parem poteſtatem & authoritatem obtinuit; alias enim paradoxum nimis foret, quod ambo ſimul occupaſſent proprie eandem cathedram. Neque Irenæus, Optatus, Auguſtinus, & alii, qui texunt

texunt Catalogum Episcoporum Romanorum, Pauli unquam meminere, sed in ea sedisse unum Petrum affirmant. Quare & *Cathedra Petri* Sedes hæc Romana nuncupatur.

Objic. 9. Etiam reliquis Apostolis data est potestas clavium, ut Joan. 10. ubi omnibus fuit dictum: *accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata* &c. Etiam cæteri Apostoli jubentur pascere gregem Domini, sicut Petrus, & mittuntur in universum mundum: ergo Petrus reliquis non præeminet. ℞. D. a. Hæc etiam concessa sunt, sed non æque in æquali gradu reliquis Apostolis, ac Petro, nempe cum æquali potestate, & Jurisdictione c. a. secus n. a. Nam Petri potestas erat perpetua, quia ordinaria tanquam capitis: reliquorum Apostolorum quasi extraordinaria sine perpetua successione. Apostoli quidem quoad suas Personas erant pleni Spiritu sancto, neque indigebant gubernatore Petro ad docendum infallibiliter: tamen quia eorum successores erant futuri fallibiles, & indigentes Moderatore, supremo capite, & Pastore, sine cujus cura in infinitas abituri essent sectas, subordinatio sub uno supremo Pastore jam instituta est in Apostolis, quia posteris illa fuit necessaria: quam ob rem, qualis forma gubernandi Ecclesiam futura erat usque ad finem mundi, talem decebat esse in ejus exordio; oportebat nempe esse unum Rectorem suprema potestate præditum: Et licet ante illud Christi ad Petrum dictum Joan. 21. *Pasce oves meas*, quo Summus Pontifex est actu creatus, in munere Apostolatus, & Doctoratus totius mundi, ad quem omnes antea vocati erant, æquales erant Petro, non tamen post hoc, ut Annatus distinguit c. 6. Art. 8. huc applicans illud Cypriani in Tract. de Simplicitate Prælatorum, seu de Ecclesiæ unitate assertum: *hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis, hoc est, æquales erant Apostoli, antequam Petro diceretur: Pasce oves meas, quia omnes æqualem honorem, & potestatem Apostolatus habebant:* scilicet antea, non post.

Object. 10. S. Augustinus de Agon. Christi c. 30. ait: *cum Petro dicitur, ad omnes dicitur, pasce oves meas:* ergo Petrus non est anteponendus cæteris. ℞. Antequam hoc diceret Augustinus, præmisit ista: *Non sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus; huic enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, pasce oves meas.* Jam vero, si Petrus pro omnibus, & præ omnibus sustinet personam Ecclesiæ Catholicæ, utique in hoc eminet, & præfertur omnibus Apostolis; Petrum enim gessisse personam Ecclesiæ propter Apostolatus sui primatum, & ut caput, declarat idem S. Doctor in Joan. Tract. 124.

Igitur

Igitur Petro in gradu eminentiori dictum est, quam reliquis Apostolis: *pasce oves meas.*

Objic. 11. Esto, quod S. Petrus habuerit primatum inter omnes Apostolos, non tamen inde sequitur, ut potestate & authoritate cæteros antecelluerit: Primatus enim talis est res, quæ necessario tantum convenit uni, non item potestas, & authoritas Apostolica: ergo. Ita Dupinus, qui quidem Catholicus cupit esse, sed temerarius Scriptor est propter calamum, quem adversus Pontificiam potestatem acuit. ℞. N. a. Dupinus male Primatum Petri distinguit a suprema potestate gubernativa; non enim qualiscunque primatus competit Petro, sed gubernativus, ac talis, quem denotat metaphora *Clavium*, *Petræ*, *Capitis*, *Pastoris universalis.* Dein sicut necesse est, unum esse primum, ita & oportet unum solum esse præditum suprema potestate gubernativa. Secundum hanc igitur Apostoli non possunt esse æquales Petro, quamquam fuerint æquales in munere docendi, prædicandi ubique, constituendi Presbyteros & Episcopos, fundandi Ecclesias; omnes enim fuerunt universæ Ecclesiæ Doctores, omnes habuerunt plenitudinem potestatis, sed non eodem modo, nec eodem gradu: nam Petrus habuit tanquam Pastor *ordinarius*, cui perpetua convenit successio, cum Ecclesia semper indigeat summo Pastore & capite: ast cæteri ut extraordinarii ad dies vitæ tanquam Legati, quibus in plenitudine potestatis non succeditur; siquidem Legati munus extinguitur cum vita Legati.

Objic. 12. Christus semper rejecit, & improbavit primatum, de quo Discipuli Ejus inter se aliquando ambitiosius contendebant, ut Luc. 9. ℣. 48. Marc. 9 ℣. 34. & c. 10. ℣. 43. ergo nec in Petro videtur admittendus. ℞. Citatis locis Christus a suis rejecit primatum, qui est cum ambitione & fastu, & qui magis est ad terrorem & pompam, quam ædificationem, & qui a gentibus exercebatur, & quem discipuli ejus, a rerum terrenarum affectu nondum plene liberi, & necdum Spiritu S. repleti, ambiebant.

ARTICULUS IX.

An D. Petrus habeat, & habere debeat aliquos Successores in primatu, & Summo Pontificatu?

135. Dico, & ℞. affirmative. Ita fides Catholica. P. argumento dogmatico. Officium Supremi & universalis Pastoris non erat quoddam Privilegium personale, soli & uni Personæ Petri concessum, sed

erat

erat favor collatus toti Ecclesiæ in ejus utilitatem: ergo quamdiu manet Ecclesia, tamdiu in ea durare debet officium Supremi Pastoris: ergo in hoc supremo officio, & regimine semper aliquis D. Petro succedere debet.

Accedit continua Traditio, ac usus Ecclesiæ, quæ etiam post mortem Petri semper aliquem Pontificem, ut supremum caput est venerata. Præterea si manet ratio primæ institutionis Primi Capitis, & hoc debet permanere: atqui hæc ratio semper permanet; nam Ecclesia semper perseverat visibile Christi ædificium, & ovile: ergo & semper debet fundari in Petra Primi capitis, & semper debet gaudere aliquo supremo Pastore, cujus curæ omnes oves sint commissæ. Rem hanc eleganter exprimit S. Leo Papa Serm. 2. in anniversario assumptionis suæ: *Itaque sicut permanet id, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit.* S. Chrysostomus illi optime consonat L. 2. de Sacerdotio ita pronuncians: *quanam de causa Ille Sanguinem effudit suum? certe ut pecudes eas acquireret, quam curam tum Petro, tum Petri Successoribus committebat.* Plures SS. Patres adducentur Artic. seq.

136.

Objic. 1. In sacra Scriptura non fit mentio de Successore Petri: ergo nullus fuit. ℞. D. a. explicita c. a. implicita n. a. quamvis in S. Codice explicita non fiat mentio Successoris S. Petri, tamen exinde per claram consequentiam deducitur, cum Scriptura dicat, portas inferi nunquam prævalituras adversus Ecclesiam, Ecclesia autem indigeat capite semper, & post decessum Petri forte magis, quam illo vivente, ad dirimendas controversias Religionis, hæreses profligandas, quæ postea plus exsurrexere, quam vivente Petro, & ad custodiendum unitatis centrum: sic quæ a Christo dicta sunt Petro, etiam Ejus Successoribus dicta intelliguntur.

Objic. 2. Christus ad Petrum dixit: *vade post me Sathana:* ergo hoc intelligendum est de Papa. ℞. N. c. quædam enim Petro dicta sunt, ut est persona privata, & quædam, ut est Ecclesiæ caput: priora solam tangunt Personam Petri, & ultra hanc non extenduntur: posteriora adhærent officio, & cum hoc ad Successores transeunt, ut: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Confirma fratres tuos: Pasce oves meas.*

Objic. 3. Si Petrus habuit aliquem Primatum, fuit privilegium personale: ergo non transit ad Successores. a. p. Primatus ille fuisset collatus Petro in prœmium confessionis: ergo sicut confessio fuit personalis, etiam prœmium fuit personale. ℞. N. a. Confessio Divinitatis, amorisque contestatio equidem erat occasio, vel motivum, cur Christus S. Petro contulerit Primatum, prœmiaturus heroi-

cum actum. Verum dum hanc dignitatem Petro contulit, ut eum velut fundamentum & Petram suæ Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi duraturæ constituerit, tantum abest, ut hanc dignitatem privilegium mere personale voluerit, ut dubitare nefas sit, eam non tam Personæ, quam officio, quod Petro imposuit, annexam esse. Voluit Ecclesiam suam perpetuam: voluit ergo & Pastorem quoque perpetuum, & caput visibile constituere. S. Petrus non potuit Pastor perpetuus esse in propria Persona ob mortem intervenientem: igitur quidquid eminentis Jurisdictionis & potestatis in Ecclesiam S. Petro contulit, non tantum Ejus personæ, sed in hac omnibus ejus in officio Successoribus concessit, adeo, ut in Petro singulis dictum sit: *Tu es Petrus &c. Tibi dabo claves regni cœlorum: Tu pasce oves meas: Tu confirma fratres tuos.*

Objic. 4. Tota ratio, cur Primatus Petri ad Successores transire deberet, in eo subsistit, ne Ecclesia unquam careat pastore, & capite visibili: sed hæc ratio nulla est: ergo. m. p. Sedes, quam S. Petri dicimus, jam sæpius per longissimum tempus capite, & Pastore caruit. Sic post Fabianum vacavit mensibus sedecim: post Honorium I. novendecim: post Paulum I. duodecim: post Cælestinum IV. viginti: post Clementem IV. triginta sex: post Nicolaum IV. viginti septem, & post Clementem V. viginti quatuor: ergo Ecclesia potest carere Pastore visibili: ergo illa ratio nulla est. ℞. C. M. n. m. ad prob. D c. potest Ecclesia carere capite visibili aliquo tempore c. c. semper n. c. Vide de unitate Ecclesiæ, ubi hæc objectio jam semel soluta est. Nunc autem nota verba S. Cypriani L. de unit. Eccles. *ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit Christus, & unitatis ejus originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit. —— Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur.* Non pro solis annis Petri, sed pro toto tempore, quo duratura est Ecclesia, seu usque ad consummationem sæculi hæc ordinata sunt.

Objic. 5. Petrus præter Primatum, quem ipsi tribuimus, habuit donum Linguarum, & gratiam patrandi miracula: & tamen gratia patrandi miracula non transit ad Successores: ergo neque ille primatus, si quem habuit. ℞. N. Paritatem: donum namque Linguarum, & gratiam patrandi miracula Petrus non habuit ratione officii Pastoris universalis Ecclesiæ, quod perpetuum debet esse, & ad Successores transire, sed erant favores personales, qui cum Persona exspirarunt.

Objic. 6. Si Primatus Petri transiret ad Successores, quivis Successor Petri potestatem clavium acciperet a Christo, sicut Petrus eam

eam accepit: atqui ejusmodi Succeſſores eliguntur ab Eccleſia, a qua proinde ſuam poteſtatem habent: ergo. ℞. N. m. Eccleſia unice deſignat Perſonam, qua deſignatione, veluti conditione poſita Chriſtus, ad cujus manus poſt mortem Petri, aut cujusvis S. Pontificis claves rediere, noviter electo immediate confert poteſtatem clavium, non quidem collatione nova, ſed inſtitutione antiqua.

ARTICULUS X.

An S. Petrus Romæ Sedem & Cathedram habuerit, eique immortuus fuerit?

Sicut præcedens, ita & iſta controverſia præliminares ſunt ad illam, an Romanus Pontifex ſit verus Succeſſor Petri? His enim non bene diſcuſſis, iſta non poteſt pro dignitate tractari. Jure igitur iſtam præmitto: nam obſervandum eſt, ut Romanæ Sedis Maſtyges, & jurati hoſtes nihil omittant, quod ad ſubvertendum hujus primatum ſervire poſſe videtur, negare eos, quod ſemper firmum fuit, aut Petrum unquam Romæ exſtitiſſe, aut ſi fuerit Romæ, hujus urbis Epiſcopum usque ad mortem permanſiſſe. Id, nempe quod Petrus non fuerit Romæ, aut non perſeveraverit Epiſcopus Romæ usque ad mortem, præ primis tentavit docere quidam Joannes Wicleffi Præceptor, & Udalricus Velenus Lutheranus, qui integrum de hac re librum ſcripſit: atque ſic arbitrantur, merum commentum eſſe Catholicorum, quod de ſucceſſione Romani Pontificis in Cathedra Petri tradunt. Verum huic effugio viam occludet Sequens dogmatica 137.

Aſſertio: S. Petrus fuit Romæ Epiſcopus, talisque permanſit usque ad mortem ſuam: ita univerſalis & conſtans Traditio usque ad noſtrorum Sectariorum tempora. 138.

P. De illo, de quo tota antiquitas teſtimonium perhibet, quod univerſus orbis eloquitur, & omnia ſæcula decantant, non niſi temere, & ſine ratione quis dubitat, vel omnino id negat: Sed S. Petrum fuiſſe Romæ Epiſcopum, eumque talem manſiſſe usque ad mortem ſuam, teſtimonium perhibet tota antiquitas, orbis univerſus eloquitur, & omnia ſæcula decantant: ergo. Minor probatur ex antiquiſſimorum Patrum teſtimoniis.

E primo ſæculo de Papia ſic loquitur Euſebius L. 2. c. 15. *Papias & hoc dicit, quod Petrus in prima Epiſtola ſua, quam de Urbe Roma ſcripſit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babylonem nominavit, cum dicit: Salutat vos ea, quæ in Babylon eſt collecta, Eccleſia, & Marcus filius*

 meus.

meus. Ergo ex teſtimonio Papiæ S. Petrus Romæ commorans, ſcripſit ibi ſuam priorem Epiſtolam ad univerſam Eccleſiam.

In ſecundo ſæculo Irenæus L. 2. Hiſt. c. 14. de S. Petro loquens ait: *Salutaris prædicationis verbo primus in urbe Roma Evangelii ſui clavibus januam regni cœleſtis aperuit.*

In tertio ſæculo Arnobius L. 2. contra gentes ait: *Romam ideo ad Chriſtum fuiſſe converſam, quia viderat igneas Simonis Magi quadrigas oratione Petri difflatas.*

Ex quarto ſæculo Epiphanius hæreſ. 27. *Primi*, inquit, *in Roma fuerunt Petrus & Paulus.*

Ex quinto ſæculo S. Chryſoſtomus in Pſal. 48. *Piſcator Petrus, quoniam civitatem maxime regiam occupavit, etiam poſt mortem reſplendet ſole clarius.*

His accedunt plures alii. S. Hieronymus de Scriptor. Eccleſ. in Petro ita loquitur: *Simon Petrus poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderunt, in Ponto, Gallacia, Capadocia —— —— ſecundo Claudii anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis, id eſt, decimum quartum.* S. Iſidorus in vita Petri: *Hic, poſtquam Antiochenam Eccleſiam fundavit, ſub Claudio Cæſare contra Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicans Evangelium viginti quinque annis ejusdem Pontificatum tenuit.*

His, omiſſis aliis, addo Euſebium, qui in Chronico ad annum 44. ita loquitur: *Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, ubi Evangelium prædicans, viginti quinque annis ejusdem urbis Epiſcopus perſeverat.* L. 2. Hiſt. c. 24. idem antiquus Hiſtoricus, & Scriptor nominatiſſimus teſtatur: *Paulum proinde Romæ ſecuri percuſſum, & Petrum etiam ſuffixum cruci, hiſtoriarum momentis proditum eſt.* Imo hæc res in omnibus Hiſtoricis adeo decantata eſt, ut nemo niſi impudentiſſimus eam negare poſſit. Talis certe fuit Lutherus, qui Colloq. Menſ. de Antichr. ait: *omnes hiſtoriæ teſtantur, Petrum primum fuiſſe Romæ Epiſcopum, ſed meræ ſunt fabulæ.* Si ſic licet diſcurrere, poſſemus omnes Hiſtorias antiquas de Julio Cæſare, & aliis, commenta & fabulas dicere, & ſic nihil haberemus veritatis de rebus antiquis. Modeſtior, & prudentior Luthero eſt Grotius, licet adverſarius, in 1. Petri Epiſt. ad ℣. 13. ſcribens: *de Babylone diſſident veteres & novi Interpretes: Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuiſſe, nemo verus Chriſtianus dubitabit: Novi Babylonem in Chaldæa: ego veteribus aſſentior.* Hæc fient clariora ex ſtatim ſequente probatione.

P. 2.

P. 2. B. Petrus Romæ commorans suam priorem Epistolam ad universam direxit Ecclesiam: sic enim loquitur c. 5. ℣. 13. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Ubi per Babylonem intelligit Romam propter superstitionum multitudinem in ea congregatam & regnantem, ut docet Papias Apostolorum Discipulus, jam in præcedente probatione laudatus, & alii.

P. 3. Eusebius L. 2. Hist. c. 14. & Clemens Alexandrinus libro Hypotyposeon cum aliis pluribus asserunt, S. Marcum Evangelium suum scripsisse, prout illud a Petro Romæ prædicante audierat: ergo Romæ fuit S. Petrus.

P. 4. S. Petrus ultimum Romæ clausit diem, Martyrio coronatus: ergo Romæ fuit, & mortuus ibi est, a. testantur viri omni exceptione majores. Sic enim refert S. Ignatius Epist. ad Romanos: sic Dionysius Corinthius, & Cajus 50. solum annis isto posterior, ambo autem apud Eusebium L. 2. Hist. c. 25. ita Egesippus Apostolorum temporibus suppar L. 3. de Excidio Jerosolymæ. Item S. Chrysost. Homil. 23. in Epist. ad Rom. Accedunt alii, ut Tertull. L. de Præscript. Lactantius L. 4. Divin. Instit. c. 21. Ambrosius L. 5. Epist. orat. contra Auxentium. Hieronym. de viris Illustr. Sulpit. L. 2. S. Hist. Isidorus in vita S. Petri, & alii: ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. S. Lucas, qui singulari industria Petri gesta adnotavit, nullibi facit in Actis Apostolorum mentionem, quod is Romam tendere voluerit, multo minus, quod ibi prædicaverit: ergo ibi non fuit. ℞. N. c. Recte ait D. Castel controvers. 14. frivolum censeri debet illud argumentum: *Non est scriptum: ergo non est factum.* Hoc argumentum negativum, ab authoritate petitum, vanum est, maxime si adsint graves rationes in contrarium. Sic nihil valet hæc argumentatio: Matthæus non meminit circumcisionis Christi: ergo Christus non fuit circumcisus. SS. Literæ nihil meminerunt de Luthero, aut Calvino: ergo Lutherus & Calvinus non exstiterunt. Possunt hæc & similia aliunde satis innotescere. Præterea qui in SS. Literis vel mediocriter versatus est, haud ignorat, Lucam in actis Apostolorum permulta omisisse, de quibus aliunde constat, & quæ ex Pauli Epistolis, aut aliorum monumentis habemus. Et quidem ille Apostolus 2. Timoth. c. 3. memorat, multa se Iconii, ubi degebat, esse passum, & tamen Lucas, dum Paulum Iconii fuisse refert, quid passus sit, non scribit: quemadmodum etiam ærumnas & afflictiones, quarum idem Paulus 2. Corinth. 11. meminit, Lucas tacet. Ita etiam

139.

nihil in actis refertur de reprehensione Petri a Paulo facta ad Gal. 2. Nec mirum, ut observat S. Hieronymus, si quod unus relatu dignum censet, alter inter reliqua relinquat.

Objic. 2. Authores propugnantes, Petrum venisse Romam, inter se diffident: Sic Orosius scribit, venisse in exordio Regni Claudii Imperatoris: Hieronymus tenet, hoc contigisse anno solum secundo Claudii: ergo non sunt fide digni. ℞. D. a. Authores inter se diffident in ipsa re, & substantia facti n. a. in circumstantia temporis, quo nimirum anno Petrus venerit Romam c. a. Verum hæc disceptatio nihil obest: sicut nemo propterea in dubium vocat, num Christus sit mortuus in cruce, licet de tempore & anno mortis Christi multum disputent Authores. Insuper, quod Petrus venerit Romam primo, vel secundo anno Claudii, vix discrimen intercedit, saltem attentione dignum, cum sub finem prioris anni inchoante posteriore potuerit illuc venire. Cæterum authores omni exceptione majores, ut Hieronymus de Script. Eccles. Ado Trevirensis in Martyrologio propugnant, Petrum venisse Romam anno secundo Claudii, a quibus non diffidet Orosius L. 7.

Objic. 3. Si Petrus venit Romam, id factum est elapsis 18. annis a passione Domini, tunc autem Petrus erat in Judæa, ut constat Act. 15. sic refert S. Hieronymus in c. 2. Epist. ad Galat. Nam Paulus post annos tres a conversione sua venit in Jerusalem, videre Petrum Gal. 1. Deinde post annos 14. rediit in Jerusalem ad Concilium Gal. 2. quibus si addas annum unum, qui fluxit a passione Domini usque ad conversionem Pauli, conficient annos 18. tum quia Petrus dicitur, quinque annis fuisse in Judæa, deinde septem annis Antiochiæ, multis vero annis in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia & Bythinia, hinc anni saltem 18. fluxerunt, antequam Romam veniret. Ex hoc inferunt, Apostolum Paulum Romam non venisse nisi post annum nonum Claudii, qui erat a passione Domini octavus & decimus: tum Petrus sedit 25. annis Romæ, ut propugnant Damasus, Eusebius, Hieronymus: proinde supervixit ad annum 43. a Christo passo: jamjam autem obierat Nero, quin imo & Galba, Otho, & Vitelius, clavum autem imperii tenebat Vespasianus, qui alias mitissimus a Christiani sanguinis effusione abstinuit, ut colligitur ex Tertulliano Apolog. c. 5. ergo si Petrus Romam venit, Chronotaxis non congruit.

℞. omnem difficultatem ex Chronotaxi deducendam vel sola Historiæ relatio complanat, ut author est Bellarminus. Itaque Petrus 1. mansit quinque circiter annis in Judæa, quo tempore Paulus tribus

tribus a converſione ſua annis potuit Petrum Jeroſolymis convenire: anno vero quinto a paſſione Domini Petrus Antiochiam venit, ut ſcribit Euſebius. 2. Septem annis Eccleſiam rexit Antiochenam, a ſe ipſo fundatam: neque vero credendum eſt, Eum ibi ſine interruptione habitaſſe, ſed his temporibus peragraſſe etiam Pontum, Aſiam, Galatiam, Capadociam & Bithyniam, ubi novas erexit Eccleſias: abſoluto vero in Sede Antiochena ſeptennio, Evodium loco ſuo creavit civitatis Epiſcopum. Tum anno a Chriſto paſſo undecimo rediit Jeroſolymam, ubi ab Herode conjectus in vincula, ut dicitur Act. 12. & paulo poſt ab Angelo liberatus, petiit Romam, & ibi fixit ſuam ſedem, quam & 25. annis tenuit. 3. Neque etiam toto hoc tempore Romæ commoratus eſt, ſed elapſis circiter ſeptem annis, expulſis ab urbe Judæis Act. 18. anno ſcilicet nono Claudii, Petrus iterum reverſus eſt Jeroſolymam, quod incidit in annum decimum octavum a paſſione Domini: Ubi Antiocheni certiores facti, tunc Jeroſolymis adeſſe Petrum, miſerunt ad eum Paulum & Barnabam, & tunc celebratum eſt Concilium Jeroſolymitanum: mortuo autem Claudio, Petrus rediit Romam, ubi & Martyrio coronatus eſt.

Objic. 4. Paulus longiſſimam ad Romanos ſcripſit Epiſtolam, quod non fuiſſet neceſſarium, ſi Petrus Romæ fuiſſet: aut ſaltem, ſi Petrus Romæ fuiſſet, eum in illa Epiſtola ſalutaſſet Paulus: ergo Petrus non fuit Romæ. ℞. N. c. Dum Paulus Epiſtolam ſcripſit ad Romanos, vel Petrus tunc fuit Roma abſens phyſice, conſtituens varias Eccleſias, quod ſæpius contigit, vel Ipſi Paulus peculiares Literas miſit, ut aliqui volunt. Fuit igitur cauſa ſcribendi ad Romanos, & non ſalutandi Petrum.

Objic. 5. Paulus ex Roma ſcripſit Epiſt. ad Galatas, ad Epheſios, & Coloſſenſes, & tamen altum ubique ſilet de Petro: quod non leve argumentum eſt, Petrum tunc non fuiſſe Romæ: ergo. ℞. Si Petrus fors illo tempore Romæ non abſens fuit, juxta Paſtoris munus alias Eccleſias inviſendo, oportebat Paulum caute incedere, & Eccleſiæ Principem ab omni periculo immunem ſervare, ſaltem ne innoteſceret, ubi lateret, qui prius exul eſſe jubebatur. Item res non poſtulabat Paulum in ſuis ad Galatas &c. literis loqui de Petro, cum Paulus eſſet gentium, Petrus vero Judæorum Doctor. Dum autem Paulus ad Coloſſ. ult. ait: *hi ſoli ſunt adjutores mei*, loquitur ſolum de domeſticis, qui ipſi miniſtrare ſolebant: ſimiliter illud 2. Timoth. 4. *Lucas eſt mecum ſolus*, ita intelligendum eſt. Dum 2. Timoth. 4. ait: *Nemo mihi aſtitit, ſed omnes me dereliquerunt*, conqueritur de quibusdam nobilibus, & aliquid apud Cæſarem valentibus Judæis, qui ipſum adjuvare

juvare neglexerunt: non autem ibi eſt ſermo de Petro, qui, cum Principi ob fidem & Religionem in eadem cauſa damnationis erat, eundem adjuvare non poterat.

Objic. 6. Petrus non potuit venire Romam usque ad annum Claudii nonum: neque poſt venire potuit; cum enim Claudius juſſiſſet Judæos ex urbe tunc pelli, juſſit etiam haud dubie in urbem eos non recipi: ergo. ℞. Petrus non venit Romam anno nono Claudii, ſed inde diſceſſit: mortuo vero Claudio illuc rediit, tempore ſcilicet Neronis, qui quidem ibi Judæos tolerabat, quod colligitur ex c. 28. Act. ubi legitur, Paulum Romæ Judæis Chriſtum annunciaſſe.

Objic. 7. Ambroſius Serm. 67. ſcribit de Divis Apoſtolis Petro & Paulo, una die, uno in loco, unius Tyranni toleravere ſententiam. Ex oppoſito S. Linus in Actis de Paſſione BB. Petri & Pauli ait, nec eodem tempore paſſos, nec eodem in loco, nec ſub eodem Tyranno. ℞. et Bellarminus L. 2. de Rom. Pont. c. 9. Hiſtoriam Lini eſſe confictam, & ſtandum eſſe ſententia S. Ambroſii.

Objic. 8. S. Scriptura videtur indicare, SS. Apoſtolos eſſe a Phariſæis & Judæis, non a Romanis occiſos: ita enim Chriſtus Matth. 23. ait: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in Synagogis veſtris*, quo loco S. Chryſoſtomus intelligit *Apoſtolos, & qui cum Apoſtolis fuerunt*: ergo. ℞. Evangelium non dicit *omnes* Apoſtolos: ſufficit itaque ad veritatem textus, Jacobum & Stephanum occiſos, Petrum vero & Paulum in vincula eſſe conjectos, S. Simeonem Grandævum cruci affixum, & alios forte Apoſtolorum diſcipulos fuiſſe Jeroſolymis trucidatos.

ARTICULUS XI.

Cui competat Jus ſuccedendi S. Petro in Primatu?

140. Aſſero. Succeſſor D. Petri in univerſali regimine Eccleſiæ eſt Pontifex Romanus, qui proinde eſt Vicarius Chriſti. Ita omnes Catholici contra Sectarios.

P. 1. Ex una parte hucusque debet ſemper aliquis ſuccedere D. Petro in univerſali Regimine Eccleſiæ, ut ſupra Artic. IX. eſt probatum: ex parte altera nullus alius potuit ſuccedere, quam Epiſcopus Romanus: ergo hic ſuccedit. p. 2. memb. ant. Ille ſolum ſuccedit Petro in Summo Pontificatu, qui ſuccedit in cathedra, quam D. Petrus moriens tenuit, & quam ad ſummam Eccleſiæ Sedem evexit: ſed in hac

hac cathedra ſuccedunt omnes, & ſoli Epiſcopi Romani; nam Petrus aſſumens ſedem & cathedram Romanam, & in ea regimen ſimul univerſalis Eccleſiæ uſque ad mortem retinens, per conſequens ſucceſſores habuit in Primatu Eccleſiæ eosdem, quos habuit in Epiſcopatu Romano. Adde, quod nullus hactenus fuerit habitus pro Succeſſore Petri in S. Pontificatu, quam Epiſcopus Romanus.

P. 2. Ex Conciliis Generalibus. Nicænum I. can. 39. inter Arabicos: *Ille, cujus principatus Romæ eſt, Petro ſimilis, & authoritate par, Patriarcharum omnium dominatum & principatum obtinet.* Ita ex Codice Arabico, exſtante in Bibliotheca Marcelli Papæ, transfertur in latinum.

Nicænum II. Act. 2. approbat Adriani Epiſtolam, in qua legitur: *Sedes* (Eccleſiæ Romanæ) *per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit.* Chalcedonenſe Act 1. *Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri Papæ urbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus.* Et in fide ejusdem Concilii in Epiſt. Paſcaſini Leo Papa dicitur *caput univerſalis Eccleſiæ.* Hæc veritas etiam habetur ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. ac tandem expreſſe definitur in Florentino, ut taceantur alia Concilia, quibus Græci non interfuerunt.

P. 3. Ex Traditione per PP. nobis manifeſtata, & ad nos transmiſſa. S. Iræneus Sæculi II. Pater de Eccleſia Romana ita ſcribit L. 3. adverſus hæreſ. c. 3. n. 2. *Ad hanc Eccleſiam* (Romanam) *propter potiorem principatum neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.*.

S. Cyprianus Sæculi III. Pater L. 1. Epiſt. 3. ad Cornelium: *Non aliunde obortæ ſunt hæreſes, aut nata ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſus Sacerdotum collegium quidquam moveret.* Scribit autem hic S. Pater iſta de Cornelio Romano Pontifice, ad quem epiſtolam illam exaraverat. Item alio loco ita diſſerit: *Deus unus eſt, Chriſtus unus, & una Eccleſia, & cathedra una ſuper Petrum fundata: aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & Sacerdotium unum non poteſt.*

S. Cyrillus IV. & V. Sæculi Pater in Theſauris apud Allatium L. 1. de Conſenſ. c. 21. n. 4. *oportet nos tanquam membra inhærere capiti noſtro Romano Pontifici, & throno Apoſtolico: ex quo noſtrum eſt quærere, quid credendum, quid ſentiendum, & quid tenendum ſit: ſolius enim illius eſt reprehendere, corrigere, increpare, determinare, diſponere, ſolvere, & ligare* &c.

S. Hieronymus etiam ſæculo IV. ad Damaſum Papam hæc ſcribit: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ S. Petri conſocior: Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio.*

S. Auguſtinus Epiſt. 162. *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Et L. 1. ad Bonifacium: *Non dedignaris, qui non alta ſapis, quamvis altius præſideas, eſſe amicus humilium —— communis es omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quamvis Ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio, Specula Paſtoralis.*

Demum ut alios plurimos transmittam, S. Proſper Sæculi V. Pater L. de ingratis ita canit:

> *Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris*
> *Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,*
> *Relligione tenet.* Ergo &c.

P. 4. Pontifices Romani hucuſque authoritatem ſuam in totam Eccleſiam, ac in alios Epiſcopos & Patriarchas exercuerunt: ergo eo ipſo habent regimen univerſale totius Eccleſiæ. A. p. Nicolaus I. Epiſt. 8. circa medium, ad Michaelem Imperatorem, enumerat octo Patriarchas Conſtantinopolitanos a Pontificibus Romanis depoſitos. 2. Romani Pontifices ſtatim poſt mortem D. Petri ordinarunt, inſtituerunt, & confirmarunt Epiſcopos aliarum nationum, uti hodiedum id faciunt. 3 Leges præſcripſerunt omnibus Diœceſibus, Epiſcopis, & toti Eccleſiæ, ut teſtatur Corpus Juris Canonici, Bullæ Pontificiæ &c. 4. Excommunicarunt alios Epiſcopos male paſcentes gregem: ita Victor I. excommunicavit omnes Epiſcopos Aſiaticos. 5. Præſederunt Conciliis Generalibus, eadem confirmarunt, vel reprobârunt, prout ipſis bene viſum erat. 6. Ad Pontificem Romanum per totum terrarum orbem appellatur, ab illo autem non poteſt appellari ad alium Judicem. Hæc & alia plura, quæ ab exordio Eccleſiæ jam fuerunt uſitata, utique ſatis demonſtrant, ſupremam & univerſalem poteſtatem in totam Eccleſiam reſidere in Pontifice Romano.

Ex his colliges, Epiſcopos Antiochenos D. Petro tantum ſucceſſiſſe in Epiſcopatu particulari Antiochenæ Eccleſiæ, non autem in ſummo Pontificatu. Ratio eſt: quia tunc tantum in officio aliquis alteri ſuccedere poteſt, quando locus & officium vacat per ceſſionem, depoſitionem, aut mortem; atqui dum D. Petrus reliquit Eccleſiam Antiochenam, non eſt mortuus ſtatim, nec depoſitus a Summo Pontificatu, neque eodem ſponte ſe abdicavit, aut ceſſit, ſed hanc di-

gnitatem

gnitatem Supremi Pastoris Romam transtulit, eamque reliquit annexam Sedi Romanæ: ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. D. Paulus Ephes. 4. ℣. 11. & 1. ad Corinth. 12. ℣. 28. varios Ecclesiasticæ Hierarchiæ gradus recenset, nullam tamen faciens mentionem capitis visibilis, cui præ reliquis jurisdictio competeret: ergo S. Paulus non agnoscit ejusmodi visibile caput. ℞. 1. Hoc argumentum negativum nihil probat, ubi positiva sunt in contrarium. ℞. 2. S. Apostolus ibi non agit de Hierarchia Ecclesiastica, sed de variis charismatis, quibus primi Ministri Evangelii fuere a Deo instructi ad fidem facilius dilatandam, & propagandam. 141.

Objic. 2. Romanus Episcopus non succedit S. Petro in Apostolatu: ergo neque in Primatu, si quem habuit S. Petrus. a. patet; quia alias Romanus Pontifex foret Apostolus, sicut fuit S. Petrus. c. p. quia Primatus Petri, si quem habuit, fuit connexus cum Apostolatu: ergo si Romanus Episcopus non succedit S. Petro in Apostolatu, neque succedit in Primatu. ℞. c. a. n. c. Ratio dispar est, quia Apostolatus proprie talis illi solum competit, qui immediate aut ab Ipso Christo Domine electus, aut a Spiritu S. speciatim segregatus, primis illis temporibus immediatus Verbi Divini in ordine ad universum orbem Minister exstitit. Quæ dignitas, cum fuerit mere personalis, exspiravit in S. Petro: proin in ea Romanus Pontifex non succedit, sicut tamen succedit in Primatu, qui non est mere personalis, sed prærogativa muneris ex institutione Christi perpetui, seu Capitis, quæ una cum munere illo ad omnes transit Successores.

Dices: Romanus Pontifex non aliter succedit S. Petro, ac alii Episcopi succedunt cæteris Apostolis in suis, quas fundarunt, cathedris: sed alii Episcopi succedunt reliquis Apostolis solum in Episcopatu, non item in jurisdictione universali, quam isti habuerunt in orbem universum: ergo neque Romanus Pontifex succedit aliter Petro. ℞. n. M. Est notabile discrimen inter jurisdictionem, quam Petrus, & eam, quam reliqui Apostoli acceperunt in orbem totum: Hi obtinuere extraordinariam, Ille ordinariam; cæteri enim Apostoli habuerunt jurisdictionem universalem præcise ratione Apostolatus: unde sicut Apostolatus fuit privilegium personale, sic & jurisdictio universalis tale fuit, & exspiravit cum personis Apostolorum. Quare non mirum, si jurisdictio universalis cæterorum Apostolorum una cum cathedris eorum non transeat ad Successores. Ast jurisdictio, quam S. Petrus accepit in universum orbem, erat ordinaria, ipsi con-

cessa non præcise ratione Apostolatus, sed ob rationem capitis & Pastoris perpetui. Itaque sicut hoc munus capitis & Pastoris perpetui non exspiravit in Petro, sed transit ad omnes Successores; alias non foret munus perpetuum: ita neque jurisdictio Petri universalis cum eo exspiravit, sed transit una cum munere ad Successorem, qui est Romanus Episcopus.

Objic. 3. Multi Episcopi Romani fuere Simoniace, aut invalide electi, aut violenter intrusi: ergo isti non successere S. Petro. ℞. Vel ejusmodi intrusus, aut invalide electus Episcopus fuit postea ab universa Ecclesia acceptatus, vel non? Si posterius contigisset, sedes Pontificia fuisset vacua usque ad novam electionem: si prius, uti sæpius factum est, tunc factus esset legitimus Pontifex per hanc secundam ultimatam electionem, quæ sanavit defectus præcedentes: ubi Ecclesia judicavit, melius sibi esse, habere caput male constitutum, quam omnino nullum.

Objic. 4. Spatio 74. annorum, quibus Summus Pontifex residebat Avenione in Gallia, nullus Romæ succedebat Petro: ergo Romanus Pontifex non succedit Petro in Primatu. ℞. n. a. Pontifices in Gallia residentes fuere veri Episcopi Romani, cum non sit de essentia Episcopalis jurisdictionis residentia personalis. Nec alius interea electus, aut agnitus est pro Episcopo Romano, quam Pontifex tunc Avenione existens.

Objic. 5. Authoritas Romani Pontificis non extenditur extra suum Patriarchatum: ergo se non extendit in universum orbem. a. p. ex Concilio Nicæno, quod Can. 6. ita loquitur: *Mos antiquus perduret in Ægypto, & Lybia, & Pentapoli, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Ergo Romanus Pontifex non habet majorem potestatem, quam Alexandrinus, seu se solum extendentem in suum Patriarchatum.

℞. Canon Concilii Nicæni nec minimum detrahit Primatui Summi Pontificis; omissa enim sunt verba præcedentia: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum* &c. *mos antiquus perduret.* Sic legitur in prima collectione Romana, quam agnovit Alanus Copus 1. Dialogo. Sic habet idem Canon græcus, lectus & approbatus in Concilio Calcedonensi act. 16. Nam Paschasius Romanæ Sedis Legatus in Concilio Calcedonensi proferre jussus Canones ejusdem Concilii, sic canonem sextum Nicænum ex suo codice recitavit: *Trecentorum & octo Patrum Canon sextus: quod Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo.* Adversus quam lectionem nemo

nemo reclamavit. Judices vero dixerunt: *perpendimus quidem omnem primatum & honorem præcipuum secundum Canones antiquæ Romæ Archi-Episcopo conservari.* Quibus liquet, veteres intellexisse, prædicto Canone sexto Concilii Nicæni Primatum Romani Pontificis confirmari, ejusque potestatem nullis limitibus circumscribi, cum tamen potestati Alexandrini Episcopi certi limites assignentur.

His notatis non moranda est expositio illius Canonis, quam faciunt vetetes Isidorus Mercator, & Dionysius Exiguus, apud quos sonat, ut in objectione est propositus. Sed integer ibi non affertur. Verum gratis potest distingui antecedens, si lubet, hoc modo: Jurisdictio Romani Pontificis in ea interpretatione constringitur inter limites occidentis, quatenus est S. Pontifex, Vicarius Christi, & Petri in universali regimine Successor n. a. quatenus est Patriarcha duntaxat occidentis c a. Minus attendenda est interpretatio Ruffini, qui L. 11. Histor. Eccles. eundem canonem sic reddit: *Et ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Nam exigua fides Ruffino est habenda, tum, quia exclusus erat a communione Romanæ Ecclesiæ per Anastasium Papam, antequam suam scriberet Historiam, quam scribere cœpit primum post irruptionem Alarici Gothorum Regis, invadentis Italiam initio Sæculi V., id est, Innocentii I. Papæ tempore; tum ob ejus inscitiam, & in interpretandis Authoribus audaciam, ut scribit S. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem, & Apologia secunda adversus Ruffinum. Adde, canonem istum verbis Ruffini contentum, non reperiri in vulgari textu græco, neque in exemplaribus Gelasii, neque in iis, quæ ad Patres Concilii Carthaginensis transmissa leguntur: quocirca Ruffinus proprio Marte vocem suburbicarum Ecclesiarum intrusit in canonem, adeoque canon sic prolatus, & vitiatus nullius est authoritatis: vel si placet distinguere, dic, hic Episcopum Romanum esse intellectum ut Primatem, per urbes suburbicarias unius Provinciæ, cui Primas vel Metropolitanus præest.

Igitur quadruplex in Romano Episcopo considerari potest jurisdictio: est Episcopus respectu Urbis Romæ, & districtus Episcopalis, quem regit: est Metropolita respectu Romanæ Provinciæ, & regionum suburbicarum; est Patriarcha respectu totius occidentis: est denique S. Pontifex respectu totius orbis Christiani. Ruffinus restringens Romani Pontificis jurisdictionem ad suburbicas civitates, multum errat, cum etiam Græci, licet Schismatici, totum occidentem saltem Romano Pontifici adscripserint & adhuc adscribant. Ita Zo-

naras in Can. 6. Concil. Nicæni: Nilus Cabaſilas L. 2. de Primatu Papæ: Balzomon Patriarcha Antiochenus ad hunc Canonem.

Objic. 6. S. Gregorius Magnus L. 5. Epiſt. 20. alias L. 4. Epiſt. 32. reprehendit Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, quod ſe univerſalem Epiſcopum diceret, aitque, *iſtud eſſe blaſphemiæ nomen.* Et Epiſt. 18. alias 38. vocat nefandum, & profanum tumorem, nomen ſtultum, ac ſuperbum vocabulum, præſumptionem temerariam, qua turbatur pax Eccleſiæ. Iterum Epiſt. 43. alias 36. dicit, nullum ex ſuis Prædeceſſoribus Romanis tam profano vocabulo uſum fuiſſe: ergo Romanus Epiſcopus non eſt Pontifex univerſalis.

℞. D. c. Romanus Epiſcopus non eſt Pontifex univerſalis, ſi hoc intelligitur in ſenſu perverſo c. c. in ſenſu Orthodoxo & Catholico n. c. S. Gregorius Epiſcopi univerſalis nomen reprobavit in Joanne Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui videbatur ita univerſalis Epiſcopi nomen appetere, ut reliqui Orientis Epiſcopi eſſent tantum quaſi delegati, & Vicarii ipſius, ut inſinuat idem S. Gregorius cit. Epiſt. 18. ad Joan. Conſtantinopol. Et quamvis alio ſenſu concedi potuiſſet, ut ſcilicet intelligeretur ideo vocari Epiſcopus univerſalis, quod haberet ſolummodo jurisdictionem in maximam orbis partem: tamen ob cautelam, ne videlicet quis nomen iſtud in perverſum ſenſum defleċteret, & quia tunc quæſtio erat, an etiam Conſtantinopolitano Epiſcopo concedi poſſet, non vero, an concedi poſſet Romano Pontifici: ideo S. Gregorius nomen illud omnino ſupprimendum exiſtimavit, ad melius & efficacius reprimendam Joannis ſuperbiam: quamvis certum eſſet, id Romano Pontifici in ſenſu Catholico convenire, quatenus nempe ſupremam in omnes totius Orbis Chriſtiani Epiſcopos & Eccleſias authoritatem & jurisdictionem poſſidet.

Præterea, cum Epiſcopi Conſtantinopolitani nomen iſtud uſurpare pergerent, tandem anno 606. obtinuit Bonifacius II. a Phoca Imperatore, ut illud non amplius ſibi arrogarent Epiſcopi Conſtantinopolitani, ſed uni tribueretur Romano Pontifici, teſte Anaſtaſio Bibliothecario in Bonifacio, & Paulo Diacono L. 4. de geſtis Longobardorum.

Ipſe quoque Gregorius univerſalem jurisdictionem in totam Eccleſiam alibi & exercuit, & aſſeruit: ſic L. 7. Epiſt. 63. ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum ſcribit de Conſtantinopolitana Eccleſia, quæ maxime conabatur ſubtrahere ſe jurisdictioni Romani Pontificis: *Quis eam dubitet Apoſtolicæ Sedi eſſe ſubjectam? quod & Dominus piiſſimus Imperator, & frater noſter Euſebius, ejuſdem Civitatis Epiſcopus aſſidue profitetur.* L. 7. indict 2. Epiſt. 69. ait: *Sine Apoſtolicæ Sedis authoritate atque conſenſu*

consensu quæcunque acta (in Synodo) *nullas vires habent.* Et in Psal. 4. Pœnitentialem: *Simoniacus Rex in tantum suæ temeritatem extendit vesaniæ, ut NB. Caput omnium Ecclesiarum, Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in Domina gentium terrenæ jus potestatis usurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc specialiter B. Petro Apostolo commisit, dicens: Tibi dabo Ecclesiam meam.*

Objic. 7. Idem S. Gregorius in Epistola superius citata ait, Petrum esse Ecclesiæ membrum, & non caput: ergo non est caput. ℞. Eo modo negat S. Gregorius, Petrum esse caput Ecclesiæ, quo Christus Ipse illius caput est, nimirum independens, primarium: Non vero negat, Petrum esse caput Ecclesiæ visibile, secundarium, ministeriale, & a primario dependens. Est Petrus membrum, sed præcipuum: nam & caput in corpore humano est etiam membrum, sed præcipuum. Nota: in Concilio quarto Generali Calcedonensi sexcentorum triginta Patrum in Act. 1. 2. 3. Leo Romanus Pontifex vocatus est *universalis Ecclesiæ Pontifex.* Pariter adverte, S. Cyprianum L. de unit. Eccles. asserere, omnes Episcopos esse pares ratione consecrationis Episcopalis, non vero ratione Jurisdictionis, primatus, & totius Ecclesiæ capitis.

Objic. 8. Pontifices Romani abundant divitiis, & incedunt magna pompa: ergo non succedunt Petro pauperi & humili. ℞. Divitiæ, & apparatus externus Pontificum est res plane indifferens, nec variat, aut vitiat officium Pastorale: imo opulentia & splendor tantæ Personæ plurimum congruit ad retundendos hostes Ecclesiæ. Sicut Christus voluit ab initio Ecclesiam tueri, & propagare mediis spiritualibus, miraculis, Martyribus, ita nunc Ei placet hoc præstare mediis naturalibus. Imo gloriam externam Ecclesiæ Christianæ prædixerunt Prophetæ. Sic Isai. 49. *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Neque objicias, aliquos Pontifices fuisse valde sceleratos; non enim Sanctitati Personæ alligavit Deus regimen Ecclesiæ, sicut nec probitati Ministri administrationem Sacramentorum. Dein multa scelera tantum affingunt Sectarii Romanis Pontificibus, quæ nullatenus probant.

Objic. 9. Paulus loquens de potestate Principum sæcularium ait: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* ergo etiam Pontifex Romanus, qui proinde non est supremus gubernator omnium fidelium. ℞. S. Paulus ibi non loquitur determinate de una potestate sæculari, sed generatim de omnibus Superioribus, inter quos summus omnium est Papa. Exemplum quidem subjungit de Principe sæculari,

ri, quia tunc Christiani erant accusati alicujus criminis politici, nempe seditionis.

Objic. 10. Leo IV. Papa petiit a Ludovico Imperatore Judices, quibus se obtemperaturum promisit: ergo agnovit Cæsarem suum Superiorem, & hujus judicio se submisit. ℞. N. c. Leo se subjecit solum judicio Imperatoris discretivo, quod sine jurisdictione exercetur, non vero coactivo.

Objic. 11. Adrianus I. Carolo Magno, Leo VIII. Ottoni I. concesserunt jus eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apostolicam: ergo. ℞. Adrianus & Leo concesserunt duntaxat Imperatori facultatem confirmandi electionem Pontificis per *defensionis* assistentiam, non per *jurisdictionis* potestatem, quia tunc indigebat Sedes Apostolica Imperatoris auxilio & præsidio contra Longobardos, & alios inimicos. Si quidam Imperatores per præpotentiam suam sibi arrogassent jurisdictionem confirmandi summum Pontificem, injuste egissent, nec Ipsis id ab ullo Pontifice concedi potuisset.

Objic. 12. Varii Imperatores deposuerunt Pontifices, & alios substituerunt, nominatim Henricus IV. dejecit Benedictum X., & substituit Nicolaum II. ergo Imperatores, non Episcopi Romani habent summam in Ecclesia potestatem. ℞. Omnes illi Cæsares, qui attentarunt deponere Pontifices Romanos, pessime egerunt, præsertim Henricus IV. Interim ex Imperatoribus Otto I., & Henricus III. aliquo modo excusantur, quorum prior Joannem XII. sceleratum, & intrusum Pontificem pio quidem zelo, sed non secundum scientiam deposuit, alter vero Gregorium VI. non deposuit, sed persuasit, ut sponte cederet.

Verum est, Imperatores aliquos nimiam, & non competentem arrogasse sibi authoritatem in S. Pontificem: quippe postquam Herulorum, & Italiæ Reges, cumprimis Odoacer, & Theodoricus Arianus turbare cœperunt electionem liberam Romani Pontificis, postmodum Reges Gothorum, tandem etiam quidam Imperatores Romani, ut Justinianus, malum illorum exemplum sunt secuti, qui electos Pontifices tyrannice coëgerunt, confirmationis titulo certam summam pecuniæ solvere: quam tamen prætensionem, ut iniquam, iterum abrogarunt alii Imperatores, nempe Constantinus Barbatus, Ludovicus Pius &c. Et cum postea anno circiter 963. Otto Magnus, ejusque filius Junior has tricas resuscitarent, iterum eas abrogavit S. Henricus ex Duce Bavariæ Imperator. Et hæc Imperatorum attentata potestas multas turbas inter potestatem Ecclesiasticam, & politicam excitavit, dum Imperatores suos clientes per vim intrudebant, quos

quos Clerus Romanus recusabat: donec tandem Cardinalium cœtus prævaluit, circa annum Christi 1143. libere eligendo Cælestinum II.

Nec obest Can. *in Synodo* 23. Dist. 63. ubi Gratianus refert, potestatem eligendi Pontificem Romanum esse datam, aut restitutam Ottoni I. in Concilio Romano. Nam hæc concessio fuit illegitima: tum, quia Concilium non erat legitimum: tum, quia Leo ille erat octavus Pseudo-Papa.

Objic. 13. Ipse Paulus appellavit ad Cæsarem: ergo. ℞. D. a. appellavit ad Cæsarem tanquam defensorem contra vexationes Judæorum c. a. tanquam ad suum Judicem n. a. Appellavit ad tribunal Cæsaris tanquam asylum, & quia Judæi, contra quos agebat, alium Judicem non agnoscebant.

Objic. 14. Papa est Antichristus: ergo non succedit Petro. a. p. quia Papa ostendit se tanquam Deum, extollit se super Imperatores, & omnem potestatem humanam. ℞. N. a. vel Sectarii, qui insulsa hac, qua S Pontificem afficiunt, contumelia rudem plebem decipiunt, nomine Antichristi intelligunt omnes, qui adversantur Christo, falsa docendo, aut Ecclesiam persequendo, ut fuerunt hæretici, de quibus S. Joannes dicit: *Nunc Antichristi multi sunt?* & tunc non Papa, sed Illi, Lutherus, Calvinus, & eorum asseclæ, qui ab Ecclesia egressi novam doctrinam cudunt, seu omnes Apostatæ sunt, & ab Joanne vocantur Antichristi, quia mox citatis verbis subdit: *Ex nobis prodierunt* (ab Ecclesia defecerunt) *sed non erant ex nobis.* Vel intelligunt nomine Antichristi quosvis perversos homines, magni Antichristi præcursores? sed & hos facilius apud se ipsos, quam nos invenient. Vel denique nomine Antichristi intelligunt illum magnum, quem Judæi recipient Joan. 5. qui tribus annis cum dimidio persequetur Ecclesiam Dan. 7. & Apoc. 12. quem Paulus vocat hominem peccati, non venturum, antequam dissolvatur Romanum Imperium, 2. Thessal. 2. qui primum veniet in fine mundi, Matth 24. qui negabit Jesum Christum, 1. Joan. 2. qui se asseret verum Messiam, Joan. 5. qui coli cupiet pro Deo, 2. Thessal. 2.? Et iste Antichristus evidenter non est Papa; quia Papa non est persona singularis, sed sunt plures, continua serie sibi invicem succedentes: quia Papa non affirmat, se esse Messiam, aut Deum: nullus etiam adhuc negavit, nec negabit Christum. Ad prob. calumniosam dico, non Papam se extollere, sed extolli a Christo supra omnem potestatem humanam.

Objic. 15. Papa suis imprimit characterem Antichristicum per Sacramentum Confirmationis: item sedet *in Templo Dei:* ergo habet signa Antichristi. ℞. N. a. Character Antichristicus erit sensibi-

lis, omnibus ſuis ſequacibus neceſſarius, ut emere queant, & vendere, Apoc. 13. & 14. Talis non eſt unctio Chriſmatis, nec alius ritus Pontificius. Per *Templum Dei* Paulus non intelligit Eccleſiam Chriſti, ſed templum Jeroſolymitanum, quod ad hanc impietatem reſtaurabitur, ut dicunt interpretes in cap. 9. Danielis.

142. Pro coronide hujus articuli obſerva, Poteſtatem ſupremam Jurisdictionis Pontificem Romanum immediate accipere a Chriſto, non ab Eccleſia, vel hominibus. Ratio hujus eſt 1. quia ita docet Pius II. in Bulla Retractat. ubi ait: *quamprimum autem electus eſt Pontifex Romanus, ſupremam a Deo poteſtatem ſine medio conſequitur.* 2. Vicarius immediate accipit ſuam poteſtatem ab eo, cujus eſt Vicarius: atqui Pontifex Romanus eſt Vicarius Chriſti: ergo immediate a Chriſto accipit ſuam poteſtatem. 3. Omnis poteſtas datur vel a Superiore, qui in præſenti eſt ſolus Chriſtus, vel a multitudine, quæ talem poteſtatem habet: atqui multitudo & membra Eccleſiæ non habent poteſtatem iſtam regendi ſe per modum capitis; hæc enim poteſtas ſuprema capitis non eſt a Chriſto relicta univerſali Eccleſiæ, vel reliquis fidelibus, ſed ſoli Petro, ejusque Succeſſoribus: ergo Pontifex accipit poteſtatem ſuam a Superiore, nempe Chriſto. Quare electio Pontificis Romani eſt tantum deſignatio, & præſentatio Perſonæ, ac conditio prævia, qua poſita Deus Ipſe largitur poteſtatem ſupremam.

ARTICULUS XII.

Quid ſit ſentiendum circa fabulam illam de Joanna Papiſſa?

Nota. Hanc eſſe fabulam apud Hæreticos decantatam, ut per eam Sedem Apoſtolicam ipſis adeo odioſam, & intolerabilem poſſint commaculare, & denigrare palpabili calumnia. Dicunt ergo, fœminam (Joannam vocant) circa annum Chriſti 850. S. Leoni IV. ſucceſſiſſe in ſolio Pontificio ante Benedictum III., & in eo ſediſſe annis duobus, quinque menſibus. & quatuor diebus. Itaque

143. Aſſero: Hæc Hæreticorum relatio eſt impudens, & mera fabula. Ita Critici melioris notæ modo omnes. P. A. Anaſtaſius Abbas, Bibliothecarius Apoſtolicus, vir græce, latineque doctus, Scriptor antiquus, vivens circa annum 850., adeoque rei narratæ (ſi vera eſſet) coævus, qui Pontificum vitas a S. Petro ad Nicolaum uſque I. ſcripſit, aſſerit ut oculatis teſtis, poſt Leonis IV. obitum quindecim diebus duntaxat vacaſſe S. Sedem, hisque prætcritis ſtatim communi conſenſu in Romanum Pontificem creatum eſſe Benedictum III.

ergo

ergo inter Leonem neque Papa, neque Papiſſa intermedia fuit, minus duobus annis regnavit: ergo eſt mera fabula, ex odio in Romanos Pontifices ab eorum inimicis Hæreticis confiꝯa.

P. 2. Ado Viennenſis Archiepiſcopus eodem tempore, quo ſediſſe fingitur Joanna Papiſſa, florens in ſuo Chronico ad annum 865. ſcribit Leoni IV. immediate ſucceſſiſſe Benedictum III. ait enim: *Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque ejus loco Sergius ordinatur, illo defuncto ſuccedit Leo, quo obeunte Benedictus in Sede Apoſtolica ſubſtituitur:* ergo non niſi fabuloſa eſt ſucceſſio Joannæ inter Leonem & Benedictum.

P. 3. Clariſſimo teſtimonio Hincmari antea ad S. Dionyſium prope Pariſios Monachi, poſtea Rhemenſis Archiepiſcopi illis ipſis temporibus celeberrimi, & Romanis Pontificibus notiſſimi. Hic enim refert, & aſſerit Epiſt. 26. ſe nuncios miſiſſe Romam cum literis ad Leonem IV. in Romana tunc ſedentem cathedra, ipſosque ſua pergentes in via audiiſſe nuncium de Leonis obitu, Romam autem cum præfatis literis pervenientes inveniſſe Benedictum III. Leonis Succeſſorem jam electum, & ab eo privilegium, cujus cauſa venerant, eſſe conſecutos: ergo certum eſt, non fluxiſſe duos annos cum menſibus quinque & quatuor diebus a Leonis obitu uſque ad Benedictum III., ſed hunc illi ſtatim ſucceſſiſſe abſque alio intermedio.

P. 4. Nicolaus Magnus hujus nominis I., & Benedicti III. Succeſſor proximus Epiſt. 46. ad Sueſſionenſis Concilii Patres data anno 866. idem pariter, quod priores, teſtatur, & dicit, Leoni defuncto ſucceſſiſſe S. m. Benedictum, quod ſine dubio bene noverat Nicolaus ipſe Benedicti Succeſſor immediatus. Addunt genuini Critici, narrationem vel ex hoc capite fabuloſam eſſe, quia non ſibi cohæret; non enim, qui referunt, poſſunt dicere, quænam fuerit patria hujus fœminæ: alii volunt fuiſſe Anglicam, alii Moguntinam. 2. Dicunt, Athenis eam literis operam dediſſe, cum tamen eo tempore nihil de Athenis, quam nomen, & de jacente Academia ſola fama ſuperfuerit: ſiquidem S. Syneſius Ptolemaidis Epiſcopus, vir ſanctitate & eruditione clarus, in Epiſtola ad fratrem ſuum ultima ſcribat, ſua ætate, id eſt, jam anno circiter 420. Athenas ſplendidum habere nihil præter celeberrima locorum nomina: ergo neque exſtitere tempore fabuloſæ hujus Papiſſæ circiter anno 850. 3. Sunt plura alia, quæ in hac relatione minime videntur convenire veritati, ſed omnia fabulam & figmentum ſapiunt: ergo ut fictio eſt rejicienda.

Diluuntur Objectiones.

Objic. 1. Noſtra argumenta ex ſilentio Scriptorum deducta ſunt mere negativa: ſed argumenta negativa non ſunt alicujus pon- 144.

deris: ergo. ℞. D. M. sunt mere negativa n. M. sunt mixta positivis c. M. Nostrum argumentum est etiam positivum, quia nostri Scriptores referunt aliquid positivum incompossibile cum illa fabula, nempe immediatam Successionem Benedicti III. post Leonem IV.

Objic. 2. Ipsa publica authoritate rei hujus turpissimæ memoria fuit suppressa, & gravissime prohibitum, ne literis mandetur: ergo non est mirum, quod Synchroni Scriptores nil de ea scripserint. ℞. N. a. quod gratis confingunt hæretici. Undenam ergo subsequentium sæculorum Scriptores notitiam rei gestæ hauserunt, si nulli licuit de ea scribere? quisnam ille ex antiquis, qui factæ prohibitionis meminit? Divinatio itaque est & conjectura Adversariorum, quæ nil probat.

Objic. 3. Ipsi Catholici Scriptores nominatissimi, ut Marianus Scotus Benedictinus, Sigebertus, Martinus Polonus, Vincentius Bellovacensis, & alii plures rem hanc diserte narrant: ergo meretur fidem. ℞. N. c. Hi & similes Authores non merentur majorem fidem, quam Synchroni Anastasius, Ado Viennensis, Hincmarus, & Nicolaus I. Præterea Benedictus XIV. in præclaro opere de Serv. Dei Beatif. L. 3. c. 10. n. 4 Marianum Scotum, & Martinum Polonum vindicat, contendens, invictis argumentis posse demonstrari, quod neuter hanc historiam notaverit; propterea signat antiquissima eorum manuscripta, in quibus nec vestigium hujus historiæ detegitur: unde infert Sapientissimus Pontifex, hanc historiam procedente primum tempore scriptis Martini, & Mariani ab hæreticis assutam fuisse in odium Sedis Romano-Apostolicæ. Sigebertum & Vincentium eadem ratione defendit clarissim. Gravesonius.

Objic. 4. Anastasius allegatus male dicitur conscripsisse vitas Pontificum; nam hoc opus, quod sub ipsius nomine circumfertur, probabilius est partus diversorum Anonymorum, quem Formosus Pontifex sub nomine Damasi continuavit: ergo ex Authoritate Anastasii in contrarium nihil evincitur. ℞. N. a. Paucissimi sunt, qui opus citatum abjudicant Anastasio. Onuphrius in Notis ad Platinam hæc scribit: *Ad Nicolaum I. usque Romanorum Pontificum vitas, quæ adhuc apud me sunt, scripsit Anastasius Monachus S. R. E. Bibliothecarius: quæ sequuntur, consignavit Guilielmus quidam alter Bibliothecarius, quæ in libro, qui sub Damasi nomine circumfertur, exstant.* Si pars illa hujus operis a Nicolao I. incipiens adscribatur quibusdam aliis, facile conceditur: sed non sic totum opus, & etiam priora aliis adjudicentur. Insuper dato, non concesso, quod totum opus non sit Anastasii; nihilominus verum est, quod sit antiquitate clarum: unde adhuc a nostris

stris partibus stat, quia post Leonem IV. statim ponit Benedictum III. Successorem.

Objic. 5. Romæ stetit olim statua marmorea, cujus erigendæ hæc causa fuit. Joanna Papissa a suo familiari sexus ejus conscio, & Amasio vitiata, & imprægnata, solenni supplicationi in vestibus Papalibus adfuit: cumque jam partui proxima esset, in via publica, quamvis præter omnem spem, peperit. Hoc, ut posterorum memoriæ continuo traderetur, erecta est statua in loco partus, quam tamen Pontifices removerunt, adeo, ut in detestationem facti etiam eam viam declinent, licet eam alias semper ivissent, quoties e Vaticano ad Lateranum pergebant.

℟. N. a. & Relationem istam. Certe rem hanc propudiosam Summis Pontificibus, & Sedi Apostolicæ, si contigisset, SS. Pontifices Successores per erectionem statuæ non curassent memoriæ commendari, præsertim si verum est (ut contendunt Adversarii) severissime fuisse prohibitum, ne in Scripturis ejus mentio fieret. Nec statua illa mulierem repræsentabat, sed virum grandem, & puerum grandiusculum, non recens natum infantem, qui illum præcedebat: unde colligunt viri in explanandis rebus vetustis versati & eruditi, non Papæ, non Papissæ fuisse statuam, sed antiqui cujusdam Ethnici Sacerdotis ad sacrificium cum suo Ministro tendentis. Ita Annatus. Summi Pontifices declinant illam viam, quia angustam nimis, & anfractuosam, & sic Pontificio comitatui, plerumque numeroso, minus facilem, & aptam, non autem ob rationem in objectione propositam.

Objic. 6. Ad similem errorem in creatione Pontificis evitandum, solet novus Pontifex ad sedem perforatam applicari, & ab ultimo Diacono sexus explorari: ergo supponitur antecedenter hic error factus, & fœmina sedisse in solio Papali. ℟. N. a. Non ad similem vitandum errorem, vel sexum explorandum in sede vili & humili, ac perforata collocatur novus Pontifex, sed ut recordetur, se de humili loco ad summum esse evectum honoris fastigium, nec tamen a necessitatibus, ac miseriis humanis liberari: unde dum in ista ignobili sede ponitur, decantatur illud 1. Reg. 2. ℣. 8. *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Eo ferme modo, quo in ipsa solenni coronationis pompa, dum e Sacristia per Ecclesiam tendit ad altare, in signum brevi durantis gloriæ hujus mundi, ter stupa in arundinis apice consulto parata solet coram S. Pontifice comburi, & tritum illud acclamari: *Sancte Pater! sic transit gloria mundi.*

ARTICULUS XIII.

An S. Marcellinus unquam thus adoleverit Idolis Gentium?

Nota ſequentia ex Breviario Romano, in quo ad diem 26. Aprilis legitur: „Marcellinus Romanus in immani illa Diocletiani Im„peratoris perſecutione terrore perterritus, deorum ſimulacris thus „adhibuit: cujus peccati mox illum tantopere pœnituit, ut Sinueſ„ſam ad Concilium plurimorum Epiſcoporum (dicunt fuiſſe trecen„tos) venerit cilicio indutus, ubi lacrymis profuſis ſcelus ſuum pa„lam confeſſus eſt. Quem tamen damnare auſus eſt nemo, ſed o„mnes una voce clamarunt: Tuo te ore, non noſtro judicio judica: „nam prima ſedes a nemine judicatur.„ Hæc Hiſtoria, licet Breviario Romano inſerta, ſuas patitur criſes. His poſitis ſequitur

145. Aſſertio Critica: S. Marcellinus Romanus Pontifex nunquam obtulit thus diis gentium: atque adeo relatio illa allegata non eſt authenticæ fidei. Ita ſobria Criſis.

P. 1. Mere hiſtorica meliore modo non poſſumus ſcire, quam ex Authoribus, qui rei geſtæ ſynchroni, vel proxime coævi alias accurate Eccleſiæ Hiſtoriam ſcripſerunt, quos inter non ultimi ſunt Euſebius & Theodoretus, ambo antiquiſſimi rerum Eccleſiaſticarum compilatores: ſed neuter horum, quamvis in Pontificum Hiſtoria ab ipſis relata vitam & geſta S. Marcellini notarint, ullibi mentionem facit de iſto prætenſo Marcellini lapſu, multo minus de Concilio Sinueſſæ celebrato: imo Theodoretus Marcellinum appellat *virum perſecutionis tempore magna gloria nobilitatum*, quod dicere non potuiſſet, ſi Ille tam turpem lapſum admiſiſſet, & tam imbellis fuiſſet animi: ergo.

P. 2. Relata de S. Marcellino Hiſtoria jam ſæculo IV. ut figmentum hæreticorum, & ut deſtituta omni ſolido fundamento fuit exploſa: ergo & nunc veluti merum commentum repudiari poteſt, & debet; ſiquidem melioris notæ Critices regula eſt, quam adſtruit noſter Fortunatus de Brixia Tom. 1. p. 2. art. 4. *facta antiqua per teſtes coævos, vel proxime coævos probari debent: nam ſecus aut fabuloſa ſunt, vel quam maxime dubia; hinc factum antiquum, cujus nullam plane mentionem faciunt Scriptores, qui illud non ſolum potuerunt, verum etiam notare debuerunt, ſi contigiſſet, pro fabuloſo habendum eſt, & inde Scriptori a tempore rerum geſtarum nimium remoto non eſt fides adhibenda, niſi alleget alios geſtis ſat propinquos.* Qui cum in præſenti Hiſtoria allegari nequeant, non video, cur ei priſcis & propinquis incognitæ fidem præſtemus.

A. prob.

A. prob. ex S. Auguſtino, cui Donatiſtæ, peſſima ſæculi IV. ſecta, ſæpius objecerunt hunc S. Marcellini lapſum, S. Pater vero continuo eos provocavit ad probandum, cumque probare non potuiſſent, *calumniatores* dixit. Audiatur S. Doctor contra Petilianum Donatiſtam L. de un. Baptiſ. c. 16. ita ſcribens: *Lapſum Marcellini Donatiſtæ Catholicis objecerunt, ſed crimen commiſſum hactenus non probaverunt - - - quid jam opus eſt, ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilitatis calumniis infectatus eſt Petilianus, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus - - - traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur. Sed nunquid ideo convincuntur? aut convicti aliqua documentorum firmitate demonſtrantur? Ipſe ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit, ego* INNOCENTES *fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cum ille nec* TENUITER *probare conatus ſit accuſationem ſuam?*

Ex his S. Auguſtini verbis patet 1. Donatiſtas ei objeciſſe lapſum S. Marcellini. 2. Illos provocatos a S. Auguſtino nec *tenuiter* potuiſſe probare hunc lapſum. 3. S. Marcellinum ab Eodem *innocentem* pronunciari: ergo ætate S. Auguſtini, id eſt, ſæculo IV. hæc Hiſtoria jam velut figmentum, omni ſolido fundamento deſtitutum, exploſa fuit. Certe Donatiſtæ, ſi factum tunc probare potuiſſent, labem calumniatorum ipſis impactam conveniente a ſe, ſi potuiſſent, probatione amoviſſent.

P. 3. Concilium Sinueſſanum eſt merum commentum; nam non eſt verum, quod hoc Concilium fuerit habitum in civitate Sinueſſa, aut in hujus civitatis Cleopatrenſi crypta; Civitas enim Sinueſſa eſt omnibus ignota, nec veſtigium ejus apparet apud Scriptores ſeu Eccleſiaſticos, ſeu profanos. 2. Incredibile eſt, tunc tempore perſecutionis vehementiſſimæ, in qua Epiſcopi latibula debuere quærere, trecentos Epiſcopos conveniſſe, & vix non tot, quot a Conſtantino Magno, maximopere cooperante, in maxima Eccleſiæ pace Nicææ fuere coacti. 3. Dicuntur P. P. acclamaſſe Marcellino: *Prima ſedes a nemine judicatur, Tu te ipſum judica.* Si hoc verum: ad quid tantus numerus Epiſcoporum cum vitæ diſcrimine debuit convenire? Taceo alia, quæ obſervant Critici in hac relatione minus cohærentia: ergo tota relatio de hoc Concilio & lapſu eſt ſuſpectæ fidei.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Lapſum Marcellini refert Breviarium Romanum: ergo eſt verus. ℞. N. c. Pro dilucidatione hujus negationis, quæ videtur authoritati Breviarii Romani aliquantum detrahere, advertendum eſt, triplicis eſſe generis ea, quæ in Sanctorum feſtis referunt vel Brevia- 146.

Breviarium, vel Martyrologium Romanum. Aliqua ſunt deprompta ex SS. Scripturis, & hæc fidem exigunt alias Divinæ debitam authoritati: alia recitantur ex Homiliis, & Sermonibus SS. P. P., quibus tanquam Eccleſiæ Magiſtris omnis pariter debetur reverentia, minor tamen ea, quæ Verbo Divino propria eſt: quædam denique e Sanctorum Vitis, & Hiſtoriis depromuntur, & hæc petunt duntaxat fidem humanam, quibus ex gravi fundamento contradicere ſine nota temeritatis licet. Conſulatur opus egregium Sapientiſſimi Lambertini poſtea S. Pontificis Benedicti XIV. de Servorum Dei Beatificatione L. 4. p. 3. c. 13. n. 3. ubi ita ſcribit: *videtur equidem tuto pede aſſeri poſſe, non modicum authoritatis pondus factis hiſtoricis accedere, quæ relata ſunt, & approbata in Breviario Romano; attamen ita, ut vetitum exiſtimari non poſſit, debita cum modeſtia, & gravi fundamento, quæ occurrunt in factis hiſtoricis, difficultates exponere, easque judicio Sedis Apoſtolicæ ſupponere, ut eorum veritatem & robur perpendat, ſi quando iterum manus admoveatur ad Breviarii Romani correctionem.*

Huc etiam faciunt, quæ in Diſſertatione de Reliquiis S. Bartholomæi affert Vincentius Maria Urſini poſtea Benedictus XIII. ita ſe habent: *Maximæ quidem eſt authoritatis Breviarium Romanum in iis, quæ per ſeſe ad cultum Eccleſiaſticum pertinent: minoris tamen ponderis eſt in privatis factis aut geſtis, quæ in vita Sanctorum ex occaſione referuntur, ita, ut efficax exinde argumentum peti non poſſit, ubi præſertim antiquiora monumenta adverſantur; nec enim Eccleſia ipſa, quæ iis utitur, inconcuſſæ, infallibilisque veritatis judicat, quæcunque Breviariis ſuis ſunt inſerta, cum multoties pro variis temporibus ex occaſione ea mutaverit, correxeritque.* Melchior Canus etiam attendi meretur, qui L. 5. c. 5. ita loquitur: *Non ſat eſſe, ut Conciliorum & Pontificum judicia firma eſſe credantur, in divino officio, a tota etiam Eccleſia celebrari. Nec enim Hiſtoriæ, quibus Martyrum & Confeſſorum geſta narrantur, quamvis per ſummum Pontificem, aut Concilium approbata ſint, fidei decreta ſunt.*

Igitur magna quidem Hiſtoriis accreſcit authoritas, quando officio Eccleſiaſtico per S. Congregationem permiſſo inſeruntur: quod vero ſic inſertis falſum ſubeſſe nequeat, quodque earum veritas in dubium vocari non poſſit, aut ab illis ob graves rationes diſſentire non liceat, nec Ipſe quidem Pontifex, aut S. Congregatio prætendunt. Etenim hujuſmodi hiſtoriæ in Breviario, aut Martyrologio Romano nequaquam ponuntur, ut fide divina credendæ, neque tanquam res infallibiles, ſed ut credibiliter geſtæ feruntur, donec aliquid ſolidi in contrarium producatur, quod S. Pontificem aut S. Congregationem inducat, ut in alia Breviarii aut Martyrologii recognitione cenſeat

omittenda:

omittenda: quamquam in Martyrologio Romano nulla Marcellini lapſus fiat mentio, in quo alias Sanctorum acta etiam probroſa, per pœnitentiam deleta, ſolerter referri ſolent. Itaque Eccleſia non ademit facultatem, in ſimilia Breviario & Martyrologio inſerta ulterius inquirendi, &, ſi veritas pateat, ea penitus negandi.

Objic. 2. Quod Breviarium refert, hoc ipſum legitur in S. Marcellini vita, quæ ſcribitur in antiquiſſimo codice tempore Juliani Imperatoris exarato, & primum nuper ab Henſchenio & Papebrochio edito: ergo. ℞. N. c. Ille codex non habet majorem authoritatem, ac S. Auguſtinus. Hic S. Marcellino non multum poſterior rotunde negavit totam iſtam hiſtoriam. Ergo potius cum iſto ſentiamus, quam deferamus codici dubiæ authoritatis, de quo non conſtat, an S. Auguſtino vetuſtior, an junior ſit.

Objic. 3. Liber Pontificalis, qui vulgo Damaſo adſcribitur, hæc habet: *quo tempore fuit perſecutio magna —— & Ipſe Marcellinus ad Sacrificium ductus eſt, ut thurificaret, quod & fecit, & poſt paucos dies pœnitentia ductus ab eodem Diocletiano pro fide Chriſti —— capite truncatus eſt, & martyrio conſecratus:* ergo &c. ℞. C. a. N. c. Liber hic Pontificalis in iſta hiſtoria refert, incredibilia intra paucos dies contigiſſe, nempe commiſſum crimen thurificationis, ejus retractationem coram Concilio, quod Sinueſſæ civitate Campaniæ, ut vult Cabaſſutius nobis contrarius, a trecentis Epiſcopis celebrabatur, & reditum ad Diocletianum, quomodo ergo intra paucos dies potuerunt congregari trecenti Epiſcopi tempore maximæ perſecutionis, Marcellinus Sinueſſam in Campania Roma proficiſci, inde redire ad Diocletianum, coram ipſo fidem profiteri, & martyrio affici? quomodo hæc paucis diebus potuere fieri, quæ non ſolum menſes, ſed & annos plures exigunt? Tota ergo hæc relatio ſubleſtæ eſt fidei, & prævalet teſtimonium D. Auguſtini a nobis adductum, cui ſimilia opponi non poſſunt. Præterea teſte Schelſtratio de Libri Pontificalis authore, an fuerit re ipſa S. Damaſus, nihil certi habemus.

Objic. 4. Ex noſtris Authoribus nihil ſolidum deducitur. Sic 1. Euſebius Concilium Nicænum, & damnationem Arii ſolum oſcitanter attigit. 2. Auguſtinus etiam ignoravit Concilium Sardicenſe eodem ſæculo celebratum: ergo. ℞. ad 1. Hiſtoria Euſebii omnium eruditorum calculo probatur, excepto, quod in cauſa Ariana, cui nimium favebat, forte non adeo ſincerus fuerit: quæ ratio non urget pro aliis, præſertim pro lapſu Marcellini. Dein etiam S. Auguſtinus & Theodoretus hiſtoriæ huic Marcellini adverſantur. 2. S. Auguſtinus, licet aliquando ignoraverit Concilium Sardicenſe, illud tamen nul-

nullibi ea negavit fiducia, qua lapſum Marcellini: quin imo per ſedulam veritatis inquiſitionem notitiam Concilii accepit, non autem lapſus Marcellini, quamquam Donatiſtas ad eum probandum provocaverit.

Objic. 5. Nicolaus I. in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem data ſic ſcribit: *Tempore Diocletiani, & Maximiani Auguſtorum Marcellinus Epiſcopus Urbis Romæ, qui poſtea inſignis Martyr effectus eſt, adeo compulſus eſt a Paganis, ut in templum eorum ingreſſus, grana thuris ſupra prunas poneret. Cujus rei gratia collecto numeroſorum Concilio Epiſcoporum, & inquiſitione facta, hoc ſe idem Pontifex feciſſe confeſſus eſt; nullus tamen eorum in eum ſententiam proferre auſus eſt:* ergo. ℞. N. c. Nicolaus I. primum ſæculo IX. Pontifex remotior fuit a Marcellino, quam S. Auguſtinus, qui totum factum conſtanter negat. Nicolaus igitur bona fide in referendo facto erravit, & deceptus eſt, plus intentus in popularem famam tunc temporis accuratiore criſi deſtitutam: ut proin tolerabilius videatur, S. Nicolaum arguere paſſivæ deceptionis circa factum, quam S. Marcellinum Idololatriæ. Adde, eundem Nicolaum teſte Alexandro Natali in citata Epiſtola allegare acta cujusdam pſeudo Synodi ſub Sixto III. in cauſa Polycronii Hieroſolymitani Epiſcopi celebratæ, quam tamen Synodum nullam fuiſſe agnoſcit, oſtenditque Baronius. In rem præſentem quoque faciunt dicta Melchioris Cani L. 21. c. 3. ubi ait: *In maximo illi errore verſantur, qui rerum geſtarum memorias tanquam oracula accipiunt, ſi eas in Epiſtolis & Decretis ſuis Pontifices aliquando uſurpant. Non eſt idem, crede mihi, hiſtoriæ uſurpatio, & approbatio: utitur quidem interdum Pontifex, ſi quidquam ſuadere cupit, receptis opinionibus, ſententiis, rebus vulgatis; at non continuo, quæcunque in hunc uſum attulerit, ex Sedis Apoſtolicæ judicio probat. Aliud quippe eſt ſuadentis munus, aliud definientis: qui pronunciat, res veras ille adfert; qui ſuadet, nonnunquam veriſimiles.*

Eſſent hic adhuc aliqua, quæ SS. Pontificibus affinguntur, examinanda: ſed conſulto ad peculiares Tractatus, ut de SS. Trinitate, Incarnatione, Sacramentis transferuntur, ubi cum materiis connexis utilius excutientur. Nunc vero ad quæſtionem ſumme notandam accedimus.

ARTICULUS XIV.

Utrum S. Pontifex e cathedra loquens ſit infallibilis?

Hic Articulus in plures ſecabitur paragraphos, ut pro ſua dignitate tractari valeat.

§. I.

§. I.

Prænoſcenda præmittuntur.

Præmitto itaque 1. Pontificem e cathedra loqui, idem eſſe, ac eum tanquam Doctorem & Magiſtrum a Chriſto conſtitutum alloqui Eccleſiam ſibi creditam, proponendo illi, quæ ab omnibus infallibiliter credenda, aut obſervanda ſunt. Ad hoc autem, ut Pontifex loquatur e cathedra, non ſufficit, ſi quid obiter, veluti ad explicandum, innuat in materia fidei, vel morum, ſed requiritur, ut re bene perpenſa, & cum Theologis, ac Prælatis, & Eminentiſſimis Cardinalibus (qui ad ſolicitudinem pro Eccleſiæ regimine adſciti, cum S. Pontifice ſe habent ſimul omnes ut quoddam Concilium, aut ſaltem ſupplent illud, ut loquitur Boucat) examinata definiat, vel approbet aliquid tanquam credendum, vel obſervandum indubitanter a tota Eccleſia; alias enim non videtur loqui ut Doctor univerſalis cum aſſiſtentia Spiritus Sancti, quæ ſola videtur promiſſa Pontifici ſub ea conditione, quod prævia matura deliberatione aliquid decernat, aut definiat, ut non temere loquatur. Præter maturam deliberationem multis etiam diebus ad Deum fundi preces debent, Sacrificia offerri, adhiberi jejunia &c. Si vero ſine matura conſultatione &c. aliquid definiret, nonnulli affirmant, ipſum errare poſſe, quia putant, in hoc caſu defuturam Spiritus S. aſſiſtentiam: alii negant, exiſtimantes, Spiritus S. aſſiſtentiam fuiſſe univerſim absque ulla reſtrictione promiſſam, ne hæreticis, & aliis non vere chriſtiane ſentientibus detur anſa negandi ea, quæ definita ſunt, ex defectu debitæ conſultationis. Dicunt tamen alii verius, ad Providentiam Spiritus S. Eccleſiam regentis ſpectare, ut hujusmodi caſus, quo aliquid ſine debito examine & reliquis prærequiſitis definiatur, non contingat. 147.

Atque adeo dupliciter S. Pontifex conſiderari poteſt, nempe ut *Perſona & Doctor privatus*, & ut *Doctor univerſalis, & caput Eccleſiæ*. Nec hæc diviſio Pontificis in Perſonam privatam, & caput Eccleſiæ nova, aut gratis excogitata eſt. Omni tempore receptam fuiſſe, authores antiqui commonſtrant.

Ipſe Chriſtus hanc diſtinctionem ſat clare indicat, cum Scribis & Phariſæis obedientiam præſtari, eorumque doctrinam audiri juſſerit ideo ſolum, quia *ſuper cathedram Moyſis ſederunt*, diſtinguens inter perſonam privatam, & docentium. Perſonam privatam ſi deprehendimus errantem, noluit nos eam imitari: docentium vero doctrinam juſſit audiri & obſervari. Hinc PP. & Catholici DD. omnes, licet nunquam negarint, perſonam privatam Romani Pontificis variis infir-

mitatibus, defectibusque obnoxiam esse, constanter tamen asserue-runt ejusdem e cathedra docentis, & loquentis infallibilem & indubitatam authoritatem.

Ex his inferes, S. Pontificem, quando tantum aliquid asserit, vel etiam editis libris docet, non tamen ea intentione, ut obliget fideles, loqui ut hominem vel Doctorem privatum. Sic utique loquitur S. Gregorius in suis Homiliis, vel aliis libris: Item Innocentius III. Adrianus VI. in suis Theologicis, & Canonisticis lucubrationibus, quibus nemo infallibilem authoritatem attribuit.

148. Præmitto 2. Citra controversiam apud Catholicos esse contra Lutherum & Calvinum, authoritatem Pontificiam esse infallibilem, utpote assistentia Spiritus S. suffultam, in decretis fidei & morum, quæ sancit cum Concilio generali, seu tali, cui interesse possunt, imo & debent, nisi legitime impediantur, omnes totius orbis Episcopi: & huic nemo legitime præsidet nisi Romanus Pontifex vel per se, vel per suos Legatos: solus etiam Romanus Pontifex illud indicere potest. Hæc prævia assertio clare ex S. Scripturis colligitur. Matth. 16. dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Luc. 30. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Joan. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* His verbis juxta communem SS. P. P. interpretationem promissa est infallibilitas Ecclesiæ, atque adeo Vicario Christi cum Concilio generali decernenti: secus quomodo posset verificari, quod portæ inferi adversus Ecclesiam in Petro fundatam non possint prævalere, & quod Ecclesia sit 1. Timoth. 3. *columna & firmamentum veritatis?* 2. Semper ab omnibus tanquam dogma fidei habitum fuit, quodcunque a Pontifice aliquo cum, & in Concilio generali definitum est: notumque est ac celebre illud Gregorii Magni effatum: *quatuor prima Oecumenica Concilia* (nimirum Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense) *habenda esse perinde, ac quatuor Evangelia.* Atque in Professione fidei dicimus: *quæ a Sacris Canonibus & Conciliis œcumenicis definita sunt, indubitanter recipio, & profiteor.* 3. Ad dirimendas controversias in materia fidei & morum, debuit dari viva aliqua Regula visibilis, ut jam alibi dictum est, cum neque S. Scriptura sola, quia non raro obscura, neque etiam Traditiones, utpote passim valde dubiæ, sint sufficiens talis regula: atqui nulla est aptior quam Pontifex, saltem cum Concilio generali: ergo ea est infallibilis; alias non esset satis provisum Ecclesiæ.

Nec

Nec in hoc contrarius est S. Augustinus L. 2. de Baptismo c. 3. ubi solum tenet, Concilia anteriora identidem a posterioribus emendari vel circa quæstiones facti, vel circa leges pro varietate circumstantiarum mutandas.

149. Præmitto 3. Pontifices in & extra Concilium non esse infallibiles, dum decidunt aliquid circa quæstionem facti particularis, non connexi cum quæstionibus fidei, aut juris, nec revelati ex Verbo Dei scripto aut tradito; error enim in talibus si contingeret, non afferret grave incommodum Ecclesiæ, nec in istis promissa est Spiritus S. assistentia; plura de his, per decursum.

§. II.

Assertiones quædam.

150. Assero 1. Pontifex etiam extra Concilium, dum loquitur ex cathedra toti Ecclesiæ, in Decretis fidei & morum est infallibilis; communissima Catholicorum contra Sectarios, & modernos Gallos. Huc spectat propositio 29. ab Alexandro VIII. confixa, sic sonans: *Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

P. 1. Omnibus illis S. Scripturæ textibus, quos N. 148. adduxi, quibus Petro, ejusque Successoribus ex communi Patrum sensu promittitur assistentia Spiritus Sancti, adeoque etiam infallibilitas in decretis fidei, quæ requiritur ad rectam Ecclesiæ gubernationem, & perpetuam ejus conservationem, quin limitetur ad decreta fidei in Concilio generali; Petro enim absolute dicitur, ut confirmet fratres suos in fide, & quod super illum, non supra Concilium sit ædificanda Ecclesia, adversus quam portæ inferi non prævaleant. Ubi advertunt Th. Th. Christum Dominum hæc omnia locutum esse Petro soli coram aliis Apostolis, qui Ecclesiam seu Concilium repræsentabant; coram illis enim dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram &c.* ergo infallibilitas convenit soli Petro, & ejus Successoribus independenter a Conciliis. Et ratio hujus est, quia infallibilitas ista omnino necessaria est ad conservationem Ecclesiæ; cum non raro in materia fidei suboriantur controversiæ, quarum decisio absque Ecclesiæ errore, dissensione, aliisque incommodis nequit diu differri usque ad Concilii generalis convocationem: quippe quod raro tantum convocari potest ob expensas, bella, & alias gravissimas difficultates.

P. 2. Ex Conciliis. Calcedonense, ut refert D. Thomas in opusculo contra errores Græcorum, titulo *quod in eadem potestate* definit: *omnia ab Eo* (Romano Pontifice) *definita teneantur, tanquam a Vica-*

rio *Apostolici throni.* Idem Concilium Act. 2. cum esset lecta Epistola S. Leonis, P.P. clamarunt: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides, omnes ita credimus: orthodoxi ita credimus: anathema, qui ita non credit: Petrus per Leonem ita locutus est.*

In Concilio œcumenico VI. seu Constantinopolitano III. Act. 8. habetur: recipi *suggestiones directas ab Agathone Sanctissimo Papa . . . Archiepiscopo Apostolicæ & principalis sedis Antiquæ Romæ —— tanquam ex Spiritu S. dictatas per os Sancti ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri.* Et Act. 18. in sermone acclamatorio ante edictum Constantini, dicunt Patres: *charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* Accedunt plura alia Concilia, & Concilium Florent. in Literis unionis absolute dicit Romanum Pontificem *Christianorum Patrem, & Doctorem, & plena potestate præditum:* quæ omnia indicant, Papam secundum se infallibilem esse. Taceo SS. Patres apud Bellarminum videndos.

Confirm. 1. Pontifex Summus etiam extra Concilium est Vicarius Christi, est caput Ecclesiæ, est Magister & Doctor fidelium omnium: ergo etiam extra Concilium gaudet ea assistentia Spiritus S., qua redditur immunis ab omni errore in doctrina fidei & morum; alias sane non bene consultum esset Ecclesiæ, cui Pontifex extra Concilium aliquid præcipiens, vel doctrinam certam tradens, posset errare, & fideles in errorem inducere.

Confirm. 2. Si Papa non est infallibilis extra Concilium, tunc non omni tempore datur infallibilis authoritas Ecclesiæ, imo sæpe eam dari est impossibile, cum non nisi rarissime & difficillime, atque immensis prope expensis cogi Concilia generalia possint. Atqui sic non esset satis consultum & provisum Ecclesiæ, cum omni tempore hæreses & dubia circa res fidei oriri possint.

Confirm. 3. Ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine; nam vetustissimus mos obtinuit in Ecclesia, ut S. Pontifex extra Concilium hæreses damnaret. Taliter damnata fuit hæresis Pelagii teste Prospero in Chronico ad annum 420. nec non hæresis Priscilliani, Vigilantii, Joviniani & aliorum apud Bellarminum L. 4. c. 30. & nuper hæresis Jansenii ab Innocentio X. & Alexandro VII. ergo extra Concilium generale potest haberi in Pontifice assistentia Spiritus S., & infallibilitas in Decretis fidei.

Dices: tunc dari infallibilitatem in Decretis Pontificiis, quando universa Ecclesia, vel certe potissima pars ejus illa acceptat; nam adversus universam Ecclesiam portæ inferi non possunt prævalere. Sed

Contra est: licet acceptatio Ecclesiæ eam infallibilitatem multum extrinsece firmet, non tamen tribuit primam & intrinsecam infallibilitatem, ut ex Scripturis allegatis, & probationibus adductis liquet: alias hoc etiam dici posset de Decretis in Concilio generali conditis & editis, quod nemo Catholicorum ausit admittere.

151. Assero 2. Pontifex tam in- quam extra Concilium loquens ex cathedra in Decretis fidei, spectantibus ad quæstiones facti connexas cum quæstionibus juris vel fidei, habet infallibilitatem ortam ex assistentia Spiritus S. Ita fere omnes Theologi contra Jansenistas, concedentes, esse hæreticas quinque illas propositiones Jansenii, prout damnatæ sunt a Pontifice, negantes vero, esse hæreticas in sensu obvio, quem verba exhibent, & præ se ferunt in Libro Jansenii, esto, hoc etiam definitum sit a S. Pontifice: quamvis enim utrumque Pontifex pronuntiarit, & declararit, circa primum dicunt errare non potuisse, eoquod spectet ad quæstionem juris in materia fidei; secus vero circa secundum, quod spectat ad quæstionem facti.

Probatur, & declaratur assertio. Factum cum jure, seu cum fide connexum est illud, ex cujus decisione dependet decisio fidei, seu ex cujus negatione sequitur negatio fidei: atqui Pontifex est infallibilis in hujusmodi facti quæstionibus: ergo. m. p. Pontifex est infallibilis, ut dictum est, in fidei & juris quæstionibus decidendis; sed non potest esse infallibilis in fidei quæstionibus decidendis, nisi sit etiam infallibilis in decidendis hujusmodi facti quæstionibus: ergo etiam in his est infallibilis. m. iterum p. Decisio puncti fidei pendet a decisione talis facti: ergo non posset Pontifex esse infallibilis in decisione talis puncti fidei, nisi etiam infallibilis foret in decidendo facto, ex quo illud punctum fidei pendet. Declaro exemplis: ponamus quæstiones istas: *an Scriptura ista sit Canonica? an hoc Concilium v. g. Tridentinum sit legitime celebratum?* hæ quæstiones sunt *facti*, quæ nequeunt ex Scriptura vel Traditione resolvi, & quidem sunt *facti* cum *jure*, seu *fide connexi*, cum ex hujusmodi facti decisione dependeat decisio juris seu fidei, & ex ejus negatione sequatur negatio fidei: vel hæc facta sunt ita connexa cum fide, ut si in iis decidendis erraret Pontifex, etiam erraret in fide; nam si Ecclesia erraret proponendo aliquam Scripturam ut divinam, quæ talis non esset, errare quoque posset in fide, talem doctrinam in libro illo vel scriptura contentam habendo pro dogmatis fidei. Si Pontifex pronunciaret Concilium legitimum, quod tale non est, sequeretur eum etiam errare posse in Decretis hujusmodi Concilii tanquam doctrinis fidei. Iterum si negas, libros Calvini & Lutheri ab Ecclesia proscriptos continere propositio-

positiones fidei contrarias (quod est quid facti) cogeris negare, hæreticam & fidei contrariam esse hanc propositionem: *corpus Christi non est præsens in Eucharistia* (quod pertinet ad quæstionem juris & fidei) cum enim negari nequeat, hanc propositionem in libris Calvini contineri, negans, eos libros continere propositiones hæreticas, per consequens negare debet, illam propositionem esse hæreticam.

§. III.

Satisfit Objectionibus contra præcedentem Paragraphum.

Objectiones contra primam assertionem.

152. Objic. 1. Christus Matth. 18. ℣. 17. dixit omnibus, atque adeo etiam D. Petro illa verba: *si non audierit eos, dic Ecclesiæ*: ergo etiam Pontifex debet causas graves deferre ad judicium Ecclesiæ, nec ipse solus est ultimus infallibilis judex.

℞. Hunc textum non esse ad propositum; per eum enim intelligitur tantum Ecclesia particularis cum Episcopo, vel Episcopus solus, ut volunt S. Chrysostomus, Theophilactus, Eythimius & alii. Certe accusatio hominis particularis correctioni non acquiescentis plerumque fit apud Episcopum, qui eum, si contumax sit, excommunicare potest: adeoque ibi non agitur de Ecclesia universali, vel Concilio, quod utique ob errores particulares, & particularium personarum convocari non convenit. Itaque in forma N. a. quatenus affirmat, istud dictum Christi etiam tangere Petrum, & SS. Pontifices. Equidem non nego, ex dicto textu tanquam a minori ad majus inferri posse, magis vitandum esse eum, qui non audierit Ecclesiam universalem, vel Pastorem universalis Ecclesiæ, si vitandus est, qui non audit Ecclesiam particularem, & illius Pastorem: non autem admitto in eo sensu, quod Summi Pontificis decreta tantum vim habeant, si cum judicio Ecclesiæ vel Concilii fiant.

Objic. 2. S. Hieronymus L. 1. cont. Jovinianum c. 14. ait: æque super omnes Apostolos fundatam & solidatam esse Ecclesiam: ergo non supra Petrum solum. ℞. D. a. & ibi vult S. Doctor Apostolos in Apostolatu, & potestate ordinis fuisse æquales c. a. in potestate jurisdictionis n. a. Et hinc ibi addit S. Hieronymus: *tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Eodem modo etiam explicari petit idem S. Hieronymus Epist. 85. ad Evagrium scribens, Episcopum sive Romæ, sive alibi fuerit, ejusdem meriti & sacerdotii esse, id est, secundum potestatem ordinis, non jurisdictionis.

Objic. 3. S. Auguſtinus L. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 18. ait, quæſtionem illam de valore Baptiſmi hæreticorum fuiſſe controverſam uſque ad Concilium generale, & tamen Stephanus Papa eam definiverat: ergo. ℞. S. Auguſtinus ideo dicit, eam quæſtionem de valore Baptiſmi hæreticorum controverſam manſiſſe uſque ad Concilium generale, quia, licet S. Stephanus jam prohibuiſſet rebaptizari baptizatos ab hæreticis, tamen S. Auguſtino videbatur, eouſque nihil abſolute definiviſſe. Quod colligitur ex ipſo S. Doctore L. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 25. ubi ait: *vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur.* Quia ergo nullum ſchiſma inter SS. Stephanum & Cyprianum eſt ortum, non ſe habebant invicem pro hæreticis, nec S. Stephanus Cyprianum unquam a communione removit, quod tamen facere debuiſſet, ſi contra definitionem a ſe latam Cyprianum ſentire cognoviſſet. Nihil ergo definivit de valore talis Baptiſmi, ſed tota res conſtitit intra limites prohibitionis, ne rebaptizarentur ab hæreticis baptizati.

Dum autem idem S. Auguſtinus variis in locis videtur aſſerere, quod in cauſa Cæciliani poſt alia, etiam Romani Pontificis, judicia reſtet Concilium plenarium, nihil contra nos probat: etenim cauſa Cæciliani non erat quæſtio juris, ſed puri facti, ſcilicet an is bene vel male eſſet ab Africanis depoſitus? In tali vero quæſtione Papa non eſt infallibilis, neque etiam Concilium generale: attamen aliquando in tali caſu judicium Concilii, utpote plurium prudentum, poteſt eſſe majoris ponderis, quam ſolius Papæ. Certe poteſt habere (ut loquitur Epiſcopus Meldenſis orator Regis Galliæ ad Eugenium IV) majorem authoritatem reputationis.

Objic. 4. Saltem S. Cyprianus L. de unitate Eccleſiæ docet, Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam dediſſe Apoſtolis parem poteſtatem. Item L. 2. Epiſt. 1. (alias Epiſt. 72.) & alias Romanos Epiſcopos Collegas, Fratres, & Coëpiſcopos nominat, eosdemque etiam reprehendit, præſertim Stephanum, & hujus ſententiam de non rebaptizandis hæreticis vocat *errorem:* ergo ſententia noſtra pugnat contra S. Cyprianum.

℞. Ad hæc ex ipſo S. Cypriano, qui L. de unitate Eccleſiæ iſta habet: „loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, „quia Tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, „& portæ inferorum non vincent eam. —— Et iterum Eidem poſt „reſurrectionem ſuam dicit: paſce oves meas; ſuper illum unum ædi„ficat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quam-

„vis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem „tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipi-„te Spiritum S., si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui te-„nueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unam ca-„thedram constituit, & unitatis ejus originem ab uno incipientem „sua authoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, „quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: „sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut „una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur.“ Et post pauca: „qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui cathedram Petri, supra quam „fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?“ Iterum Epist. 73. ad Jubajanum, quæ ab aliis annumeratur tractatibus, ait: „Petro primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & un-„de unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, „ut id solveretur in cælis, quod ille solvisset in terris.“

Ex his S. Cypriani verbis infertur 1. Sanctum hunc Patrem agnoscere, super S. Petrum, & ejus Successores fundatam esse Ecclesiam, atque adeo ipsum infallibilem fuisse, & in suis Successoribus esse; alias quomodo super ipsum & ejus Successores fundaretur Ecclesia, quæ debet esse *columna, & firmamentum veritatis* 1. Timoth. 3. ℣. 15. 2. S. Cyprianum non adstruere omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & alios Apostolos, sed tantum aliquam qualemcunque in aliquo genere e. g. in potestate remittendi peccata, cujus meminit in cit. textu de unitate Ecclesiæ vel in potestate instituendi & regendi varias Ecclesias particulares, quæ potestas fuit Apostolis etiam re-quis extraordinarie tradita: si enim alii Apostoli Petro omnino pares fuissent potestate & honore, quomodo Petro fuisset datus *Primatus*, quomodo super *illum unum ædificata fuisset Ecclesia*? Præterea non vult S. Cyprianus Epist. 72. ad Stephanum, Episcopum præter Deum non habere Superiorem, sed solum dicit, quemvis Episcopum potestate sua ordinaria posse in sua Ecclesia particulari varia ad disciplinam spectantia ordinare, quorum rationem aliis dare non debeat. S. Augustinus L. 2. contra Donatistas c. 18. & L. 3. c. 3. ait, S. Cyprianum loqui de iis rebus, quæ necdum erant sive per Concilium, sive per Pontificem clare determinatæ. Hinc Petit Didier Tract. de author. & infallibil. Pontif. c. 6. ait, S Cyprianum quæstionem de rebaptizandis hæreticis non respexisse tanquam quæstionem fidei, sed tantum tanquam quæstionem de Disciplina Ecclesiastica, vel moribus, aut consuetudinibus, in quibus possunt Ecclesiæ particulares differre:

differre: & hinc existimasse, non lædi fidem, quidquid circa eam rem sentiatur.

Cæterum quod attinet ad sententiam S. Cypriani de invaliditate Baptismi ab hæreticis collati, utique in ea erravit, ut modo tota tenet Ecclesia, hæreticus tamen minime fuit, quia nihil adhuc erat definitum, ut jam dictum est. Culpam quidem Cyprianus tanquam homo hac in re admisit saltem venialem (juxta aliquos) etiam graviorem, quia parere debuisset Pontifici serio præcipienti: ast culpam per pœnitentiam & martyrium delevit. Igitur S. Cyprianus non abnegavit Romano Pontifici infallibilitatem in quæstionibus fidei, sed tantum putavit, posse in re quadam, ad disciplinam tantum Ecclesiasticam, ut ipse putabat, spectante, recedi a praxi & usu Romanæ Ecclesiæ: in qua tamen re erravit.

Objic. 5. Qui agit libere, potest errare, quia est indifferens ad bonum & malum; sed Pontifex definiens agit libere: ergo definiens potest errare. ℞. D. m. Pontifex definiens agit libere libertate specificationis actus n. m. Pontifex ex cathedra loquens est quidem liber libertate exercitii, id est, ut possit aliquid definire, vel non definire: non autem libertate specificationis, ut verum, vel falsum definiat, sed posito, quod aliquid definire velit, definire falsum non potest propter assistentiam Spiritus Sancti.

Objic. 6. Omnis homo est mendax, seu potest mentiri & fallere; sed Papa etiam definiens aliquid est homo: ergo. ℞. D. m. Papa definiens est, & manet homo, sed a Spiritu S. ita dirigitur, ut mentiri & fallere nequeat c. m. secus n. m.

Objic. 7. Si Papa ex cathredra loquens non posset errare, fieret perpetuum miraculum; sed hoc non potest admitti: ergo. ℞. N. m. Miraculum, si per illud nihil aliud intelligatur, quam res totius naturæ vires superans, nihil est novi, quia hoc quotidianum est in pluribus rebus v. g. in justificatione peccatoris, administratione Sacramentorum, Sacrificio Missæ &c. nam Ecclesia regitur, & conservatur supernaturaliter, sicut fundata est supernaturaliter. Si vero nomine miraculi intelligatur res non tantum naturæ viribus superior, verum etiam major, quam exigat Ecclesia taliter a Deo constituta & elevata, falsum dicitur: quia hoc in sensu connaturaliter fit juxta exigentiam Ecclesiæ taliter cônstitutæ, & tantis promissionibus munitæ. ℞. igitur 2. D. M. foret perpetuum miraculum in ordine naturæ, seu ultra exigentiam naturæ c. M. in ordine gratiæ, seu ultra exigentiam Ecclesiæ taliter, & supernaturaliter constitutæ n. M. Sicut miraculum in ordine gratiæ non censetur, si peccator agat pœnitentiam,

licet eam solis naturæ viribus sine gratia supernaturali agere nequeat: quia tamen hæc gratia ordinarie datur omnibus Deo cooperantibus, & est promissa, non censetur esse miraculum in ordine gratiæ. Similiter discurre in præsenti.

Objic. 8. Petrus gravissime erravit in fide, dum Christum negavit: ergo & Papa ejus Successor errare potest in fide, & sic infallibilis non est in fide. ℞. 1. Dum Petrus Christum negavit, nondum erat summus Pontifex, quia talis factus est primum Joan. 21. post Resurrectionem Christi, licet summus Pontificatus ei jam promissus fuerit Matth. 16. 2. Petrus negando Christum fidem internam semper retinuit, sed solum defecit in christiana fortitudine, qua tenebatur fidem internam etiam exterius profiteri, multo minus hunc privatum errorem docuit ex cathedra.

Objic. 9. Potest Papa cadere in alia peccata, Simoniæ, Superbiæ, avaritiæ, luxuriæ &c. ergo etiam in hæresin. ℞. Aliud esse, Papam in hæresin cadere, quod transmitto interim, licet & alii multi cum Bellarmino hoc negent, & aliud, hæresin docere ex cathedra: hoc Papam posse nego. Christus non rogavit pro humilitate, justitia, castitate &c. sed pro fide Petri, ne in hac deficeret. Oportet itaque publicam doctrinam esse incorruptam, licet fides privata Pontificis, & mores possint esse mali.

353. Objic. 10. Decisiones Papæ sunt leges humanæ; sed leges humanæ non obligant, nisi acceptentur a subditis: ergo ut decisiones Papæ obligent tanquam infallibiles, debent prius acceptari: ergo sine consensu Ecclesiæ non sunt firmæ. ℞. D. M. Decisiones Papæ sunt leges humanæ in rebus ad mores pertinentibus c. M. sunt leges mere humanæ in rebus ad fidem pertinentibus n. M. Decreta fidei a Pontifice facta non sunt proprie dictæ leges, & præcepta, sed potius declaratio quædam Divinæ locutionis, per quam nobis infallibiliter innotescit, Deum hoc vel illud revelasse: qua notitia semel habita non amplius est in nostro arbitrio, ut illud credamus, vel non credamus, sed jure naturali ac divino mox obligamur omnes ad assensum firmissimum veritati taliter a Deo revelatæ, & nobis per Ecclesiam applicatæ præstandum. Quare etiamsi Decreta & Decisiones fidei vocarentur leges, non tamen possunt vocari leges humanæ, nec in arbitrio Ecclesiæ est assentire, vel non assentire, quia jure naturali ac divino obligantur omnes, credere veritates a Deo revelatas, postquam sufficienter constat de earum revelatione.

Præterea

Præterea hac diſtinctione nolim ſignare, S. Pontificem in Decretis morum, quamvis hæc eſſent mera præcepta, & leges humanæ, errare poſſe v. g. malum præcipiendo, & bonum prohibendo. Exemplis rem dilucido. Sic non poteſt fieri, ut Pontifex erret præcipiendo aliquod vitium, ut uſuram, vel prohibendo virtutem, ut reſtitutionem rei alienæ, quia hæc ſunt per ſe mala, aut bona: ſi enim in his erraret S. Pontifex præcipiendo, vel prohibendo toti Eccleſiæ, hæc non poſſet amplius dici *Sancta*; nam dicitur ſancta potiſſimum ob ſanctam doctrinam, quæ nihil docet falſum, nihil præcipit malum. Imo tunc erraret Eccleſia circa fidem; hæc enim docet, omnem virtutem eſſe bonam, omne vitium malum: ſi autem Papa præciperet vitia, & prohiberet virtutes, Eccleſia teneretur credere, illa eſſe bona, has ma as. Nec poteſt errare præcipiendo aliquid contra ſalutem, ut circumciſionem, vel prohibendo aliquid neceſſarium ad ſalutem, ut Baptiſmum, licet hæc non ſint per ſe bona, vel mala: nam ſi hoc fieri, & Pontifex errare poſſet in præceptis morum ad ſalutem neceſſariorum, tunc tota Eccleſia læderetur, & erraret in neceſſariis, quod eſt contra promiſſionem Domini Joan. 10. *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, quod intelligitur præcipue de veritate neceſſaria ad ſalutem. Imo Deus tunc deeſſet in neceſſariis, quandoquidem præcepit Eccleſiæ, ut ſequeretur Pontificem, hunc autem permitteret errare in neceſſariis. In rebus autem indifferentibus, ex ſe nec bonis nec malis, poteſt quidem interdum fieri error, dum aliquid jubetur inutile, vel ſub pœna nimis gravi, vel multiplicando nimium ſimiles leges ſuperfluas, qui error foret contra diſcretionem: quamquam ſubditorum non eſt, de præceptis quibuſcunque dubitare, ſed ſimpliciter obedire. Videatur Bellarminus Tom. 1. L. 4. cap. 5.

Objic. 11. Univerſitas Pariſienſis, & conventus Cleri Gallicani reprobavit noſtram aſſertionem: ergo. 154.

℟. 1. N. a. Gallia antiqua, maxime ante funeſtum ſchiſma, tandem in Concilio Conſtantienſi extinctum, longe aliter ſenſit, imo & poſtea. Operæ pretium eſt, adducere ſelecta teſtimonia Eccleſiæ Gallicanæ, quæ conficient pro noſtra ſententia firmiſſimum argumentum, utpote petitum ex ipſa Eccleſia illa, quæ tantis viribus modo contrarium tueri videtur: ex quo ſaltem illud fluet, Gallicanos Præſules & Theologos Majorum ſuorum deſeruiſſe ſententiam, quando Papam errori, & fallibilitati obnoxium pronunciant.

Igitur Sæculo XIV. Natio Gallica (videatur Hiſtoire du Dif. ferent. pag. 399. & 413.) in ſcripto quodam adverſus Bonifacium VIII.

Clementi V. oblato sic loquitur: *Non quæritur de hæresi Papæ quondam ut Papæ, sed ut privatæ Personæ: nec ut Papa potuit esse hæreticus. Et ideo cum de ejus mortui hæresi quæritur, non habet congregari Concilium generale; estis enim nobis, Pater Sanctissime, JESU Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiæ repræsentans, qui claves regni cœlorum habetis, nec congregatum Concilium generale sine vobis, & nisi per vos posset cognoscere.*

Sub ejusdem sæculi finem universa facultas Theologica Parisiensis sic loquebatur: *Quidquid dicturi sumus, totum correctioni, & judicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis humillime submittimus, dicentes cum B. Hieronymo: hæc est fides, quam in Ecclesia catholica didicimus, in qua si quid minus perite, aut minus caute forte positum est, emendari petimus a Te* (Papam alloquuntur) *qui Petri fidem & sedem tenes; non ignoramus enim, sed firmissime tenemus, & nullatenus dubitamus, quod S. Sedes Apostolica est illa cathedra Petri, super quam, eodem Hieronymo teste, fundata est Ecclesia: & sicut dicit Cyprianus: de qua Sede in persona Apostoli in ea sedentis dictum est: Petre rogavi pro Te, ut non deficiat fides tua. Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maxime pertinet.*

Anno 1625. iterum Clerus gallicanus congregatus in monitis ad Archiepiscopos, & Episcopos Galliæ Art. 137. hæc de authoritate Papæ habet: *Venerabuntur etiam S. Patrem nostrum, Ecclesiæ universalis caput visibile, Dei in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum & Patriarcharum, denique B. Petri Successorem, a quo Apostolatus, & Episcopatus sumpserunt exordium, ac super quem Christus fundavit Ecclesiam, illi claves cœli tradens cum infallibilitate fidei, quam non sine miraculo immotam in ejus successoribus perseverasse usque in hodiernam diem cernimus.* Hæc monita cum Privilegio Parisiis vulgata per Antonium Etienne, seu Stephanum, equidem postmodum suppressa fuerunt ob defectus aliquos, quos Cardinalis Rupefucaldius in opusculo inscripto *Desaveu*, id est, *Rejectio* edito anno 1626. detexit: sed tamen iste articulus 137. nunquam a Clero fuit improbatus. E converso suppressionis illorum causa fuit, quod continerent quædam, quæ authoritati Pontificis derogare videbantur, sicque bonis admixta erant quædam mala, ut patet ex pag. 11. 18. & 54. horum monitorum, quæ sunt loca a Rupefucaldio notata, & improbata. Profecto Articulus 137. dictorum monitorum non erat aliud, quam quædam consecutio ad ea, quæ paulo ante, nempe anno 1612. in Gallia gesta fuerunt occasione libri *de Ecclesiastica & Politica potestate* adversus supremam & infallibilem authoritatem Romani Pontificis a Richerio universitatis Parisiensis Syndico vulgati, ut Spondanus refert ad annum 1612. Des Bulles n. 3. pag. 88.

Liber

Liber iſte primum a Provinciarum Senonenſis, & Aquenſis Epiſcopis damnatus eſt. Dein Richerius authoritate Regia & decreto facultatis a Syndicatu ejusdem facultatis depoſitus, & libellum ſuum retractare, atque infallibilitatem Sedis Apoſtolicæ agnoſcere coactus fuit ſequenti declaratione: *Proteſtor, & declaro, me ſemper voluiſſe, atque etiamnum velle, & me ipſum, & libellum præfatum, & quascunque ejus propoſitiones, earumque interpretationem, omnemque meam doctrinam Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, & S. Sedis Apoſtolicæ judicio ſubmittere, quam Matrem & Magiſtram Eccleſiarum, & infallibilem veritatis judicem agnoſco.*

Ulterius Petit Didier Tract. de authorit. & infallibil. Sum. Pontif. c. 14. refert ſcriptum gallicum Conventus Cleri Gallicani anno 1626. ad omnes regni Epiſcopos, in quo ſic de Summo Pontifice pronunciatur: „Is enim Succeſſor eſt Petri, a quo Apoſtolatus, Epiſco„patusque initium ſumpſerunt, & ſuper quem Chriſtus JESUS Eccle„ſiam ſuam fundavit, quando illi claves regni cœlorum, atque infal„libilitatis donum in cauſis fidei reliquit: quam non ſine ingenti mi„raculo immobilem, illibatamque in ejus ſucceſſoribus durare etiam„num videmus. Unde ingens in Romanorum Pontificum decretis, „mandatisque amplectendis, apud omnes fideles & orthodoxos ob„ſervantia profecta eſt.

Quæ, & alia plura teſtimonia Eccleſiæ gallicanæ pro ſuprema & infallibili authoritate ſummi Pontificis videri poſſunt in opere Domini Galli Cartier Benedictini in Monaſterio D. Ettonis, cui titulus: Authoritas & infallibilitas Summorum Pontificum ſtabilita a pag. 249. uſque ad pag. 280.

℞. iterum ad objectionem: ſi Galliæ Doctores nobis contrarii ſint, iis opponere licet reliquas nationes Catholicas, oppoſitum communiter ſentientes. Sed tamen & ipſi Galli Theologi non ita communiter ſunt contrarii, ut partim ex dictis ſequitur, & partim ex aliis oſtendi poteſt.

Objic. 12. Si Pontifex extra Concilium diceretur loqui ex cathedra tanquam Eccleſiæ Magiſter, quoties proponit aliquid toti Eccleſiæ infallibiliter credendum, ſequeretur, de fide eſſe, quæcunque ſic proponeret S. Pontifex; atqui ſequela non eſt admittenda: ergo. m. p. Non poteſt eſſe de fide, quod Pontifex hic proponit, ſi non ſit certum de fide, hunc numero hominem eſſe verum Pontificem, & Pontifici extra Concilium Spiritum S. aſſiſtere; ſed neutrum eſt de fide: nam Cajetanus Banez, Turrecremata, Corduba cenſent eſſe ſolum certum certitudine morali, cui nequeat ſubeſſe falſum, hunc numero Pontificem eſſe verum Chriſti Vicarium: Aliacenſis, Gerſon,

Almai-

Almainus docent, Concilio generali duntaxat promiſſam eſſe Spiritus ſancti aſſiſtentiam: ergo.

℞ ad Majorem: concedo ſequelam, quæ eſt noſtra ſententia. n. m. ad hujus prob. n. M. Ad hoc, ut de fide credi debeat, quodcunque Pontifex extra Concilium toti Eccleſiæ proponit infallibiliter credendum, non requiritur, ut definitum ſit, illum eſſe verum Pont. ficem, & illi extra Concilium in Decretis fidei competere infallibilitatem; ſed ſufficit, utrumque eſſe moraliter certum, ita ut rationabiliter negari non poſſit: ſicut in omnium ſententia, ut credi debeant, quæcunque generale Concilium legitime congregatum definit, non debet eſſe de fide, illud eſſe legitime congregatum, ſed ſufficit, moraliter eſſe certum, ita ut rationabiliter negari nequeat: ſicut etiam ad credendum fide divina myſteria fidei ſufficit, ea eſſe moraliter certa. Ratio a priori eſt, quia fides unice nititur authoritate Dei loquentis, non vero ſignis credibilitatis, aut aliis prærequiſitis, quibus nobis innoteſcit Dei locutio: hæc enim tantum ad applicationem rerum credendarum, & objecti formalis fidei, non autem ad ipſum objectum materiale vel formale fidei ſpectant. Exemplum habemus in naturalibus: forma phyſica poteſt eſſe præſtantior conditione ad illam prærequiſita: ita quoque certitudo fidei nixæ authoritate Dei, poteſt eſſe major illa, quam habemus de ſignis credibilitatis, & aliis prærequiſitis ad credendum. Itaque ſicut ſufficit moralis certitudo de ſignis credibilitatis, ut teneamur de fide credere myſteria revelata: ſic & ſufficit moralis certitudo, hunc numero Pontificem eſſe verum Pontificem, & illi etiam extra Concilium promiſſam eſſe Spiritus S. aſſiſtentiam.

Neque obſtant D. D. Catholici contrarium ſentientes, Aliacenſis, Gerſon, & Almainus: tum (ut notant Doctores) quia tempore ſchiſmatum ſcripſerunt, quando de vero Pontifice non plene conſtabat, tum quia tenuis eorum authoritas non exuit certitudine morali ſententiam, quam omnes Catholici nunc ſequuntur, & ipſe uſus Eccleſiæ demonſtrat. Certe non auderet aliquis ſe immunem reputare a crimine hæreſis, qui non credat, vere eſſe hæreticam propoſitionem, a Pontifice extra Concilium damnatam ut hæreticam.

Objic. 13. Si certum eſſet, Spiritum S. aſſiſtere Pontifici extra Concilium generale in Decretis fidei, fruſtra Concilia œcumenica ex toto orbe tot impendiis convocarentur: ergo. ℞. N. a. Concilia ſunt valde utilia, utpote quæ majorem authoritatem, non intrinſecam, ſed extrinſecam præſeferunt, ad fidei controverſias altius diſcutiendas, ad faciliorem Decretorum executionem, & ad hæretico-

rum

rum pervicaciam efficacius contundendam: ideoque salubriter ea interdum convocantur.

Objic. 14. Jam a tempore Apostolorum moris fuit in Ecclesia ad Concilium confugere, non ad Pontificem, pro dirimendis controversiis fidei: siquidem Act. 15. super quæstione illa de circumcisione & aliis legalibus omnes non ad Petrum, sed ad Concilium confugerunt: ergo signum est, Pontificem in Concilio duntaxat habere Spiritus S. assistentiam.

℞. Poterat D. Petrus authoritate ordinaria quæstionem illam de legalibus definire, imo ut notat Bellarminus L. 4. c. 12. id etiam poterat solus Paulus, aut Jacobus jurisdictione delegata: placuit tamen Paulo illam in Concilio definiri post magnam conquisitionem, ut hæc definitio majorem haberet firmitatem extrinsecam: sicut deinde Pontifices identidem consuevere, plures controversias in Conciliis dirimere. Quia tamen de facili non possunt cogi Concilia, ideo passim ad solum Pontificem pro his litibus dirimendis confugiunt Catholici, & ab eo passim ex cathedra promanant Decreta fidei, quæ universa Ecclesia captivando intellectum in obsequium fidei expansis brachiis amplectitur.

Objic. 15. Decreta Concilii Constantiensis, & Basileensis Papam & errori obnoxium, & Concilio inferiorem pronunciant: ergo non habet infallibilitatem extra Concilium. ℞. N. c. Nam Concilium Constantiense sensum suæ definitionis ad solas schismatis circumstantias, ubi plures de Papatu contendunt, restrinxit. Præterea hoc Concilium tantum secundum posteriores sessiones, non vero secundum priores, in quibus quædam contra authoritatem Romani Pontificis sancita fuerunt, approbatum, & legitimum est. Synodus vero Basileensis velut conciliabulum rejecta est a Concilio Florentino œcumenico, & tota Ecclesia: ergo ex Conciliis nihil probatur.

Quæ adhuc objici possent ex factis variorum Pontificum, discutientur melius Articulo XV., ubi ostendam, nullum adhuc Pontificem ex cathedra errasse: Si autem aliquis Pontifex ipse diceret, aut fateretur, se ut hominem errori esse obnoxium, id intellige de Pontifice ut homine privato, non vero ut publico totius Ecclesiæ Magistro, alloquente ex cathedra totam Ecclesiam. Modo sit

§. IV.

Solvuntur Objectiones contra assertionem secundam præcedentis articuli, & adduntur quædam Corolaria.

155. Objic. 1. Hujusmodi facta, quantumvis cum fide connexa, nullibi sunt revelata: ergo in his errare potest Pontifex. ℞. T. a. N. c. Satis est, Spiritum S. assistere Ecclesiæ, & impedire, ne erret Pontifex in illis factis decidendis, licet non revelatis: sicut re ipsa assistit, & impedit, ne erret in hujusmodi factis cum fide connexis; quia, si in his erraret, in fide quoque erraret: atque adeo, cum nequeat errare in fide, neque errare poterit in talibus factis.

Objic. 2. Qui negaret ejusmodi facta, non ageret contra fidem, nec esset hæreticus; quia non negaret aliquid revelatum: ergo in his decidendis non est infallibilis Ecclesia. ℞. D. a. Non ageret contra fidem, nec esset hæreticus directe tr. indirecte & præsumptive n. a. Eo ipso, quia negaret illa facta per Ecclesiam decisa, & recepta, per consequens & præsumptive censeretur negare infallibilitatem Ecclesiæ in ejusmodi factis decidendis, quæ infallibilitas ad fidem pertinet. Dein, qui negaret ejusmodi facta, consecutive, virtualiter & mediate etiam negaret definitionem Ecclesiæ, vel Pontificis cum ejusmodi factis connexam.

Insuper ut aliquid fide divina directe credatur, debet esse immediate revelatum: ut tantum credatur propter connexionem cum doctrina fidei, non requiritur, ut sit immediate revelatum.

Ex hactenus discussis plura per modum Corolariorum deduci possunt, vel dictis addi debent. Proin

156. Primo S. Pontifex infallibilis etiam est in decidendis *factis dogmaticis*, vel *formatis*, quæ Pontifex ut caput Ecclesiæ, & Doctor universalis sua definitione informat, atque fidelibus firmissimo assensu tenenda proponit. Tale factum est, quod Benedictus XI. (ab aliis dicitur XII.) dudum ante Concilium Florentinum definivit, nempe animas defunctorum prius expurgatas ante generale judicium in cœlum recipi, & divinam essentiam videre. Sic ait laudatus Pontifex in Extravagante *Benedictus Deus*, quam exhibet Alphonsus a Castro adversus hæreses L. 3. Verbo *Beatitudo*: ubi sic definit: *Nec non, quod tali visione, & fruitione eorum animæ, qui jam decesserunt, sunt vere beatæ, & habent vitam æternam, & requiem omnium illorum, qui postea decedent, cum eandem divinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur ante generale judicium.*

Objic. In quæstionibus facti errare posse Ecclesiam, senserunt, qui de hac re scripserunt ad censuram usque famosam quinque propositionum Jansenii: ergo opinio infallibilitatis Ecclesiæ & Pontificis in quæstionibus facti est nova, a Scholis eliminanda. ℞. D. a. in quæstionibus facti particularis, seu personalis c. a. facti dogmatici, aut connexi cum quæstione fidei & juris n. a. Cum factum personale spectet

ſpectet Perſonæ ſtatum, v. g. innocentiam, crimen &c. quorum cognitio ex teſtimoniis hominum fallacibus mere pendet, conſequens eſt, ut de eis Eccleſiæ judicium incertum ſit, & errori obnoxium, nec ex tali fallibilitate non tangente doctrinam totius Eccleſiæ (talia enim facta Pontifex non proponit credenda, ſed tanquam teſtibus, aliisque legitimis documentis juridice probata ſupponit vera, atque exinde ad pœnam ſtatuendam, vel gratiam faciendam progreditur, quin ullo modo fideles obliget ad credendum, ea facta revera contigiſſe) damnum tantum ſequitur, quantum oriretur, ſi in doctrina toti Eccleſiæ propoſita a Pontifice ut Magiſtro univerſali, Eccleſia falleretur. Aſt judicium Eccleſiæ vel Papæ de facto doctrinali, vel dogmatico non pendet præciſe ex teſtimoniis hominum, ſed ex collatione doctrinæ in libris contentæ cum Scriptura & Traditione, certis fidei noſtræ regulis: unde fit, ut Pontifex & Eccleſia ſpeciatim Dei aſſiſtentia adjuti nec fallere, nec falli poſſint: imo ſi hoc fieri poſſet, Eccleſiæ non ſatis proviſum eſſet, ut ex præcedentibus liquet. Unde

Secundo Summus Pontifex extra Concilium infallibilis etiam eſt in damnationibus certarum propoſitionum. P. 1. ex verbis Chriſti D. Petro dicentis: *Paſce oves meas.* Quibus abſolute, atque adeo extra Concilium ei demandatur cura paſcendi Eccleſiam: ergo ei convenit paſcua noxia ab innoxiis ſecernere, quod præſtat Decretis configentibus certas propoſitiones malam doctrinam continentes. 2. Pontifex eſt infallibilis in his, quæ ad fidem & mores pertinent, ut ſuperius dictum eſt; atqui judicium de ſenſu orthodoxo, vel heterodoxo librorum ad fidem, & de ſenſu doctrinæ moralis bono, vel malo ad mores pertinet: ergo &c. 3. Sine tali judicio infallibili nec fides, nec boni mores poſſent cuſtodiri, aut defendi contra novitates; nam ſine tali infallibili judicio nec SS. PP. ſana probari, nec Hæreticorum male ſana ſcripta reprobari poſſent. 4. Summi Pontifices ſæpius extra Concilium damnaverunt errores, & propoſitiones, nec ulli veri fideles auſi fuerunt, his propoſitionibus ſe opponere. Et ſi Pontifex tantum intra Concilium, quod difficillime congregatur, poſſet reprobare doctrinas non ſanas, non eſſet conſultum Eccleſiæ, quia, niſi ſtatim in exortu ſuo tales peſtiferæ doctrinæ ſuffocarentur a S. Pontifice, latius poſſent ſerpere, & maxima mala gignere, donec Concilium convocetur. 157.

Ex hac reſolutione deſcendunt varia notatu digna. Primo ponenda eſt brevis explicatio variarum cenſurarum propoſitionibus damnatis inuſtarum, & dein concludendum, quid iſtæ cenſuræ operentur. Igitur 1. damnatur non raro propoſitio ut *hæretica*, quæ vel

expresso Dei verbo seu scripto, seu tradito, vel expressæ definitioni Ecclesiæ, aliquid de fide definientis, adversatur. Sic propositio illa Jansenii 2.da *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, proscripta est ut hæretica, quia opponitur expressæ huic S. Scripturæ sententiæ: *vos semper Spiritui S. resistitis*. Sic etiam ista propositio: *Baptismus, qui datur ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non est verus Baptismus*, est hæretica, quamvis olim, seu antequam Ecclesia in Concilio plenario, ut loquitur Augustinus, de ea sententiam suam tulisset expresse, non esset hæretica; tunc enim non constabat omnibus Ecclesiis, contrariam propositionem contineri in Verbo Dei sive scripto, sive tradito.

Propositio *hæresin sapiens*, vel *proxima hæresi* (quas duas censuras authores multi, quamvis non omnes, confundunt) est illa, quæ vel certo opponitur doctrinæ, quæ plerorumque judicio probabilius est de fide, vel quæ non omnino certo, sed tamen probabiliter, & plurium gravium Doctorum gravi fundamento nixorum judicio opponitur veritati, quæ est indubitato de fide. *Suspecta de hæresi* est, quæ multa cum probabilitate judicatur hæretica, id est, contradictorie opposita veritati immediate, & explicite revelatæ, aut ab Ecclesia declaratæ ut revelatæ. Juxta Massæum Kresslinger in succinct. declar. Proposit. damnat. *Hæresi proxima* est, quæ magnam habet affinitatem cum aliquá propositione hæretica: *suspecta*, seu *hæresin sapiens*, quæ ex circumstantiis videtur innuere latentem hæresin.

Propositio *blasphema*, seu *impia*, *injuriosa* est, quæ aliquod vel in Deum, vel Sanctos convitium continet, id est, quæ Deo, vel Sanctis aliquid tribuit, quod eos dedecet, aut ab illis detrahit perfectionem aliquam, quæ ipsis debetur: hinc propositio prima Jansenii damnata: *aliqua Dei præcepta hominibus volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia. Deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*, non solum temeraria & hæretica, sed & blasphema est: nempe Deum reddit injustum legislatorem, præcipientem ea, quæ volentibus & conantibus sunt impossibilia.

Erronea est, quæ negat veritatem, quæ ex communi Ecclesiæ consensu censetur esse immediate revelata, quamvis Ecclesia id nondum expresse definiverit: vel juxta Massæum Kresslinger, quæ opponitur non quidem immediate alicui propositioni revelatæ, bene tamen conclusioni Theologicæ, deductæ ex præmissis, quarum una revelata, & altera aliunde certa est. Si talis tamen propositio non est omnino hæretica, ut ex dicendis hic & alibi in Tractatu de fide patebit.

 Scandalosa

Scandaloſa, vel *pernicioſa* eſt, quæ per ſe nata eſt parere ſpiritualem proximi ruinam, licet in ea nec hæreſis nec error aperte notari valeat. Talis eſt iſta Franciſci Fenelonii 21.ma *Sancti Myſtici excluſerunt a ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum*: quia per ſe inclinat animas, quæ ſibi videntur eſſe transformatæ, ad dimittendas virtutum exercitationes. *Temeraria* eſt, quæ nullam habet pro ſe aſſerendi gravem rationem, vel quæ communi Theologorum opponitur ſine ſufficienti fundamento: ſic ait Cartier, hoc aliquorum axioma: *honor potior eſt quam vita*, non ſolum eſſe ſcandaloſum & pernicioſum, ſed & temerarium, ſi quidem nullo Scripturæ, aut alio fundamento nititur.

Male ſonans eſt, quæ abutitur vocabulis contra communem ſenſum Eccleſiæ: ejuſmodi eſt æquivocum habens ſenſum, quæ quidem ſuo modo poteſt catholice intelligi, paſſim tamen ſic pronunciata in ſenſu hæretico uſurpatur. Differt autem male ſonans ab ea, a qua pravus ſenſus excluditur per explicationem ad reſtrictionem terminorum; nam male ſonans eſt ea quæ abſolute ſine diſtinctione, & tali reſtrictione profertur. Exemplum ſuppeditat D. Cartier in hac propoſitione Monachorum Scytharum: *unus de Trinitate crucifixus eſt*, quæ ſic abſolute prolata Hormiſdæ Pontifici velut male ſonans viſa eſt, quod etiam per eam intelligi poſſe videbatur, *unum de Trinitate in ſubſtantia Deitatis crucifixum eſſe*. Quam propoſitionem jam longe prius anno ſcilicet 483. in Petro Gnaphæo, ſeu Fullone Eutychiano damnaverat Felix III. At ubi ab ea pravus ſenſus, qui eidem affingi poterat, per explicationem ad terminorum reſtrictionem excluſus fuit, ita, ut intelligeretur, *unum de Trinitate in ſubſtantia carnis, & noſtræ mortalitatis crucifixum fuiſſe*, tunc velut catholicam probavit Joannes II. credimus enim, Deum pro nobis paſſum eſſe, ſed ſecundum ſubſtantiam carnis, & noſtræ mortalitatis. Ita Cartier.

Piarum aurium offenſiva eſt, quæ tale quid, vel tali modo aſſerit, ut fidelium pietatem & reverentiam minuat, vel aliquid, non quidem abſolute falſum, ſed tamen indecorum Deo, vel Sanctis dicit. *Schiſmatica* eſt nata inducere ſciſſionem inter ſupremum Eccleſiæ caput, ejuſque membra. *Seditioſa*, quæ nata eſt excitare tumultum in ſubditis contra ſuos legitimos Superiores. *Captioſa* denique eſt, quæ ſub ſpecie veritatis in errorem inducit. His præmiſſis modo plura reſolvenda ſunt.

Reſolvo 1. Certum eſt, Pontificem, dum propoſitiones aliquas damnat ex cathedra, eſſe infallibilem; atque adeo cuilibet propoſitioni eam cenſuram infallibiliter convenire, qua determinate affi- 153.

citur. Sequitur ex aſſertione ſuperius N. præc. poſita. Si vero non quælibet propoſitio determinata cenſura afficitur, ſed (ut ſæpe fit, & præſertim factum eſt in condemnatione propoſitionum Quesnelli per conſtitutionem *Unigenitus*) omnibus propoſitionibus prius relatis ſubjunguntur variæ cenſuræ, addita particula *reſpective*: hoc loquendi modo ſignificatur, aliquam ex recenſitis notis unamquamque ex propoſitionibus recenſitis & damnatis afficere disjunctive, ita ut nulla ſit, in quam non cadat ex cenſuris & notis una, quæ in damnationis decreto referuntur. Quænam autem cenſura in tali caſu cuilibet propoſitioni peculiariter competat, vel ex ſubjecta materia, vel ex aſſertionibus aliis determinata cenſura affectis debet colligi.

Itaque ſi propoſitio ut hæretica determinate damnetur, uti ſunt damnatæ quatuor primæ propoſitiones Janſenii, imo & quinta, ſi intelligatur, Chriſtum pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe, tunc infallibiliter talis eſt, & Pontifex implicite tali damnatione & cenſura declarat, oppoſitam propoſitionem eſſe articulum fidei, & confixam propoſitionem eſſe certo falſam.

159. Reſolvo 2. Viciſſim quando Papa propoſitionibus alias cenſuras inurit, tunc non eſt de fide, nec definit de fide, quod illæ propoſitiones ſint falſæ. Cardenas in Criſi Theol. de propoſit. damnatis ab Innocentio XI. Diſſertat. Proœmiali. Alias earum falſitas deberet credi tanquam articulus fidei, & negans eam eſſet hæreticus, proinde & eæ propoſitiones deberent eſſe hæreticæ, quod non eſt verum; nam alias non eſſet diſcrimen inter propoſitionem a Pontifice damnatam ut falſam vel temerariam, & inter aliam, quæ proſcripta eſt ut hæretica, quod nemo Theologorum admiſerit, & refutari poteſt patenter ex confixione propoſitionis quintæ Janſenii, quam Innocentius X. abſolute falſam & temerariam declarat: dein primum ſubjungit: *intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus duntaxat pro ſalute prædeſtinatorum mortuus ſit, — hæreticam declaramus.* Ubi Pontifex facit diſcrimen manifeſtum inter unam & alteram cenſuram.

Qua de re Cardenas cit. loco adſtruit duplicis Claſſis definitiones Pontificis, aliquas, quibus declarat articulos fidei, alias, quibus declarat, certo & infallibiliter aliquam doctrinam vel retinendam, vel reſpuendam eſſe: quamvis vero ob aſſiſtentiam Spiritus S. utriusque generis definitiones infallibiles ſint, non tamen omnes oppoſitam doctrinam reddunt hæreticam: cum hæreticum plus ſit, quam tantum infallibiliter falſum, debeatque hæretica propoſitio non tantum qualicunque vero & certo, ſed indubitato articulo fidei opponi.

Reſol-

Resolvo 3. Alias quascunque propositiones alia censura, quam *hæreticæ*, notatas, non ita certum est, statim esse falsas: damnata quidem ut *erronea* etiam certo est falsa; nam ista opponitur conclusioni certæ: sed si propositio damnetur ut *piarum aurium offensiva*, *male sonans*, *seditiosa* &c. non est certo æque falsa saltem in omni sensu, ut patet ex ipsa terminorum explicatione, quod etiam locum habet in aliis propositionibus damnatis. Lugo de fide Disp. 20. Sect. 3. n. 114. judicat, propositionem proscriptam temerariam sic etiam non esse infallibiliter falsam, quamvis sit infallibiliter temeraria, eoquod possit supervenire novum fundamentum tollens temeritatem, & simul reddens eam propositionem prudenter credibilem. Verum existimo in hoc puncto standum esse potius judicio contrario P. Cardenas in Crisi in propositiones ab Innocentio XI. damnatas Dissertat. Prœmiali c. 10. n 168. ubi advertit, longe aliud esse, si propositio aliqua videatur talis vel talis alicui privato Doctori, & si Pontifex eam talem esse definiat; nam, cum privati Doctoris judicium sit errori obnoxium & fallibile, potest utique contingere, ut fundamentum temeritatem tollens superveniat. At Pontificis Romani judicium habet duo, nimirum infallibilitatem, & perpetuitatem: etenim Pontifex non tantum definit pro aliquo tempore, aut proponit Ecclesiæ doctrinam uno tantum, aut altero anno servandam, sed in perpetuum. Igitur cum infallibiliter definiat, non adesse fundamentum, quo prudens assensus niti valeat, non tantum definit, pro nunc non adesse tale fundamentum, sed absolute pro nullo tempore adesse, vel adfuturum, & hanc propositionem semper esse rejiciendam ut temerariam & falsam; non enim potest esse vera propositio, quæ nullo tempore ab aliquo prudenter affirmari potest, cum nunquam sit habitura fundamentum prudentis affirmationis. Sic talem propositionem neque Deus aliquando posset revelare ut veram.

Pariter Cardenas L. cit. n. 172. fuse contendit, propositionem damnatam ut scandalosam esse falsam, cum scandalositas (ut ita dicam) semper futura sit: propositio vero scandalosa in doctrina morum utique sit falsa, cum nunquam liceat sequi propositionem, quæ scandalum præbet.

Dices: potest rebus magis suo tempore declaratis scandalum cessare: ergo. ℞. N. a. Nam hac ratione propositio non fuisset in se scandalosa, sed tantum per accidens ratione ignorantiæ: hoc autem dici nequit de propositione confixa a S. Pontifice, a quo assistentia Spiritus S. removet in definitionibus omnem ignorantiam: nec potest Pontifex ex ignorantia dicere illicitum objectum, quod revera est licitum.

citum. Ex hucusque adductis, & bene applicatis cuilibet propositioni aliqua censura affectæ, deduci potest, quid de cujuslibet falsitate tenendum sit. Qui plura desiderat, videat succinctas declarationes P. Kresslinger, peculiariter Cardenam jam sæpius laudatum.

161. Duæ adhuc difficultates exurgunt. Prima est, an propositio, quam Pontifex ait esse probabiliorem sua opposita, possit esse falsa? sicut in Clement. un. de Summa Trinitate definitur, probabilius esse, quod parvulis baptizatis virtutes infundantur. Secunda est, utrum falsa esse queat propositio, quam Pontifex prohibet aliqua censura affici? uti hæc est: *sufficit in Sacramento Pœnitentiæ supernaturalis attritio, etiam sine actu dilectionis.* Ad primam quæstionem aliqui Theologi existimant, talem propositionem non posse esse falsam, quia alias ex ejusmodi decretis magnum in Ecclesia posset fieri detrimentum: verum hoc posset videri difficile, quia alias talis propositio non esset probabilior, sed omnino certa. Lugo verius docet, ad divinam spectare Providentiam, ne a Pontifice Magistro universali veritatis, hujusmodi decretum edatur, quo propositio in se falsa dicatur, & proponatur ut probabilior. Hinc, quamvis propositio, quæ definitur probabilior, Metaphysice loquendo possit esse falsa, nunquam tamen de ejus veritate dubitandum erit. Et ecce, quod juxta Clement. illam unicam tantum olim erat probabilius, nunc post Tridentinum omnino certum est, & definitum.

Ad secundam difficultatem ajo, propositiones, quas Pontifex prohibet censura affici, posse esse aliquando falsas; nam talis prohibitio sæpe fit in bonum pacis, & ad vitandas discordias, non in gratiam veritatis. Et Alexander VII. vetuit, ne quis censura notaret tam sententiam affirmantem, quam negantem, esse necessariam dilectionem aliqualem in attritione ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita; cum autem ex his duabus propositionibus extreme oppositis una sit necessario falsa, infertur, de facto esse vetitum, propositionem aliquam falsam perstringere censura.

Cœterum monendi sunt Theologi, ut in refutandis aliorum sibi contrariorum Theologorum opinionibus & sententiis, super quibus Ecclesia nullum adhuc judicium protulit, ab immitibus notis & censuris abstineant, ceu quibus nihil sibi præter summam invidiam & odium accersunt. Sic enim loquitur Innocentius XI. in Decreto, quo 65. propositiones ad doctrinam moralem spectantes proscripsit: *ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicunque in posterum abstineant, & ut paci & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis, quam manuscriptis, quam*

in

in Thesibus, Disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura & nota, nec non a quibusvis convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ, super iisdem propositionibus judicium proferatur.

§. V.

Continuatur præsens materia de infallibilitate S. Pontificis.

Dubitatur, & acriter disputatur, an S. Pontifex & Ecclesia sint infallibiles in Canonizatione Sanctorum. Prosper Cardinalis de Lambertinis, postea Benedictus XIV. S. Pontifex in suo præstantissimo opere de Beatificatione, & Canonizatione L. 1. c. 43. 44. 45. de hac re fuse, & eruditissime discurrit.

162. Resolvo 1. Summus Pontifex est infallibilis in Canonizatione Sanctorum. Ita plerique Theologi ex omni Schola. Ex Scotistica laudatus Pontifex c. 43. allegat Aretinum dictum de Pitigianis in sua Summa Specul. & Moral. super tertium sententiarum Scoti Dist. 25. Art. 5. Frassen in suo Scoto Academico de effectibus & præcellentia gratiæ sanctificantis in solutione oppositionis sextæ n. 10. Pontium in cursu Theologico Disp. 28. q. 1. Conclus. 10. Macedum in suis Scholiis Theolog. Schol. 19. c. 2. & c. 4. Angelum a Petricia a Sonnino in Lib. de militante & triumphante Ecclesia L. 12. Disp. 2. Conclus. 2. Guarnier in suo Tomo de Ecclesia triumph. L. 2. c. 3. §. 2. Cordubam in libro inscripto: quæstiones Theologicæ L. 4. quæst. 12. Bordon de Blasph. cas. 22. n. 5. & Parte 3. variarum Resolut: Resolut. 113. Cardinalem de Lauræa Tom. 1. de fide Disp. 6. Art. 3. n. 120. & n. 125. Patrem a Panormo meritissimum, ut ait laudatissimus Pontifex, olim Sacr. Rit. Congregationis Consultorem in suo opere, cui titulus: Scrutinium doctrinarum c. 2. Art. 13. n. 137. & subsequentibus. & c. 3. Art. 14. n. 34. Hos adducit cit. cap. n. 7. & jam antea n. 5. laudavit Patrem Anacletum Reiffenstuel ex Ord. Min. Reformatæ Provinciæ Bavaricæ in Jus Canon. T. 3. ad Tit. Decret. de Reliquiis & Veneratione Sanctorum §. 1. n. 8. Quibus plures addi possent ex omni Schola, & ex nostra etiam meretur adjungi Illustrissimus Guilielmus Herincx Episcopus Iprensis 3. p. Summæ Theolog. Disp. 7. q. 4.

Probatur breviter. Decretum Canonizationis spectat ad materiam morum, cum in eo decernatur, v. g. Franciscum ab universa Ecclesia esse colendum: sed Pontifex nequit errare in Decretis morum, ut dictum est: ergo neque in Canonizatione Sanctorum. Argumentum hoc est D. Thomæ quodl. 9. q. 7. Art. 16. ibi: *in Ecclesia non potest esse error damnabilis, sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tan-*

quam Sanctum, qui fuit peccator, quia aliqui scientes peccata ejus, crederent, hoc esse falsum &c. &c. si ita contingeret, possent ad errorem perduci; ergo Ecclesia in talibus errare non potest. Id ipsum bene explicat Melchior Canus de locis Theolog. L. 5. c. 5. Conc. 3. dicens: *multum refert ad communes Ecclesiæ mores scire, quos debeas religione colere. Quare si in illis erraret Ecclesia, in moribus quoque graviter falleretur. Nec differt, Diabolum colas, aut hominem condemnatum.*

Ratio rationis est: Judicium illud, quo decernitur aliquis Sanctus, a Spiritu S. dirigitur: ergo debet esse infallibile. A. ex eo patet, quia, si in tali gravi re Pontifex & Ecclesia non haberent Spiritus S. assistentiam, Ecclesiæ non esset satis provisum in necessariis, & facile in re gravissima ad mores & Religionem pertinente posset induci in errorem.

Confirmatur ulterius. Pontifex canonizando procedit ex officio pastorali tanquam Magister, & Superior universalis Ecclesiæ: eatenus autem est infallibilis: ergo.

163. An autem sit de fide tanta infallibilitas in Pontifice canonizante? quæstio est ulterior. ℞. Non est quidem omnino de fide certum, bene autem certitudine Ecclesiastica, subnixa assistente Spiritu Sancto. P. 1. m. responsionis: sunt enim graves authores, qui apud allegatum S. Pontificem Benedictum XIV. c. 45. id negant esse de fide. Inter hos recensentur Joan. a. S. Thoma in 2. 2. D. Thomæ Tom. un. Disp. 9. Art. 2. p. 158. edit. Lugdunensis: ubi relatis circa hoc variis sententiis addit: *Tertia media est, esse quidem certum, Papam errare non posse in Canonizatione Sanctorum, & esse dignum censura, qui oppositum diceret: non tamen esset hæreticus, sed temerarius, impius, & scandalosus, imo & proximus errori, aut sapiens hæresin. Hæc sententia communior est apud Recentiores &c.*

Antonius noster Cordubensis in quæstionario Theolog. L. 4. q. 12. pag. 317. Edit. Venet. 1604. *Non certo hæreticum, aut sapiens hæresin, sed valde probabiliter hæreticum, aut certe impium, & contra probabilitatem & pietatem fidei est, quod Ecclesia, id est, Papa, vel Concilium generale in canonizatione Sanctorum errare potest.*

Ludovicus a Paramo de Origine & progressu officii Sanctæ Inquisitionis L. 3. q. 5. n. 184. p. 679. Edit. Matrit. 1598. *Non haberet plus authoritatis definitio illa, quam habet canonizatio Sancti, in qua, quamvis sit certum, non posse Papam errare, non tamen est adeo certum, ut sit de fide.*

Consentit etiam Franc. Suarez de triplici virtute Theologica. De fide Disp. 5. sect. 8. pag. 104. Edit. Lugdunens. anno 1621. Gabriel Vasq. Dominicus a SS. Trinitate, Vincentius Ferre. Dominicus Maria

ria Marchesius de capite visibili Ecclesiæ, quorum verba apud jam sæpius laudatum Pontificem adducto loco videre licet.

Dominicus Bannes in 2. 2. S. Thomæ q. 1. Art. 10. dub. 7. pag. 171. Edit. Venet. 1586. sic discurrit: *An Summus Pontifex possit in Canonizatione Sanctorum errare —— —— Sed dicit aliquis: quare non damnamus hæresis sic asserentes*, quod nempe non sit infallibilis? *Respondetur, nos sequi in hac censura communem Theologorum sententiam, præsertim D. Thomæ quodl. 9. —— Verumtamen, quia proximis temporibus fuerunt hæretici, qui Ecclesiam in Sanctis canonizandis irriderent, atque negarent ejus authoritatem & infallibilitatem, propterea recentiores Theologi merito decernunt, hæresin sapere Lutheranam, Ecclesiam in alicujus Sancti canonizatione falsam fuisse, etiamsi authoritas canonizandi non negetur.* Præter hos Summus Pontifex etiam allegat Salmanticenses, & Theophilum Raynaudum. Magna hæc authoritas, & aliorum plurium omnino hoc evincit, non esse de fide istam infallibilitatem, alias contrarium dicens esset hæreticus: ergo.

Accedit ratio: Nulla extat aperta definitio Ecclesiæ, quæ decernat, infallibilitatem istam esse fide Divina tenendam, nec contrarium Ecclesia vel Pontifex damnavit unquam ut hæreticum, sicut damnari solent illa, quæ opponuntur iis, quæ fide divina credere debemus.

P. 2. m. Quód expresse tenet R. P. Thomas Excarmes Tom. 1. Theol. univers. Tract. de Prolegom. q. 4. Art. 4. quæsito 5. sequitur istud membrum ex authoritatibus pro primo membro allegatis, ex quibus habetur, saltem adeo id certum esse, ut contrarium sentientes certo mereantur alias censuras graves, quamvis non sint hæretici dicendi. Dein ex promissionibus Ecclesiæ & Petro factis saltem deduci potest, certo Ecclesiæ competere hanc infallibilitatem: ergo ad minimum est certum certitudine fidei Ecclesiasticæ, subnixæ assistentia Spiritus S., ut Canus cit. bene explicat, dicens: *Deus peculiariter providere censendus est, ne Ecclesia, quantumlibet hominum testimonia sequatur, in Sanctorum Canonizatione erret: cujus quidem peculiarissimæ Providentiæ magnum argumentum est, quod nunquam infirmata est fides ab humanis testibus, semel in hujusmodi judiciis suscepta.*

Audiendus quoque est Benedictus XIV. citatus. c. 44. n. 4. ita loquitur: "quia nos Ipsi, qui tot annorum spatio munus fidei Pro-
„motoris sustinuimus, nostris, ut ita dicam, oculis vidimus, Divi-
„num eundem Spiritum Romano Pontifici assistentem in definiendis
„Canonizationis causis: In aliquibus namque ex eis, quæ felicissimo
„cursu progrediebantur, repente difficultates antea nunquam præco-

„gnitæ excitatæ ſunt, quæ prædictum felicem curſum retardarunt; „in aliis contra quædam promotæ difficultates, quæ inſuperabiles videbantur, ſuadebantque, ſilentium illis eſſe imponendum, ex momentis inſperato repertis mira facilitate ſublatæ ſunt, atque ideo „cauſæ ipſæ ad ſuum optatum finem pervenerunt.„ Ex quibus colligitur, Spiritus S. aſſiſtentiam Summo Pontifici non deeſſe in hoc negotio, qui omnem errorem impediat, ita, ut S. Pontifex, licet adhibeat teſtimonia humana ex ſe fallibilia, iis tamen non fallatur, neque decipiatur.

Qui S. Pontificem in canonizatione fallibilem volunt,

164. Objic. 1. Gloſſa *in Cap. un. de Reliq. & Venerat. Sanctorum* in verbum *Sedis Apoſtolicæ* admittit poſſibilitatem erroris in canonizatione: ergo in hac Papa non eſt infallibilis. ℞. C. a. N. c. Gloſſa, licet alioquin magnæ authoritatis, tamen hic non eſt attendenda, ut Benedictus XIV. citatus c. 44. n. 6. teſtatur, quia licet ab ea aliquando recedere, præſertim cum plures in gloſſis Juris Pontificii inveniantur errores, de quibus late Nicolaus Peguletus in ſuo Tract. Probabilitatis c. 10. cui Titulus: *errores plurimi gloſſæ Canonicæ.* Præterea aliis Theologis paucis numero, qui nobis ſunt contrarii, opponi debent innumeri alii, qui pro infallibilitate S. Pontificis certant.

Objic. 2. S. Auguſtinus, ut communiter circumfertur, ait: multorum animæ cremantur in inferno, quorum corpora coluntur in altari: ergo licet canonizatorum corpora in altari colantur, eorum animæ poſſunt cremari in inferno, & ſic S. Pontifex non eſt infallibilis in canonizatione. ℞. Hanc objectionem diſſolvit funditus jam plures in iſta Controverſia laudatiſſimus Pontifex Benedictus XIV. c. 44. n. 6. Do Ejus verba diſſerta, quibus nihil addi poteſt, aut debet. Ita ſonant: "Illud denique S. Auguſtini, quatenus effatum prædictum „in operibus ejus reperiatur, de quo hucusque non conſtat, nonnulli „exponunt de Ethnicis, & Gentilibus, quorum corpora ſuperbiſſimis „ſepulchris ſunt incluſa. Ita Vigner de fide Verſic. 4. n. 104. alii id „intelligunt de Chriſtianis reprobis, qui honorificis decorantur Epitaphiis, licet in inferis crucientur. Sic Rocca in ſuo Comment. de „Canonizatione Sanctorum c. 42. Nonnulli id volunt explicandum „eſſe de Martyribus Hæreticorum, præſertim vero Donatiſtarum. Ita „Card. Bellarm. Tom. 1. Controverſ. L. 1. de SS. Beatitate c. 9. Cæteri denique ſuſtinent, illud eſſe accipiendum de Reliquiis, quæ putantur eſſe Reliquiæ Sanctorum, & cultum habent, licet SS. reliquiæ re vera non ſint, ut docte de more Covarr: variar. Reſolut. „L. 1. c. 10. ſub n. 13. *quod autem poſteriori loco ex Auguſtino refertur, & ſi vere*

„ *si vere ejus authoris nomine censendum sit, quod negamus, nihil contrariam*
„ *opinionem juvare videtur; non enim dixit Augustinus, multa corpora eorum,*
„ *qui ab Ecclesia canonizati fuerunt, nos falso venerari, cum eorum animæ in*
„ *inferis crucientur: sed nos multa corpora in terris venerari, quæ existimamus*
„ *esse eorum, qui ab Ecclesia fuerint in Sanctos & Divos relati, cum tamen ve-*
„ *re eorum non sint, sed potius hominum damnatorum, qui in inferis cruciantur,*
„ *forsan infidelium, Sicariorum &c. &c. qui ab humanis discessere publico apud*
„ *omnes depravatæ vitæ testimonio: & tamen fallit nos, non equidem Ecclesiæ*
„ *judicium, sed rerum vicissitudo, ex qua Christiana Respublica tot bellis Mau-*
„ *rorum, Turcarumve tyrannide oppressa has illusiones patitur circa SS. corpo-*
„ *rum venerationem. Censet sane Ecclesia, Venerandum & colendum ut San-*
„ *ctum Divum Hieronymum; at non ita decrevit proprio judicio, corpus hoc,*
„ *quod nos D. Hieronymi existimamus, vere corpus illius esse. Sic etiam defi-*
„ *nivit, maxima veneratione Joannem Baptistam colendum esse; ex hoc non se-*
„ *quitur, judicio Ecclesiæ certum esse, caput hoc, quod putamus, esse D. Joan-*
„ *nis, procul dubio illius esse; forsan enim alterius est. Quodsi & hoc Ecclesia*
„ *prævia cognitione, & diligenti examinatione censeret, dicendum quidem esset,*
„ *non permissurum Deum Optimum, Maximum, summum Pontificem in hoc falli,*
„ *nosque ejus judicio decipi. Et tamen constanter asserimus, venerationem exhi-*
„ *bendam esse hoc in dubio his Reliquiis, quæ vel ex communi Christianorum opi-*
„ *nione, vel tacito Prælatorum consensu Sanctorum esse censentur. Nam etsi in*
„ *hoc error posset contingere, is præsumendus non est in re adeo gravi, & ad*
„ *Religionem pertinente:* „ Hæc sapientissimus Pontifex.

Obj. 3. Cap. *a nobis* 28. de Sent. Excomm. ubi: *Judicium Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam fallere sæpe contingit, & falli*: ergo Ecclesia est fallibilis. ℞. Hunc textum canonicum referri ad facta particularia, quæ nullam habent connexionem cum materia fidei & morum universalem Ecclesiam respicientium, cum in illis possibile sit errare Pontificem, minime in ista. Neque urgeant, Pontificem sequi in materia ista testimonia humana secundum se fallibilia; hæc enim instantia exsufflatur uno afflatu Spiritus Sancti, quo nititur S. Pontifex, & munitur contra errorem omnem, etiam in usu istorum testimoniorum secundum se fallibilium.

Objic. 4. In *Libro Ceremoniarum* Archiepiscopi Corcyrensis, qui saltem sub ejus nomine editus est tempore Leonis X. sic legitur: *Pontifex, antequam pronunciet* (nempe sententiam canonizationis) *consuevit protestari in hanc formam, quod invenimus servatum a multis Pontificibus: antequam ad pronunciationem veniamus, protestamur publice apud vos præsentes, quod per hunc actum canonizationis non intendamus aliquid facere, quod sit con-*

tra fidem, aut Ecclesiam Catholicam, sive honorem Dei. Ex hac protestatione infert Albertus Fabricius vir hæreticus in sua Bibliographia edita Hamburgi Anno 1716. c. 8. sub 25. Romanos Pontifices confessos fuisse, se in Canonizatione SS. falli posse. Id ipsum putat Natalis Alexander Differt. 27. Sæculi IV. urget idem Joannes Lanojus in Epistol. Cantabrigiæ editis Anno 1689. quas citat Benedictus XIV. jam citato Libro c. 44. n. 18. ubi audaciam pro meritis acriter reprehendit istius Galli authoris, quem non pudet, S. Pontificem hac in re cum Sorbonicis Baccalaureis comparare, quod vocat *temerarium & contumeliosum in Christi Vicarium dictum, quod a solo Lanojo proferri poterat, utpote Romanorum Pontificum, & Sedis Apostolicæ hoste apertissimo, ex quo ipsius opuscula a S. Indicis Congregatione fuerant merito proscripta.* Recte ait pius Author de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ L. 3. c. 11. n. 9. *Qui Lanoji opera legunt, præsertim ejus Epistolas, quæ omnes, paucissimis exceptis, contra Pontificiam authoritatem tendunt, addunt, agnoscant in styli acrimonia censuræ suis opusculis inustæ dolorem (fuerunt enim prohibita ejus opuscula a Congregatione Indicis) in regulis frequentius ab eo tractatis, ac fere in omnibus Epistolis jurium S. Sedis extenuandorum studium, in probando argumentorum plerumque negativorum debilitatem, aut conjecturarum argutias: atque ita ei non plus fidei tribuant, quam obtinere ejus probationes mereantur.* Ad hanc objectionem a Benedicto XIV. propositam, ex Eodem altissime dicto Pontifice sic

℞. 1. Verbis Mathæi Petit didier in suo Tract. Theolog. de Papæ infallibilitate edito Luxemburgi Anno 1724. c. 15. §. 3. quæ gallico idiomate in latinum translata apud Benedictum XIV. sæpius allegatum c. 44. n. 20. ita sonant: „ Doctor Lanojus nobis opponit, „ quod quidam S. Pontifex ante canonizationem cujusdam Sancti pro- „ testatus est, quod in hoc actu non prætendebat aliquid facere con- „ tra fidem: ex quo infert, quod hic Papa se recognovit errori sub- „ jectum &c. Sed in eo, quod attinet ad hoc caput, videre facile „ est, quod ex declaratione a Papa emissa, quod videlicet non inten- „ debat aliquid facere contra fidem, non recte infertur, quod se ca- „ pacem reputabat proponendi universæ Ecclesiæ aliquem errorem, „ tanquam aliquem fidei articulum, ex quo dixisset, se non præten- „ dere aliquid statuere contra fidem: quemadmodum recte concludi „ non debet, Concilium œcumenicum posse universæ Ecclesiæ ali- „ quem errorem proponere, ex quo dixisset, se non prætendere ali- „ quid statuere contra fidem. „

℞. 2. ex Eodem Sapientissimo Pontifice. Papa protestando, per actum Canonizationis non intendere aliquid facere, quod sit contra

tra fidem &c. nullatenus veretur, ſe in Canonizatione errare poſſe. Verborum ſenſus hic rectus & legitimus videtur: *Proteſtor, me non decernere cultum Sanctis, qui Deo debetur, eſſe impendendum; quod quidem eſſet contra fidem, & Eccleſiam Catholicam, & contra honorem Dei.* Proteſtatio ſimili modo declarata eſt ſimilis proteſtationi ſeptimæ Synodi, in qua Patres declararunt, ſe ſanctorum imaginibus colendis latriam non aſſerere ſoli Deo debitam. Fuit hoc indicatum a Cardinali Petra ad Conſtitut. Apoſtol. Tom. 2. in Notis ad Conſt. I. Alexand. III. ſub n. 22. Hæc & alia plura, eruditione plena, apud allegatum Pontificem Benedictum XIV. videri poſſunt.

§. VI.

Continuatur rurſum materia de Canonizatione Sanctorum: & adduntur alia de infallibilitate S. Pontificis.

165 Reſolvo. Non obſtantibus prioribus eſt de fide, a S. Pontifice canonizatum eſſe in cœlo. Ita multi authores apud Benedictum XIV. ſuperius allegatum c. 45. n. 14. inter quos etiam eſt noſter Cardinalis de Lauræa ibidem n. 22. citatus, cuius verba poſtea adducam.

Conſentit S. Bonaventura opuſc. contra Quill. ubi docet: *ad infidelitatem ſpectare, de Sancti canonizati gloria dubitare.*

P. Ratiocinio laudatiſſimi Pontificis n. 23. quod diſertis altiſſime dicti verbis recito: ait itaque c. 45. n. 23. „ poſſe Pontificem & „ Eccleſiam definire tanquam certa fide tenendum id, quod infertur „ ex duabus præmiſſis, quarum altera de fide ſit, altera autem mora- „ liter evidens: ideoque cum ſit de fide, eum, qui in obſervantia „ legis & mandatorum perſeveraverit, ſalvum fore, æternaque frui- „ turum beatitudine; ex proceſſibus autem factis in canonizationi- „ bus evidens ſit *moraliter*, canonizandum perſeveraſſe usque in fi- „ nem in obſervantia mandatorum, virtutesque morales exercuiſſe; „ in gradu heroico, nec non miraculis claruiſſe ſubdunt (Patroni „ hujus reſolutionis) Summos ergo Pontifices, poſtquam ex his „ duabus præmiſſis deduxerunt, canonizandos eſſe Sanctos, æter- „ naque beatitudine fruentes, bene potuiſſe definire, id certa fi- „ de tenendum eſſe: prout revera definiviſſe dicendum eſt, ſi „ ponderentur canonizationum Bullæ, in quibus dixerunt, & dicunt, „ & decernunt, canonizatum eſſe Sanctum, idque fideliter, ac firmi- „ ter eſſe tenendum. Ad ulteriora hinc progredientes admittunt uti- „ que, id, quod a Deo revelatum non eſt ſaltem implicite, eſſe non „ poſſe fidei objectum; ſed & docent, in Sacra Scriptura delineatas „ eſſe qualitates, ſeu virtutes eorum, qui ſalvandi ſunt, & cum eo regnaturi,

„ regnaturi, ut habetur Matth. 5. v. 19. Item c. 7. & c. 12. rurſus „ Matth. 19. v. 17. & v. 29. c. 24. v. 46. Tum Joan. 12. v. 25. & „ iterum Joan. 17. quin & Pſal. 14. David ſibi ipſi interroganti: *Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* „ ſibi, inquam, ipſi ex Spiritus S. afflatu hæc reſpondet: *qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo; qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos; qui jurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit: qui facit hæc, non movebitur in æternum.* Porro contendunt (Patroni „ meæ reſolutionis) per hæc Deum implicite revelaſſe omnes, qui „ ſalvandi ſunt, eos videlicet, qui conditionibus illis, virtutibus „ nempe, præditi fuerint usque in finem. Unde demum argumen- „ tantur, ſummum Pontificem poſitis diligentiis, & probationibus virtu- „ tùm ac miraculorum alicujus Servi Dei jam defuncti, judicantem, „ eum eſſe unum ex illis implicite revelatis ſalvandis, & cum Chriſto „ regnaturis, atque adeo ſalvatum, & regnantem eſſe, non uti judicio „ pure naturali, & ratiocinatione mere Theologica, ſed cum in hoc „ judicio formando intendat, eum præceptive proponere in univer- „ ſa Eccleſia colendum, ſpecialem habere influxum, ſeu illuminatio- „ nem Spiritus Sancti, quæ ſolet inſtinctus, ſeu afflatus appellari: & „ certo atque infallibiliter cognoſcere, eundem Dei Servum fuiſſe „ virtutibus præditum, & illis miraculis claruiſſe, quæ ejus interceſ- „ ſione facta probantur, ideoque unum ex iis, quos regnaturos Deus „ implicite revelaverat. Volunt itaque ſic ſentientes, majorem pro- „ poſitionem eſſe revelatam, minorem ex ratiocinatione Theologica „ deduci, ejusdemque veritatem cognoſci a Papa per inſtinctum Spi- „ ritus S., & proinde concluſionem, ut dependentem a majori expli- „ cite revelata, atque a minori per inſtinctum inſpirata, dici poſſe & „ debere objectum fidei. „

Hæc eſt mea probatio, verbis conceptis Sapientiſſimi Pontificis adducta, licet Ipſe in hac re nihil voluerit decidere, *usquequo Sedis Apoſtolicæ judicium prodeat.* Interea mihi videtur ea efficax, & convincens, quæ ſtabilitur magis ex iis, quæ Laudatus ex noſtri Ordinis Cardinale de Lauræa n. 25. addit. Sic habent: „ Ego non quæro, an „ ſit de fide, quod Papa non poſſit errare in Canonizatione? ſed quæ- „ ro, an ſit de fide, quod canonizatus ſit Sanctus? & dico eſſe, & „ ipſimet S. Thomas, & Diſcipuli, aliique ſequentes id etiam affir- „ mare videntur: quia licet negent, eſſe de fide, quod Papa non poſſit in „ canonizatione errare, tamen confitentur, quod honorare Sanctum canoni-

„ canonizatum est professio fidei, qua creditur gloria illius Sancti.
„ Ergo, quod sit Sanctus & in gloria, etiam per eos est objectum fi-
„ dei, & hæc est mea controversia. Si autem præfati Doctores di-
„ gnarentur considerare hoc aliud motivum, quod scilicet Papa non
„ utitur solo instinctu tanquam principaliori causa inducente ad cano-
„ nizandum, & proponendum Ecclesiæ canonizatum, ut debito ob-
„ sequio & honore veneretur, habeaturque pro Sancto, sed utatur
„ discursu Theologico, habente majorem propositionem revelatam,
„ scilicet: *Beati mites: qui persecutionem patiuntur &c. &c. ubi ego sum, il-*
„ *lic erit Minister meus*, minorem vero naturalem, nempe cognitionem
„ virtutum & miraculorum, testantium, esse unum ex illis, quos in
„ illis universalibus revelavit Deus; cujus quidem minoris veritatem
„ Papa cognoscit per instinctum: conclusio ut dependens a majore ex-
„ plicite revelata, & a minori revelata, seu inspirata per instinctum,
„ majori ratione dici potest, & debet objectum fidei, quam si dica-
„ tur, Papam uti solo instinctu, ut hucusque visi sunt loqui autho-
„ res, & tamen dixerunt, de fide esse, & quod canonizatus sit San-
„ ctus, & sit professio fidei, eum venerari. „ Ex his rite pensatis fluit conclusio ista: ergo est de fide, canonizatum esse Sanctum, & in gloria.

166 Objiciunt. 1. Ea, quæ nec certo, nec implicite, nec virtualiter sunt revelata, ita, ut certo & evidenter valeant erui ex proxime revelatis, non possunt nunc reponi ab Ecclesia inter dogmata fidei: Sed declaratio sanctitatis alicujus, quam facit S. Pontifex in solenni canonizatione, est talis: ergo non est de fide. m. p. Declaratio sanctitatis, quam facit S. Pontifex in solenni canonizatione, pendet ex Syllogismo, cujus minor propositio, quod ille videlicet sancte obierit, humanis tantum testibus comperta est Pontifici: ergo talis canonizatio non importat certitudinem de fide. ℞. N. m. ad p. D. a. pendet ex syllogismo, cujus minor propositio comperta est ex solis testimoniis humanis n. a. ex testimoniis humanis, & simul ex afflatu Spiritus S. vi cujus S. Pontifex non decipietur similibus testimoniis fallibilibus, & errabit nunquam in tali negotio, & vi cujus illa minor sit moraliter certa, certitudine morali in supremo gradu tali, vi cujus quidem absolute & metaphysice loquendo adhuc errare posset, sed nunquam errabit, talem errorem Spiritu S. impediente c. a. & n. c. Canonizatio ergo illa, & declaratio Ecclesiastica est tantum propositio, seu applicatio objecti credibilis & credendi, seu materialis fidei: hac semel habita de se tenemur jure naturali & divino credere. Notandum igitur ex tractatu de fide, sufficere ad hoc, ut conclusio sit de fide, dummodo altera præ-

missa, quæ non est de fide, sit saltem moraliter certa: ratio est, quia talis præmissa & totus discursus tantum concurrit ad actum fidei tanquam conditio, proponens & applicans objectum fidei, & revelationem divinam: atqui talis conditio, proponens objectum fidei, & revelationem, non debet habere majorem evidentiam & certitudinem, quam moralem, sicut motiva credibilitatis, quæ nobis applicant & proponunt revelationem divinam. Hæc communiter Th. Th. in Tract. de fide, cui doctrinæ præcipue insistit nostra assertio.

Objiciunt 2. Aliqui errores in Martyrologio Romano aliquando irrepserunt, qui subinde correcti fuerunt, & pauca quædam menda corrigenda supersunt: ergo etiam in canonizationibus potuerunt errores contingere. ℞. N. c. Pro ratione negationis adduco verba concepta Pontificis toties allegati c. 44. n. 14. „ qui id opponit, scire debet, nihil in eo negotio, quo aliquis inferitur Martyrologio, esse commune cum re, de qua nunc agimus. In Martyrologio Romano inscripta quidem sunt nomina eorum, qui fuerunt solenniter canonizati per summos Pontifices, de quibus utique nullus error inveniri potest: sed inscripta quoque in eo reperiuntur aliorum nomina, qui in album Sanctorum nunquam a summis Pontificibus relati sunt, sed tantum vel *formaliter*, vel *æquipollenter* beatificati dici possunt sive per Romanos Pontifices, sive Episcoporum judicio juxta antiquam disciplinam: circa quos, quatenus aliquis error irrepsisset, vel adhuc permaneret (qui tamen nec irrepsit, nec adest quoad eos, qui inter Beatos a Romanis Pontificibus relati sunt, postquam ad eos delatum est jus privativum indulgendi Beatificationis honores) nemo est, qui non videt, ex hoc ad rem præsentem nihil inferri posse. Aliquid nempe ex hoc argumento evinceretur, si descriptio in Martyrologio Romano, spectata sua natura & indole, canonizationem *formalem*, vel *æquipollentem* importaret, etiamsi, qui sunt descripti, non fuissent antea vel *formaliter*, vel *æquipollenter* canonizati. At id nunquam probari poterit: nam ex alibi dicendis constabit, pertractatam fuisse in SS. Rituum Congregatione quæstionem: *quid importet descriptio in Martyrologio? & utrum ad quandam canozationis, an ad quamdam beatificationis speciem referri possit?* nec eam usque huc resolvi potuisse.„

Finio istam controversiam verbis sapientissimi Benedicti XIV. c. 55. n. 8. *Itaque ut tantæ quæstioni finem denique imponamus, si non hæreticum, temerarium tamen, scandalum toti Ecclesiæ afferentem, in Sanctos injuriosum, faventem hæreticis negantibus authoritatem Ecclesiæ in canonizatione San-*

Sanctorum, sapientem hæresin, utpote viam sternentem infidelibus ad irridendum fideles, assertorem erroneæ propositionis, & gravissimis pœnis obnoxium dicemus eum, qui audet asserere, Pontificem in hac aut illa canonizatione errasse, huncque aut illum Sanctum ab eo canonizatum non esse cultu duliæ colendum; quemadmodum & assentiuntur illi, qui docent, de fide non esse, Papam esse infallibilem in canonizatione Sanctorum, nec esse de fide, hunc aut illum canonizatum esse Sanctum. Cum igitur contrariæ sententiæ aliquibus videantur utcunque probabiles, & cum tolerentur ab Ecclesia sciente, saltem tamdiu a censura hæresis ipsis inurenda abstinere oportet, donec Sedis Apostolicæ judicium prodeat, licet reliquæ censuræ, & ipsæ sat graves, illis a S. Pontifice pro meritis tribuantur.

167

Resolutio 1. addita: Non ea certitudine certum est, Beatificatum ac canonizatum esse in cœlis. Ita plures Th. Th. Ratio est 1. quia in decretis Beatificationis Pontifex solum dicit: *concedimus & indulgemus, ut talis Beatus appellari, & de eo Sacrum, ac officium fieri possit.* In Bullis vero canonizationis dicit: *definimus.* Leo X. in canonizatione S. Francisci de Paula sic loquitur: *Decernimus & definimus, esse receptum in gloria.* Sixtus IV. in canonizatione S. Bonaventuræ: *hunc Sanctum esse, fideliter firmiterque teneri debere, decernimus.* 2. Beatificatio, prout ea nunc est in usu, est quædam licentia, præmissis convenientibus rigidis examinibus, data per Bullam a S. Pontifice, ut aliqua persona in aliqua determinata natione, Provincia, Episcopatu, aut ordine Religioso coli possit tanquam beata per Missam, & officium divinum; atque adeo non dirigitur ad universam Ecclesiam. 3. Post beatificationem nova examina succedunt ante canonizationem, quæ, ut Arriaga notat, essent injuriosa fidei, si de fide esset, beatum esse in gloria.

Nihilominus inferiore certitudine certum est, summum Pontificem non posse errare in beatificatione, & Beatum a S. Pontifice renunciatum esse in gloria: *tum,* quia beatificatio est inchoata canonizatio, & ad hanc dispositio: *tum,* quia beatificatio fit maturo & alto judicio, multis & exactis inquisitionibus, probationibus per multas congregationes perpensis, & examinatis, cum profunda indagine probitatis vitæ, felicis mortis, & miraculorum, quæ divina sunt testimonia: *tum,* quia licet toti Ecclesiæ, beatificatum pro beato habere, se illius precibus commendare. Non igitur est credibile, Deum permissurum, Ecclesiam in re tam gravi errare, præsertim cum gravi præjudicio eorum, qui beatificantur, utpote pro quibus fideles firmiter de eorum gloria persuasi non amplius facerent suffragia, quibus tamen

 indigere

indigere possent, si Pontifex beatificando posset errare. Quod Pontifex munitus divina assistentia non erret unquam beatificando, videtur etiam asserere Benedictus XIV. supra in Responsione ad 2. Object. citatus.

168 Resolutio 2. addita. Neque S. Pontifex, aut Ecclesia errare potest in approbatione alicujus Ordinis Religiosi. P. Dum probat aliquem ordinem Religiosum, universæ Ecclesiæ indicat Pontifex, ejus institutum esse bonum, ducens ad perfectionem Religiosam, esse utile Reipublicæ Christianæ: atqui in hoc si errare posset, posset errare in materia morum, aliquem statum honestum, & statum perfectionis declarando, qui talis non esset, vel omnino malus foret: sed hoc non potest S. Pontifex, ut ex superioribus liquet. Si autem aliquos Ordines Religiosos prius approbatos Ecclesia iterum extinxit, id non factum, quia ab initio boni non fuerunt, sed quia illorum alumni successu temporis ab instituto suo deflexerunt.

ARTICULUS XV.

Utrum hactenus aliquis Pontifex ex Cathedra loquens erraverit in fide, aut Religionis negotio?

169 Assero, & Respondeo ad hoc quæsitum negative. Contra Novatores, qui varios errores affingunt Pontificibus, a facto ad potentiam ducentes argumentum, nempe dicentes: erraverunt Pontifices in fide: ergo possunt errare, & non sunt infallibiles. Verum hos confutat egregie V. Bellarminus Tom. 1. Controversiarum L. 4. c. 8. & seqq.

P. Assertio 1. Quando agitur de aliquo facto, audiendi sunt viri omni exceptione majores; sed ex hoc momento liquet, nullum ex summis Pontificibus a Petro ad nos usque e cathedra loquentem errasse: ergo. P. m. ex Theodoreto, qui Epist. 116. ad Renatum Presbyterum Romanum t. 3. pag. 989. sic loquitur: *Habet Sanctissima illa sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, principatum multis nominibus; atque hoc ante omnia, quod ab hæretica labe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram servavit.* Addo luculentum testimonium Papæ Agathonis in sua Epistola ad Imperatores Constantinum, Heraclium & Tiberium, quæ Act. 4. Sextæ Synodi lecta est, & Act. 8. ejusdem Synodi a Patribus unanimiter recepta & approbata, ut adeo possit dici totius Concilii doctrina. Sic sonat: „Apostolica Petri Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris

„parte

„ parte deflexa est. —— Hæc est veræ fidei regula, quam & in pro„ speris, & adversis vivaciter tenuit, & defendit, hæc spiritualis Ma„ ter vestri tranquillissimi imperii Apostolica Christi Ecclesia, quæ „ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ Traditionis nun„ quam errasse probatur, nec hæreticis pravitatibus depravata suc„ cubuit, sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab Authoribus „ Apostolorum Christi Principibus, illibata fide textus permanet se„ cundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quæ „ suorum Discipulorum Principi in Sacris Evangeliis facta est: Petre, „ Petre, inquiens, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos; ego „ autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando con„ versus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla „ Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, „ qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres „ admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædeces„ sores confidenter fecisse semper, cunctis cognitum est: quorum „ pusillitas mea, licet impar & minima, pro suscepto tamen divina „ dignatione ministerio, pedissequa cupit existere. „ Notes velim, hoc testimonium adduci Sæculo VII. anno scilicet 680. post tempora aliquorum Pontificum, quibus, utique falso, fuere adscripti, vel verius affícti quidam errores, a quibus Agatho hoc suo testimonio cum integro Concilio eos purgat.

P. 2. Nullus error Pontificum e cathedra loquentium adhuc ab Hæreticis aut Criticis allatus est, in quibus illi non fuere innocentes reperti, & defensi a nominatissimis viris: ergo nullus illis imputari potest cum fundamento. A. probabitur ex solutione objectionum, quæ cum plures sint, in plures paragraphos secabuntur.

§. I.

Faciliores quædam Objectiones diluuntur.

Objiciunt 1. cum Nilo in suo libro de Primatu Pontificis Romani. 170 Petrus bis erravit: nam Christum negavit Matth. 26. & gentiles coegit judaizare Gal. 2. ergo. Ad hanc futilem objectionem jam alibi responsum est

Primo Petrus, dum Christum negavit, nondum actu fuit summus Pontifex; hanc enim dignitatem, & potestatem primum accepit a Christo Joan. ultimo, dum Servator ad eum dixerat: *Simon Joannis pasce oves meas.* Adeoque hæc negatio Christi non fuit peccatum S. Pontificis. Deinde negavit Christum ore, non corde, neque unquam hunc errorem ex cathedra totam Ecclesiam docuit.

Ad secundum dico: quod S. Petrus coegerit gentes judaizare, non fuit error prædicationis, sed conversationis, ut docet Tertullianus L. de Præscriptionibus adversus hæreticos. Etenim S. Petrus non decreto statuit, esse judaizandum, sed contrarium tenuit Act. 15. Non negamus, posse Pontifices exemplo suo errare, & scandalum dare: sed hoc negamus, quod ex cathedra docentes & definientes errare queant. Neque exempla Pontificum æque perniciosa Ecclesiæ forent, ac doctrina, si ea mala, vel falsa esset: siquidem nos Dominus instruxit: *quæ dicunt, facite; quæ faciunt* (scilicet male) *facere nolite* Matth. 23.

Objic. 2. Magdeburgenses D. Linum rident cent. 1. L. 2. c. 10. col. 627. quod jusserit, ne fœminæ Ecclesiam ingrederentur capite lineis non cooperto: ergo. ℞. Fecit hac constitutione D. Linus, quod S. Paulus jam antea statuerat, & dignum sua cura æstimavit 1. Corinth. 11. nempe ut fœminæ velato capite essent in Ecclesia propter Angelos, seu, ut exponit S. Ambrosius, propter reverentiam Sacerdotum, qui Angeli in Scriptura appellantur.

Objic. 3. Magdeburgenses cit. cent. 1. L. 2. c. 10. col. 628. reprehendunt Anacletum, quod memoriam S. Petri construxerit, & ornaverit: ergo. ℞. Hanc plane esse Christiano homine indignam reprehensionem: utique S. Petrus de Ecclesia tam bene fuit meritus, ut memoria ejus conservaretur. Aliter senserunt antiqui non solum nomine, sed & re Christiani, inter quos est Cajus Scriptor nobilissimus, & Apostolicis temporibus vicinus, ut Eusebius refert L. 2. Hist. c. 25. qui sepulchra BB. Apostolorum Petri & Pauli appellat Trophæa Apostolorum, quibus Romana Ecclesia quasi columnis firmissimis munitur. Constantinus Magnus quam sumptuosam Basilicam exstruxerit in honorem D. Petri, quamque pretiosis muneribus ornaverit, aliunde scimus. Plura de his SS. Apostolis dat S. Chrysostomus legenda apud Bellarminum.

Quæ contra Thelesphorum gloriosum Christi Martyrem Magdeburgenses cent. 2. c. 10. Col. 212. congerunt, laudem potius, quam vituperium merentur. Primum est, quod Clericis mandavit, ut septem ante Pascha septimanis jejunarent: 2. Quod missas cumularit, & ritum earum auxerit, & ad tempus alligarit: 3. quod Clericorum dignitatem nimium extulerit supra plebem; in his enim prælaudatus Papa justius, meliusque egit Luthero, qui contraria statuit. Fuit Thelesphorus S. Martyr, & temporibus Apostolorum adeo propinquus, ut cum Petro, Paulo, & Joanne loqui potuerit; & ideo ab illis potuit melius cognoscere doctrinam Christi, quam a Luthero, qui nec mar-

tyr

tyr fuit, & ultra quam mille & quadringentis annis a temporibus Apoſtolicis abfuit. Sancte ordinavit illud jejunium, & abſtinentiam ad edomandam carnem: nec repugnat illud D. Pauli: *nemo vos judicet in cibo & potu;* hoc enim ſcriptum eſt non contra Chriſtianam, ſed Judaicam abſtinentiam, cum Judæi certis cibis tanquam immundis nunquam uterentur. Sic itaque D. Paulus Coloſs. 2. ait: *nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum.*

Nec 2do erravit Theleſphorus, qui in Natali Domini ter Miſſas celebrari voluit, & permiſit, addiditque aliquos ritus, & tempus, quo miſſæ celebrandæ eſſent; hoc enim Majeſtas cœnæ Domini, & ut omnia debite & ordinate fiant, exegit, niſi forte, ut ait Bellarminus, tantum Sacramentum minus deceat ordo, quam confuſio. Nec 3tio contra tertium adducant illud Apoſtoli: *omnes vos unum eſtis:* nam quomodo ſimus unum, idem Paulus explicat Rom. 12. & 1. Corinth. 12. nempe juxta hanc explicationem ſumus unum corpus, in quo ſunt varia membra, alia aliis nobiliora.

Victor Papa inſimulatus fuit falſæ doctrinæ, quaſi Deum purum hominem docuiſſet. Verum Euſebius L. 5. Hiſt. c. 28. teſtatur, falſam illam fuiſſe calumniam, & oſtendit, authorem illius erroris, Theodotum vocatum, a Victore fuiſſe excommunicatum. Audiamus Euſebium L. 5. Hiſt. c. 27. *Quomodo non illos pudet, hæc Victori tam falſo objectare? præſertim cum explorate cognitum habeant, Victorem, Theodotum illum Coriarium, qui primus Chriſtum ſolum hominem dicebat —— Chriſtiana communione interdixiſſe*

Objic. 4. Tertullianus L. adverſus Praxeam c. 8. aſſerit, Zephyrinum, Victoris Succeſſorem, approbaſſe Montani Prophetias, earumque Authoribus dediſſe pacis, & communionis literas, quas poſtea ſuadente Praxea revocavit: ergo Zephyrinus erravit contra fidem. ℞. Tertullianus nullam meretur fidem in hac narratione, cum librum illum ſcripſerit poſt ſuum in hæreſin Montani lapſum: quare tunc etiam Romanum Pontificem in partes Montani conabatur trahere. Dein data, non conceſſa, veritate narrationis, ex ea ſolum conjicitur, Zephyrinum ſpecie pietatis, quam Montaniſtæ præſeferebant, perſuaſum fuiſſe, eos recte ſentire, ac docere, erroresque illis falſo fuiſſe impoſitos, eaque de cauſa literas dediſſe pacis, quas tamen revocavit, ubi a Praxea cognovit, eos errorem docere, & tueri: ſed hic nullus fuit error Zephyrini in fide, quem nec ex cathedra docuit, ſed ſolum deceptus eſt circa Perſonas, earumque qualitates, circa quas Pontificem falli poſſe non negamus.

Objic. 5.

Objic. 5. Centuriatores cent. 3. c. 10. col. 277. Urbanum Pontificem ita reprehendunt: *Instituit Confirmationem post Baptismum, sed blaspheme dicit, per manus impositionem Episcoporum accipi Spiritum sanctum, & plene Christianos fieri:* ergo. ℞. 1. Falsum est, ab Urbano institutam esse Confirmationem, cujus usus jam exstat act. 8. & 19. ubi super baptizatos Apostoli manus imponunt, & illi accipiunt Spiritum sanctum. 2. Tertullianus antiquior Urbano L. de Resurrect. Carnis, & L. de Præscription. & L. de Baptismo jam meminit Confirmationis: ergo hæc non est primum per Urbanum instituta. Quæ addunt Centuriatores, sunt mera cruda, & falsa calumnia, nec eam probant, unde nec refutari debet. Quæ ulterius de Pontiano Pontifice Successore Urbani garriunt, nec ipsa, quia nullatenus probantur, merentur refutationem. Neque morandi sunt, dum Cornelium Papam c. 6. col. 145. affirmant docuisse, in calice Domini solam aquam esse offerendam; impudens enim iterum calumnia est, quam solum probant, quod Cyprianus L. 2. Epist. 3. ad Cornelium multa disputet contra hunc errorem, quem minime dicit esse illius, ad quem scribit. Præterea Epistola illa non ad Cornelium, sed ad Cæcilium quemdam Episcopum Africanum scribitur, ut omnia exemplaria testantur. Insuper Alexander Papa Cornelii Prædecessor jam ante decreverat, ne in calice quid aliud, quam vinum aqua mixtum offerretur.

De Marcellini lapsu jam superius actum est: de Liberio, & Honorio agam peculiaribus paragraphis, ubi etiam addam quemdam Leonem Felicis II. Successorem fictum.

Objic. 6. Siricium Papam accusat Calvinus L. 4. Instit. c. 12. §. 24. quod in Epistola ad Hispanos conjugium pollutionem vocaverit: ergo. ℞. Calvinus hic mentitur; non enim Siricius conjugium verum & legitimum vocat pollutionem, sed ait, eos pollui, qui post peractam publicam pœnitentiam ob matrimonium illegitime contractum, iterum ad priorem conjunctionem redeunt.

Objic. 7. plura puncta contra Innocentium I. & quidem 1. Centuriatores dicunt, eum Epist. 2. c. 12. præcepisse, sacram virginem jam velatam, quæ nupserit, aut fornicata sit, non recipi ad pœnitentiam, donec vivit ille, cum quo peccavit. Sed ℞. Innocentium ibi velle, non debere recipi ad pœnitentiam eas puellas, quæ nolunt separari ab adultero; non enim possunt absolvi illi, qui in peccato permanere volunt. 2. Opponunt eidem, quod Epist. 18. ad Alexandrum Antiochenum scripserit, ratum quidem esse Arianorum Baptisma, sed non conferri per eos Spiritum sanctum, quia se ab Ecclesia seperaverunt. Verum ℞. Innocentius loquitur de adul-

tis

tis hæreticis, ipsa hæresi Ariana infectis, qui dum baptizantur, vel ordinantur ab hæreticis, recipiunt quidem Sacramentum Baptismi, vel Ordinis, sed non recipiunt Spiritus S. gratiam, quæ ob obicem hæresis in hæreticis esse nequit. Pariter ab hæreticis ordinati nec gratiam, nec jus legitime exercendi Ordines accipiunt; hoc enim cum hæretici non habent, nec dare possunt. 3. Opponunt eidem iterato, quod subjecerit Christianos legibus judicialibus veteris Testamenti, dum præcipit Epist. 22 c. 1. Sacerdotem non posse esse, qui viduam in uxorem accepit, cum Moyses in Levitico præcipiat, ut Sacerdos uxorem virginem accipiat. Ast iterum ℞. Innocentius non vult, nos teneri legibus Judaicis: sed argumentatur a simili, vel omnino a majori, si nempe in veteri Testamento, ubi Sacerdotes erant longe inferioris conditionis, non licuit Sacerdoti ducere viduam: multo minus id convenit in Lege gratiæ, ut ad sacerdotium admittatur, qui viduam, seu non virginem duxit.

§. II.

Vindicantur alii Pontifices, quibus Novatores affingere tentant errores.

Objic. 8. Laurentius Valla in declamatione de falsa donatione Constantini Celestinum Nestorii hæresi infectum asserit. Verum hoc falsum est: siquidem Celestinus de hæresi non solum non notatus fuit, sed & ipse præcipue illam hæresin condemnavit, ut patet ex Prospero anni 431. & ex toto Concilio Ephesino. Laurentius Valla deceptus est nomine simili; fuit enim Celestinus alius hæreticus Pelagianus, qui quædam cum Nestorianis communia habuit. Magdeburgenses quoque falso Leonem I. insimulant erroris cent. 5. c. 10. Nam is Epist. 79. ad Nicetum dum ait, non peccare mulierem, quæ nubit adhuc vivente viro priore, loquitur de illa, quæ invincibiliter existimat virum suum esse mortuum, ut ibidem clare explicat: de ea vero, quæ existimat, virum ex captivitate non rediturum, neque dicit eam peccare, vel non peccare, si nubat alteri: censebat enim rem istam esse per se notam, & fœminam illam peccare. Neque permittit S. Leo, ut mulier redeunte primo viro possit cum secundo manere: Si igitur velit unus conjugum redire ad primum matrimonium, tenetur alter parere, si neuter vellet, possent a cohabitatione separari, quod S. Leo intendit.

171.

Objic 9. Gelasius erravit juxta Centuriatores cent. 5. c. 4. de Cœna Domini, & 15. in vita Gelasii. 1mo Quod in libro contra Eutychen asseruerit, in Eucharistia cum carne Christi manere verum

panem: quod eſt juxta Catholicos error. ℞. Liber ille non eſt Gelaſii Papæ, ſed vel Gennadii, qui librum ejusdem tituli ſcripſit ad Gelaſium Papam, vel Gelaſii Cæſareenſis Epiſcopi, cujus meminit Hieronymus circa finem catalogi Scriptorum Eccleſiaſticorum. Ita Bellarminus. Alterum, quod & Gratianus refert Diſt. 2. can. *comperimus* de Conſecrat. quod una pars Sacramenti, ſeu una ſpecies non poſſit ſumi in Euchariſtia ſine altera, nihil eſt ad rem. Loquitur ibi Gelaſius de Sacerdotibus, qui, neſcio qua ſuperſtitione conſecrabant utramque ſpeciem, & unam tantum ſumebant, quod utique Pontifex reprehendit, & vult, ipſos aut omnino a conſecratione & celebratione abſtinere, aut utramque ſpeciem ſumere. Id vel ex ipſo ſummario Canonis liquet: ita ſonat: *Corpus Chriſti ſine ejus Sanguine Sacerdos non debet accipere.* Videatur gloſſa in cit. Canonem, ubi expreſſe ponit hunc caſum: *Erant quidam Sacerdotes, qui ordine debito conſecrabant corpus & ſanguinem Chriſti, corpus ſumebant, ſed a ſanguine abſtinebant, de quo miratur Gelaſius* &c.

Objic. 10. Can. *Anaſtaſius* 9. diſt. 19. habetur: *Anaſtaſius ſecuncundus Romanus fuit temporibus Theodorici Regis. Eodem tempore multi Clerici & Presbyteri ſe a communione ipſius abegerunt, eoquod communicaſſet ſine Concilio Epiſcoporum, vel Presbyterorum, & Cleri cunctæ Eccleſiæ Catholicæ Diacono Theſſalonicenſi, nomine Photino, qui communicaverat Acatio; & quia voluit revocare Acatium, & non potuit, nutu divino percuſſus eſt:* ergo hic Pontifex erravit. ℞. 1. Si erravit, factum hoc eſt particulare, non Pontificis alloquentis totam Eccleſiam. ℞. 2. Verbis annotatoris in cit. can. prout ea habentur in Decreto Gratiani Editionis Lugdunenſis 1644. factæ de licentia Gregorii XIII. quæ ſic habent: ℣. *Anaſtaſius: caput hoc habetur quidem tomo ſecundo conciliorum in vita Anaſtaſii: ſed eſſe omnino confictum, cum ex aliis multis argumentis, tum ex hoc manifeſte oſtenditur, quod Acatius (ſicut Nicephorus L. 16. c. 12. & Evagrius L. 3. c. 18. & ſeqq. & clariſſime Anaſtaſius Bibliothecarius in chronologia teſtantur) tempore Felicis III. obiit, cui ſucceſſit Gelaſius, & Gelaſio Anaſtaſius, qui initio Epiſtolæ ſuæ, & c. 1. ad Anaſtaſium Imperatorem Acatium jam mortuum, & ante Judicem Chriſtum una cum Felice adſtare ſcripſit, ut Gelaſius quoque ante ipſum ſcripſerat, & habetur infra c. 24. q. 2 cap nec quisquam: quomodo ergo potuit Anaſtaſius de eo revocando tractare; qui jam obierat?* Verum hoc non obſtante

Dices cum Gloſſa in cit. can. ℣. Anaſtaſius. *Caſus: Photinus Diaconus Theſſalonicenſis, communicavit Acatio in hæreſi, poſt mortem vero Acatii Anaſtaſius Papa communicavit Photino ſine concilio Clericorum, & occulte voluit revocare Acatium defunctum in hæreſi, ut orationes pro eo in Eccle-* ſia

sia fierent, & ideo multi Clerici recesserunt ab obedientia ejus, & lepra percussus est: ergo &c. ℞. et hoc assertum Glossæ esse falsum: etenim, ut Bellarminus testatur, contrarium constat ex Epistola exstante Anastasii hujus Papæ ad Anastasium Imperatorem, in qua petit, ut Imperator jubeat, nomen Acatii taceri in Ecclesia, quandoquidem justissime a Felice Prædecessore suo fuerit condemnatus.

Quod vero Gratianus can. Ita Dominus. Dist. 19. in hac Epistola Anastasium putet errasse, quia voluit, esse rata Sacramenta Baptismi & ordinis, quæ Acatius contulerat, id non Anastasii errorem, sed imperitiam Gratiani ostendit, ut recte affirmat Bellarminus; nam & Sacramentum Baptismi & ordinis ab hæreticis collatum valet. Quod Anastasius Pontifex a Deo percussus fuerit, fors exinde ortum traxit, quia Anastasius Imperator, ut Historici narrant, fulmine percussus interiit.

Objic. 11. Vigilius scripsit Epistolam ad Theodoram Imperatricem, & alios hæreticos, qua probavit hæresin ipsorum, & anathematizavit eos, qui duas in Christo naturas admittebant. Ita Liberatus in Breviario c. 22. ergo. ℞. D. a. & tunc, dum scripsit istam Epistolam, Vigilius non erat verus Papa, sed Antipapa c. a. secus. n. a. Dum scripsit hanc Epistolam, vivebat adhuc Silverius verus Pontifex, adeoque Vigilius non poterat esse verus Papa; ubi autem Silverius erat mortuus, & Vigilius a Clero & populo Romano acceptante erat verus, & legitimus Papa agnitus, fidem catholicam semper defendit, & ut Evagrius L. 4. c. 37. testis est, confirmavit V. Synodum generalem, in qua damnata est hæresis, quam Theodora fovebat. Plura de hac re Bellarminus L. 4. controvers. c. 10.

Gregorius I. non edidit Decretum, sed solum concessit quibusdam Presbyteris, ut absentibus Episcopis confirmationis Sacramentum conferrent. Neque in hoc error est commissus, cum ex dispensatione S. Pontificis simplex Sacerdos queat esse Minister extraordinarius hujus Sacramenti.

S. Martinus I. vult solum in Epist. ad Amandum, Presbyteros & Diaconos graviter peccantes deponi a gradu suo, ac si resipuerint, absolvi quidem a peccatis, sed nunquam restitui in suos gradus: quod idem omnes veteres docent, & longe alienum est a Novatianismo, cujus falso hunc Pontificem arguunt Magdeburgenses cent. 7. c. 20.

Gregorius III., & non I., quando permittit viro ducere uxorem aliam, si prior propter infirmitatem debitum reddere non possit, intelligendus est de impotentia perpetua naturali, & contractum ma-

 trimonii

trimonii antecedente. Vid. Canus de Loc. Th. L. 6. c. 8. Refponf. ad 8.

Adrianus non approbavit Concilium Francofordienfe fecundum omnia, fed tantum fecundum ea, quæ fpectant ad Filiationem Chrifti: multominus vero approbavit illud quantum ad condemnationem Synodi VII. quamquam & Patres Francofordienfes eam non damnaverunt, fed folum aliquod decretum ei affictum.

Nicolaus I. relatus c. a quodam Judæo 24. dift. 4. de Confecrat. non definivit, Baptifmum, tantum in nomine Chrifti collatum, effe validum; fed tantum, quod baptizati a Judæo non fint rebaptizandi: alterum autem obiter ex S. Ambrofio addidit; Summi autem Pontifices funt tantum infallibiles in fuis definitionibus, non autem in relationibus, aut rationibus additis.

Stephanus VI., & Sergius III. in caufa Formofi, quæ quæftio erat facti; non juris, enormiter errarunt; dum irrita voluerunt omnia ejus acta: & ideo Pontifices tres ordine fuccedentes Romanus I., Theodorus II., & præcipue Joannes IX. convocato Concilio Epifcopali judicarunt, Formofum verum Pontificem fuiffe, & Stephani VI. fententiam irritaverunt. Deinde Sergius & Stephanus non ediderunt Decretum, quo ftatuebant, ab Epifcopo v. g. Formofo depofito, aut degradato ordinatos, non effe valide ordinatos, fed ipfo facto jufferunt, ab illo ordinatos reordinari: in quo male agebant ex odio erga Formofum.

Joannes XIII., vel juxta alios XIV. a Magdeburgenfibus arguitur horrendi Sacrilegii, quia cœpit baptizare campanas. Verum campanæ apud nos non vere baptizantur, fed benedicuntur, ubi quidem etiam intervenit ufus aquæ benedictæ, ob quem a vulgo baptizari dicuntur.

Quæ Magdeburgenfes cent. 10. c. 10. de Sylveftro II. garriunt, fabulæ funt, & crudiffimæ calumniæ, nempe ipfum Pontificem fuiffe magum, & necromanticum, ac a Diabolo difcerptum in templo S. Crucis in Jerufalem. Nullus enim bonæ fidei author ve uftus id pro certo affirmat, & exftat adhuc in Ecclefia Lateranenfi fepulchrum hujus Papæ cum Epitaphio, pofito a Sergio IV. viro fancto, qui tantum quinque annis fuit pofterior Sylveftro, in quo laudatur Sylvefter tanquam optimus Pontifex. Huic fabulæ tefte Bellarmino occafionem dedit, quod Sylvefter fuerit peritiffimus Geometra, de hac arte plures libros fcribens; feculo autem illo fat inculto & indocto, nempe anno 900. Mathematici magi habebantur. Videatur Onuphrius in annot. ad Platinam.

Contra

Contra Gregorium VII., virum hunc Sanctum, insurgunt Hæretici omnium maxime, & eum proclamant non solum omnium Pontificum, sed & omnium hominum pessimum, gravissima & plura ei affingendo flagitia. Verum mendacia illa sunt, & calumniæ apertæ, contra quas pugnant Authores gravissimi videndi apud Bellarminum T. 1. L. 4. integro c. 13. Videri etiam potest Fleuri Hist. Eccles. Tom. 15. L. 63. cum annot. P. Brunonis Barode.

Aliqua tantum liceat testimonia hæreticis calumniatoribus opponere, quæ Synchroni Authores, & omnes fere alii posterioribus sæculis dedere Gregorio VII. Trithemius in chronico scribit de conciliabulo Imperatoris contra Gregorium, qui alias Hildebrandus vocabatur, coacto: *Ad hoc concilium malignantium Guilielmus Abbas Hirsaugiensis vocatus ire contemsit: quippe qui Vicarium Christi Sanctum & innocentem noverat.*

Otto Frisingensis L. 6. hist. c. 32. dicit: *Hildebrandus semper in Ecclesiastico rigore constantissimus fuit.* Et c. 34. *Forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit, ac fortis per omnia athleta murum se pro domo Dei opponere non timuit.* Et c. 36. *Ecclesia tanto Pastore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui Zeli, & authoritatis fuit, orbata dolorem non modicum habuit.*

Marianus Scotus Fuldensis Monachus, qui tempore Gregorii VII. vixit, in chronico anni 1075. scribit: *Gregorius querimoniis & clamoribus Catholicorum justis adversus Henricum, & scelerum ejus immanitatem auditis, Zelo Dei accensus, jam dictum Regem excommunicatum pronunciavit, maxime propter Simoniam, quod factum catholicis quidem viris bene placuit, Simoniacis vero ac fautoribus Regis nimium displicuit.*

Lambertus Schaffnaburgensis eodem tempore vivens, in Historia rerum germanicarum ait: *Hildebrandi constantia, & invictus adversus avaritiam animus omnia excludebat argumenta humanæ fallaciæ.* Item: *signa & prodigia, quæ per orationes Gregorii Papæ frequentius fiebant, & Zelus ejus ferventissimus pro Deo, & Ecclesiasticis legibus satis eum contra venenatas detractorum linguas commendabant.*

Plures alii egregie pro Gregorio VII. scripserunt, ut Guilielmus Tyrius circa annum 1580. L. 1. de bello Sacro c. 13. Godefridus Viterbiensis in chronico suo univers. p. 17. Conradus Abbas Urspergensis circa annum 1500 qui in chronico non quidem aperte laudat, nec vituperat Gregorium; laudat tamen occultis multis modis, nec unquam reprehendit: & alii plures apud Bellarminum & alios videndi.

Dum Alexander III. ait, a Lege Divina, & generali consuetudine Ecclesiæ alienum esse, quod septem testes requirantur ad va-

lorem Teftamenti, primo hoc non definit, fed folum ut aliquam rationem adducit: fecundo per *το alienum* non intelligit contrarium vel oppofitum, fed tantum extraneum, feu non introductum lege divina vel Ecclefiæ, prout etiam non fic introductum eft, fed fola lege civili ftatutum. Quando vero Pontifex valere vult teftamenta fub tribus teftibus facta, intelligendus eft de iis teftamentis, quæ fiunt in territorio etiam temporali Papæ, vel quibus inftituuntur in hæredes Ecclefia, aut caufæ piæ.

Cæleftinus III., quamvis ut Perfona privata cenfuerit folvi matrimonium per lapfum unius conjugis in hærefin, id tamen nunquam definivit; nam Innocentius III. ejus Succeffor c. quanto 7. de divortiis tantum dicit, prædecefforem fuum aliter fenfiffe: fe tamen non credere, quod diffolvatur; unde nec ifte aliquid definivit.

Nicolaus III. c. exivi. de Verb. fign. in 6. docuit, Chriftum verbo & exemplo docuiffe perfectiffimam paupertatem in abdicatione omnis dominii confiftentem, cum quo ftat optime, Chriftum pro aliquo tempore etiam loculos habuiffe, & proprium aliquid faltem in communi. Joannes autem XXII. tantum contendit, Chriftum aliquando aliquid proprium poffediffe, & contrarium effe hæreticum, præterea circa ufum facti feparabilem a dominio nihil definivit Joannes, fed tantum aliqua adducit per modum rationis, factæ a fe & Sede Apoftolica abdicationis bonorum, quorum ufum nos FF. Minores habemus, de qua re fufius tractabo in tomo 4. Tract. de Jure & Juftitia. An autem Joannes docuerit, vel omnino definiverit, animas juftorum fufficienter purgatas non venire in cœlum ante diem judicii, fpeciali paragrapho examinabo.

Volaterranus quidem fcribit, Innocentium VIII. permififfe Norwegis, ut fine vino Sacrificium Miffæ celebrarent: fed eft fabula, quam unus vel alter ex eodem defcripfit. Certe falfum eft, ibi vinum fervari non poffe, cum modo copiofum ibidem fervetur, & ante Innocentium VIII. Miffa ibi celebrata fit.

Joannes XXIII. in Concilio Conftantienfi accufatus eft hærefis perniciofiffimæ; dicebatur enim negaffe vitam futuram, & carnis Refurrectionem. Aft hanc objectionem breviter expedio refpondendo, Joannem XXIII. non fuiffe Pontificem omnino certum & indubitatum, atque adeo non effe neceffario defendendum. Et credibiliter ifte error falfo tributus eft Joanni rumore vulgi, qui, quoniam videbat, Joannem effe vitæ diffolutæ, exiftimare cœpit, & dicere, eum non credere vitam futuram, & carnis refurrectionem. Certe, ut Bellarminus oftendit, ifte error non fuit probatus. Etiam Benedictus XIII., qui

qui ratione hæreseos a Concilio Constantiensi damnatus est Sess. 37. non fuit legitimus Pontifex, utpote Successor Clementis VII. Antipapæ, qui vivente Urbano VI. vero Pontifice Sedem invaserat. Neque etiam vere fuit hæreticus; ei enim solum objiciebatur, quod non crederet, Concilium habere majorem potestatem, quam S. Pontifex habeat: in qua re nihil Benedictus ille erravit, ut ex dicendis patebit.

§. III.

Vindicatur Liberius, cui adjungitur Felix II.

Difficultas de Liberio, & Felice II. magna est, in qua Catholici quoque Critici in partes scinduntur, & Acatholici debachantur. Præmitto Historiam ex authenticis, quos plures consului, Historiographis collectam.

172. Julio I. in Romana cathedra successit anno Christi 352. Constantii Imperatoris 16to Liberius; qui propter fidei Nicænæ, & S. Athanasii defensionem anno Christi 355. (ut scribit D. Fleury L. 13. suæ Historiæ) Berœam Thraciæ in exilium relegatus est, ut constat ex Dialogo, quem Imperator cum ipso habuit Mediolani, & quem Theodoretus refert L. 2. Hist. Eccles. c. 16. & affert etiam D. Fleury, in quo inter alia cedro dignæ sunt hæ voces, quas Constantio exilium minitanti in responsis dedit: *leges Ecclesiasticas observare pluris faciendum censeo, quam Romæ domicilium habere.* Nec oblivioni danda est illa responsio, quam reddebat Palatio excedens, dum Ei in vitæ subsidium a Cæsare quingenti nummi aurei offerebantur: dixit enim ad eum, qui sibi pecunias attulerat: *Redi, & redde has pecunias Imperatori, quas melius in militum stipendia expenderit.* Totidem ab Imperatrice submissas ferenti reposuit Liberius: *Et has date Imperatori, cui alendis exercitibus sunt necessariæ: aut si his Imperator non indigeat, det Auxentio* (Ariano Episcopo) *& Epicteti* (pariter Ariano) *qui auro inhiant.* Cum autem Eusebius Eunuchus subin opes suas abeunti obtulit, ei pari constantia in responsis dedit: *Tu es ille, qui omnes mundi Ecclesias suis pastoribus orbasti, & jam eleemosynam mihi porrigis, tanquam viro condemnato! habe tibi tua, & si bonus esse cupis, Christianus esse incipe.* Ergo relicta omni pecunia sibi oblata totus magnanimus tertio abhinc die in exilium migravit. Abeunte hoc in exilium, Felix ejus Diaconus in Sedem Romanam intrusus est authoritate Constantii, quod facilioris animi videretur, & cum Arianis libenter communicaret: licet Arianus non esset.

Vix biennium in exilio exegerat Liberius, victa ejus constantia est: tædio proin depressus, ac desiderio impotente suæ recupe-

randæ

randæ Sedis ardens, formulæ fidei, quam Ecthesin vocant, ab Arianis oblatæ, & condemnationi Athanasii subſcripſit, quo facto Liberius Romam redire permiſſus eſt. Quænam autem illa formula fuerit, celebris eſt inter eruditos controverſia. Quidam volunt, ipſum ſubſcripſiſſe ſecundæ Sirmienſi, quæ penitus Ariana eſt, alii primæ, quæ Catholica eſt, contra Photinum Hæreſiarcham editæ. Sententiam ea de re meam hic exponam.

Addo ex noſtro Herincx p. 3. Summæ Theologicæ Diſp. 6. q. 3. n. 72. ubi Baronium & Bellarminum, ac alios ſecutus hæc habet: Felix pulſo in exilium Liberio Pontificatum illegitime obtinuit, ac Schiſmaticus fuit, eoque tempore etiam Arianis communicavit. Poſtea tamen divinitus immutatum, Arianoſque abhorrentem, & fidei præconem Clerus Romanus pro vero Pontifice recepit, cum jam conſtitiſſet de Liberii lapſu, & communione cum hæreticis, qui ſoli viciſſim cum ipſo communicabant, adeoque jam excluſus eſſet Liberius a communione Catholica, & ob hoc alienus a Pontificatu, Eccleſia judicante de exterioribus, quamvis ipſe hæreticus non eſſet. Et hac ratione ſedit Felix annum unum, menſes tres, & dies tres, donec Martyr occubuit. Poſtea Liberius abrupta communione cum Arianis Clerum Romanum ſibi conciliavit, omniumque conſenſu legitimus Pontifex, ut antea erat, cognitus & acceptus eſt, ut late deducit Baronius ad annum 357.

173. Pro majori dicendorum intelligentia ulterius prævie ſciendum eſt, tres eſſe formulas fidei, quæ *Sirmienſes* appellantur: prima fuit edita Sirmii anno 351. contra Photinum Sirmienſem Epiſcopum, qui Pauli Samoſateni erroribus infectus, Chriſtum purum hominem blaſpheme aſſerebat. Hæc formula erat Catholica in ſenſu obvio, atque in ea fuit damnata Photini hæreſis, definitumque: Verbum eſſe Deum de Deo; ſuppreſſum tamen eſt in illa vocabulum ὁμοούσιον *conſubſtantialis*, quod tunc temporis teſſera erat fidei orthodoxæ. Hæc ecthesis in ſe quidem catholica eſt in ſenſu obvio, ac catholica habetur ab Hilario L. de Synodis, rejicitur tamen ab Athanaſio ob latentem Arianorum fraudem, qui per omiſſionem vocis omouſion venenum ſuum tegebant.

Altera formula Sirmienſis ab Hoſio & Potamio conſcripta anno 357. jure merito ab Hilario vocatus blaſphemia, quippe & Uſiæ, & omouſion prohibet fieri mentionem, atque Filium ſubjectum, & Patre minorem d gnitate & majeſtate declarat. Hæc formula ab ipſo Conſtantio Imperatore fuit ſuppreſſa, ac ſub pœna extremi ſupplicii vetita.

Tertia

Tertia formula in Concilio Ancyrano fuit cusa opera Basilii Ancyrani circa annum 359. In hac fuit secunda damnata, & affirmatum, Filium esse Deum de Deo, & similem Patri; at fuit explosum substantiæ nomen tanquam ignotum, & incaute a Patribus positum, & cujus nullum sit in sacris Literis vestigium. Hæc Ecthesis cum fuerit ad Constantium Sirmii commorantem delata, eam amplexus est, & omnes Episcopi Concilii Ancyrani, qui Sirmii denuo convenerunt, eam ibi sua subscriptione munierunt, inde tertia Sirmiensis dicta. Hac posita relatione historica eruuntur sequentes conclusiones.

174. Assertio 1. Liberius subscripsit uni ex tribus Sirmiensibus formulis. Ita videtur certa de hac re scribentium sententia. P. Ipse Liberius in Epist. ad Orientales data Berœæ fatetur, se lubenti animo suscepisse fidem, quæ Sirmii tractata & exposita fuit, & quam appellat Catholicam, & Hilarius notis illustravit, ac exposuit. Id quod etiam colligitur ex alia Liberii Epistola ad Ursacium & Valentem, & Germinium: ex tertia quoque ad Vincentium Episcopum Capuæ. Accedit apertissimum testimonium Hilarii. Hieronymus quoque c. 97. de Viris illustribus ait: *Fortunatianus in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* In Chronico idem scribit: *Liberius tædio victus exilii in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit.*

Auxilius L. 1. de ordinationibus Formosi c. 25. ait: *quis nesciat, quod Liberius, prob dolor! Arianæ hæresi subscripserit, & per ejus transgressionem nefandissima scelera sint commissa?* Ulterius in festo S. Eusebii Presbyteri & Confessoris 19. Calendas Septembris hæc olim lectio in Romano Breviario habebatur: *Beatus Eusebius, cum præsente Constantio fidem catholicam constantissime defensaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ consensisse, ab irato Constantio Imperatore Ariano includitur &c.* quæ & ipsa sunt Adonis Viennensis verba in Martyrologio. Ex quibus omnibus ad minium infertur, Liberium certo uni formulæ, vel Ecthesi fidei Sirmiensi subscripsisse.

175. Assero 2. Liberius non subscripsit 1. formulæ secundæ; nec 2. tertiæ: sed 3. primæ. Ita præstantiores Critici contra Valesium, & Pagium, qui dicunt eum subscripsisse tertiæ, & contra Blondellum, qui putat secundæ subscripsisse, & contra Petavium, qui censet secundæ saltem secundum unam partem subscripsisse.

P. 1ma pars. Non eſt credibile, Conſtantium & Homouſianos, ſeu ſemi Arianos apud Conſtantium maxime valentes induxiſſe Liberium ad ſubſcribendam & probandam eam formulam, quam ipſi rejiciebant, & damnabant; atqui ipſi ſic rejiciebant, & damnabant, & Conſtantius etiam graviter prohibebat ſecundam formulam Sirmienſem: ergo. m. p. ex Socrate L. 2. Hiſt. c. 30. qui ita de hac ſecunda ecthesi Sirmiana latine ſcripta, in qua Filius Patri ſubjiciebatur, ſcribit: *Sciendum autem, quod Epiſcopi Sirmii congregati pœnitentia ducti ſunt propter Romanam fidei expoſitionem. Multa namque poſt expoſitionem ipſis videbantur contraria habere. Quapropter ſatagebant, ut eam ab illis, qui deſcripſerant, reciperent. Quoniam vero multi eam occultabant, Imperator eam edictis inquiri juſſit, ſupplicium minatus, ſi quis eam occultaſſe deprehenderetur.* Id ipſum refert D. Fleury ad Sæculum IV. L. 14. fol. 754. ex Socrate & Sozomeno.

2. Liberius ſubſcripſit, ut ſe hoc facto liberaret ab exilio: ergo non ſubſcripſit illi formulæ, quæ ipſi Conſtantio diſplicuit, & ipſum nihil juviſſet ad liberationem obtinendam ex exilii ærumnis.

3. Secunda fidei formula Sirmienſis conſcripta & compoſita eſt ab occidentalibus Latino ſermone, & nec Lingua nec dogmate cum priore concordat; Sed Liberius Epiſt. ad Orientales teſtatur, ſe non recepiſſe latinam occidentalium ecthesin, ſed illam, quam Orientales ipſi in Synodo Sirmiana plurium Epiſcoporum approbatam vulgaverant: vocat illam formulam ibi fidem orientalium, a pluribus ipſorum Sirmii tractatam, expoſitam & ſuſceptam, quam etiam dicit catholicam: ergo non ſecundæ formulæ ſubſcripſit, quod magis patebit ex dicendis.

Ulterius S. Hilarius in fragmentis de memorata fide, cui ſubſcripſit Liberius, inquit: *Perfidiam autem apud Sirmium deſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam, a Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt, qui conſcripſerunt: Narciſſus, Theodorus, Baſilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Urſacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Baſſus, Gaudentius, Macedonius, Marthus Acticus, Julius, Surinus, Simplicius & Junior:* atqui major horum Epiſcoporum pars non ſubſcripſit ſecundæ formulæ Sirmienſi: quia plures ex his Epiſcopis ſunt orientales; at ſecundam Sirmienſem Occidentales ediderunt, ut ſcribunt Socrates L. 2. Hiſt. c. 30. & Sozom: L. 4. c. 12. Neque in prædicto Syllabo Epiſcoporum eſt Hoſius, Potamius, aut Germinius, qui tamen ſecundæ Sirmienſis formulæ fuere præcipui authores teſtibus Sozom. L. cit. & S. Hilario L. de Synodis. Neque ſecundæ aſſentire poterat Theodorus, qui tamen dicitur ſubſcripſiſſe formulæ,

quam

quam Liberius probavit, utpote qui jam erat defunctus: ergo secundæ formulæ non subscripsit Liberius.

P. 2da pars. Liberius non subscripsit tertiæ Ecthesi Sirmianæ. Liquet ex Epistola Liberii ad Orientales, & ex fragmentis Hilarii, probasse Liberium *fidem, quæ Sirmii tractata, exposita & suscepta est*, idque fecit Berœæ, antequam ab exilio revocaretur; quod omnium consensu contigit ante exactum annum 358: atqui tertia Sirmiensis Synodus coacta, & tertia formula composita est primum anno 359. ubi Liberius Berœam exilii locum jam reliquit, utpote qui teste Fleury, consentientibus aliis, anno exilii sui tertio, nempe 358. secunda Augusti Romam rediit. Ergo huic tertiæ formulæ non subscripsit. Unde recte Antonius Sandini in vitis Pontificum Romanorum in vita Liberii ait: Solus Valesius in animadversionibus in Sozomeni L. 4. c. 14. *existimat*, tertiam hic memorari (formulam) quam inter omnes fere convenit nondum fuisse editam, cum hæc Liberius scriberet.

P. 3tia pars. Juxta prænoscenda tres tantum sunt Ectheses Sirmii cusæ, & secundum primam assertionem Liberius uni ex his tribus subscripsit: non autem secundæ, vel tertiæ, ut ex primo & secundo membro habetur: ergo remanet, quod subscripserit primæ.

Hic iterum audiri meretur Antonius Sandini mox laudatus, sic dicens: "gravioribus momentis nititur opinio, qua Baronius ad „annum 357. §. 47. 53. 54. aliique contendentes subscripsisse primæ „(Sirmianæ ecthesi) quæ licet vocem ὁμοούσιον consubstantialem non „habeat, catholicæ tamen veritati consentiens est, ut demonstrat „S. Hilarius in fragmentis pag. 679. ait enim: Perfidiam apud Sirmium, „cui Liberius subscripsit, a duobus & viginti Episcopis, quos nomi- „nat, fuisse compositam; secundam vero a quinque duntaxat, quos „iterum nominat in Libro de Synodis pag. 464. Hæc assertio majus lumen accipiet ex solutione objectionum. Quare

Satisfit Objectionibus.

Objic. 1. S. Hilarius Libro fragmentorum formulam Sirmiensem, cui Liberius subscripsit, vocat *perfidiam Arianorum*, & ob hanc subscriptionem Ipsum ferit anathemate; ait enim: *Anathema Tibi a me dictum, Liberi, & sociis tuis. Iterum tibi anathema, & tertio prævaricator Liberi:* Sed S. Hilarius primam formulam Sirmiensem nunquam vocavit Arianorum perfidiam, imo eam Catholicam agnovit, & exposuit: atque ideo ob eam non potuit anathema dicere Liberio, cum illam approbaverit ipse, & notis illustraverit: ergo huic non subscripsit Liberius, sed alteri vere hæreticæ.

176.

℞. N. m. Quamvis enim S. Hilarius libro de Synodis primam Sirmienſem Ecthefin expoſuerit, quia ſecundum ſe, & verba erat Catholica, ſeu ſenſum patiebatur catholicum; eandem tamen alibi, ſeu in fragmentis, perfidiam Arianorum vocare potuit, conſideratis ejus Authoribus, eorumque conſilio: quippe eam ediderunt, ſicut alias fidei formulas, ut Symbolum Nicenum obliterarent, & vocem homouſios, quæ in illo Symbolo ſubdole erat omiſſa, ac doctrinam conſubſtantialitatis eliminarent. Hanc ob cauſam S. Hilarius L. contra Conſtantium Auguſtum, Concilium Sirmienſe, in quo hæc formula condita eſt, æque damnat, ac reliqua Arianorum Conciliabula. S. quoque Athanaſius primam illam Sirmienſem formulam inter alias Arianorum formulas collocat, de quibus ita pronunciat: *Quis, cum videat, per ſingulas Synodos alia addi, alia detrahi, non animadvertat illorum in Chriſtum ſuſpectum & inſincerum animum? —— & de induſtria plurima ſcribere, ut poſſint per opportunam ambitionem, & tantam loquacitatem & alios, qui ſimpliciores ſunt, decipere, & ipſi interim latere, ut non ſentiatur, qualem hæreſin foveant.* Unde hæc formula recte vocata fuit *perfidia Ariana*, indeque propter hujus ſubſcriptionem, in qua erravit utique Liberius, ei anathema dictum: ſed non propter ſolam, verum etiam, quod condemnationi Athanaſii conſenſit, & cum Arianis communicavit.

℞. 2. forte melius. Credibilius hæc verba, quibus Liberii ad Orientales Epiſtolæ ſeries interturbatur: *hæc eſt perfidia Ariana, hoc ego notavi, non Apoſtata Liberius*, uti & anathematiſmos in Liberium, irreptitios eſſe, nec ab Hilario adſcriptos. Cum enim Liberius a ſuo lapſu ſurrexiſſet, prioriſque ignaviæ labem eluiſſet, Nicenam fidem adverſus Ariminenſe conciliabulum ſtrenue propugnando, ut Damaſus Papa in Epiſtola ad Illyrici Epiſcopos ſcripta (quæ exſtat apud Theodoret. L. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 22.) teſtatur, iniquus fuiſſet in Liberium S. Hilarius, ſi ipſi anathema velut prævaricatori, & apoſtatæ dixiſſet in libro fragmentorum, quem poſt Ariminenſe concilium conſcripſit. Ratio rationis: Fragmentorum liber, quamvis ſit germanus S. Hilarii partus, mutilus tamen eſt, & pluribus in locis violatus: quod etiam probant illa verba, quæ Liberii Epiſtolæ ad Orientales, qua S. Athanaſium a ſua, & Eccleſiæ Romanæ communione removet, & communionem Arianorum amplectitur, ſunt annexa: nempe hæc: *quid in his Literis non Sanctitatis, quid non ex Dei metu eveniens eſt?* quæ certe non ſunt verba S. Hilarii, &, vel ab alio addita, vel extra ſuum locum poſita, & ad aliam Epiſtolam referenda. Ergo & ſuſpicari licet, illos anathematiſmos, & adducta verba in objectione eſſe per alium addita.

Ex

Ex dictis etiam ſatisfit S. Hieronymo in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum c. 97. dicenti: Liberium *hæreſi*, vel, ut loquitur in Chronico, *hæreticæ pravitati* ſubſcripſiſſe; nam hoc non dicitur, quaſi formulæ ſecundum ſe, & obvium ſenſum hæreticæ ſubſcripſiſſet; ſed quia ſubſcripſit formulæ ab Arianis editæ, ac ab Arianis ad ſubſcribendum propoſitæ, & ſimul condemnationi S. Athanaſii, ac admiſit communionem Arianorum. Sic & aliæ authoritates explicandæ veniunt.

Objic. 2. Liberius Berœa a Conſtantio Sirmium revocatus anno 357. vertente, morem ipſi geſſit, ſubſcripſitque formulæ, quæ tunc ipſi oblata eſt ab Arianis: ergo, cum primæ formulæ ſubſcripſerit a Demophilo ſibi oblatæ Berœæ exul, hic Sirmii ſubſcripſit ſecundæ Sirmienſi. ℞. N. c. cujus falſitas patet ex probatione primi membri aſſertionis: Dein a Liberio per Imperatorem Sirmium vocato id ſolum obtinere potuerunt, ut ſubſcriberet collectioni, quæ non tantum formulam Sirmienſis contra Photinum concilii, ſed & eam, quæ in Synodo Antiochena in encæniis edita eſt, & decreta duplicis Concilii Antiocheni contra Paulum Samoſatenum comprehendebat. Cum enim Ariani a Liberio obtinere nequirent, ut diſerte vocem ὁμοȣ́σιον damnaret, fraude egerunt, ut ſubſcriberet Antiochenæ adverſus Paulum Samoſatenum Synodo, quæ illam eo ſenſu proſcripſerat, quo ipſe Hæreſiarcha illa abutebatur ſignificando abſciſſionem ſubſtantiæ, ut ſic Ariani rumorem ſpargere poſſent, Liberium ſuæ ſectæ Synodis ſubſcripſiſſe, & damnationi vocis *homouſion.*

Verum toti huic rei lucem affert Sozomenus L. 4. Hiſtor. Eccleſ. c. 15. Secundum verſionem Valeſii verba ejus, quia attentione digniſſima, hic refero, & ita ſonant: "Haud multo poſt Imperator ab urbe Roma Sirmium reverſus, cum occidentales Epiſcopi „legationem ad ipſum miſiſſent, Liberium Berœa ad ſe accerſivit: „cumque adeſſent Legati Epiſcoporum orientis, convocatis Sacer„dotibus, qui in comitatu erant, Liberium cœpit compellere, ut Fi„lium Patri non eſſe conſubſtantialem profiteretur. Inſtabant au„tem, & Imperatorem ad hoc impellebant Baſilius, Euſtatius, & „Eleuſius, qui præcipua apud eum authoritate pollebant. Qui, cum „ea, quæ contra Paulum Samoſatenſem, & contra Photinum Epi„ſcopum Sirmii decreta fuerunt, ac præterea fidei formulam in de„dicatione Antiochenſis Baſilicæ editam in unum hunc libellum con„geſſiſſent, perinde quidam ſub obtentu vocabuli Conſubſtantialita„tis propriam hæreſin ſtabilire conarentur, effecerunt, ut Libe„rius — & Africæ Epiſcopi ei formulæ conſentirent; conſenſerunt

 „pari-

„pariter Urfacius & Germinius Epifcopus Sirmii, & Valens Murfæ, „& quotquot ex Orientis partibus aderant Epifcopi. Sed & confef„fionem a Liberio viciffim fufceperunt, qua eos, qui Filium fecun„dum fubftantiam, & per omnia Patri fimilem non effe afferérent, „alienos ab Ecclefia pronunciabat. Nam cum Eudoxius, & qui cum „illo Aëtii opinioni favebant, Antiochiæ Ofii Epiftolam accepiffent, „fparfis rumoribus divulgaverunt, Liberium quoque confubftantia„litatis vocabulum condemnaffe, & Filium Patri diffimilem confiteri „(cui rumori falfo oppofita fuit a Liberio dicta proteftatio contrarium „prorfus dicens) His per Occidentalium Legatos confectis Impera„tor Romam redeundi libertatem Liberio conceffit.„

Objic. 3. Fleurius t. 3. L. 13. §. 6. ait, etiam in prima Ecthefi Sirmienfi legi hæc verba: *Filium Patri non æqualem facimus, fed ifti fubjectum concipimus:* ergo etiam prima ecthefis eft Ariana, & Liberius ei fubfcribens Arianus. ℞. C. a. quod Fleury hæc fcribat, fed timeo multum, ne Gallus ifte author fenfum formulæ græce confcriptæ recte affecutus fuerit; nam communis aliorum eft fenfus, primam formulam in verbis nihil de Arianifmo præfeferre: atqui fi in objectione allata contineret, omnino peftiferam Arianæ hærefis doctrinam ediceret. Secundo etiam fatente Fleury iftam Ecthefin S. Hilarius exponit ut catholicam: quod non poffet facere, fi illa hæretica verba complecteretur.

Objic. 4. Liberius fubfcripfit condemnationi Athanafii, quem hæretici perfequebantur caufa fidei: ergo eo ipfo cenfetur fuiffe hæreticus, cum caufa Athanafii a caufa fidei vix feparari poterat. ℞. C. a. N. c. Etfi hæretici perfequebantur Athanafium caufa fidei, non tamen caufam fidei, fed crimina circa mores prætendebant, & Liberius confenfit in damnationem Athanafii propter crimina illi objecta, non propter fidem. Pro coronide hujus difficultatis

177. Petes: Quid de Felice fecundo fentiendum? ℞. cum Bellarmino, Baronio, noftro Herincx & aliis multis contra non paucos alios, Felix II. fuit aliquo tempore verus Pontifex, & Chrifti Martyr. P. Id clare teftatur Damafus, vel quicunque eft author Libri Pontificalis in vita Felicis. 2. Omnia Martyrologia tam impreffa, ut Bedæ & Adonis Ufuardi, quam etiam manufcripta ponunt IV. Calendas Augustini memoriam Felicis II. Papæ & Martyris, qui Conftantium hæreticum declaravit: quod non fieret, fi tantum fuiffet Antipapa. Imo in Martyrologio, quod juffu Gregorii XIII. Pontificis fuit editum, & nunc denuo a Benedicto XIV. Pontifice erudititiffimo, & in materiis criticis verfatiffimo fuit recognitum, & in aliquibus locis emendatum,

datum, sic legitur: *Romæ via Aurelia S. Felicis II. Papæ & Martyris, qui a Constantio Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defensionem a Sede sua dejectus, & Ceræ in Tuscia occulte gladio necatus gloriose occubuit. Ejus corpus inde a Clericis raptum eadem via sepultum fuit.* Hæc certe Benedictus laudatus non reliquisset in Martyrologio, si argumenta opposita Criticorum pondus habuissent sufficiens.

Confirm. 1. Dum Romæ anno 1582. exortum est dubium, utrum Felix II. in nova editione Martyrologii sit reponendus, nec ne? casu inventa fuit arca marmorea in Basilica SS. Cosmæ & Damiani, habens hanc inscriptionem marmori antiquis characteribus incisam: *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui Constantium hæreticum damnavit.* Atque hæc inventio incidit in diem 28. Julii, id est, pridie ipsius diei, quo alias celebratur memoria hujus Felicis. Ob hanc inventionem, quæ non immerito divinitus facta fuisse credebatur, fuit retentus S. Felix in novo Martyrologio.

Confirm. 2. alio argumento ex Bellarmino desumpto: Felix Papa S. Gregorii atavus ab antiquissimis Scriptoribus dicitur Felix IV. ut a Joanne Diacono L. 1. de vita B. Gregorii cap. 1. & a Leone Ostiensi L. 1. chronici Cassinensis c. 1. Sed quartus ille esse non potuit, nisi iste noster fuerit secundus; etenim non nisi duo Felices præter hunc nostrum antecesserunt Felicem quartum: ergo. Præterea ex hoc sequitur, ut Felix II. jam ante mille annos & ultra in numero Pontificum collocatus fuerit, in quo Antipapæ & Schismatici nec numerantur, nec locum inveniunt.

Addere liceat verba V. Bellarmini, quæ bene observata fere omnes objectiones contra Felicem diluunt: ita discurrit Eminentissimus Tom. 1. Controvers. L. 4. c. 9. " Jam vero mortuo NB. Sancto „Felice, Liberius iterum sibi conciliavit Romanum Clerum, & catholi„cum Præsulem se præstitit, ut supra ostendimus ex Socrate in causa „Macedoniorum. Quocirca omnium consensu iterum legitime sede„re cœpit, ac sedit usque ad mortem. Atque NB. hæc est causa, „cur in catalogo Pontificum aliqui veterum non posuerunt Felicem, „ut Augustinus in epistola 165. & Optatus L. 2. quia videlicet totum „Felicis tempus in Pontificatu Liberii inclusum fuit.

Ex his tandem concluditur, Liberium non fuisse *formaliter*, ut Scholæ loquuntur, hæreticum, præsertim interne, quia non modo non subscripsit confessioni secundum verba & sensum Arianæ, sed etiam confessionem edidit, antequam Sirmio discederet, qua aperte excommunicabat eos, qui Filium Patri similem in substantia, & in aliis rebus omnibus negabant. Id quod ea de re fecit, quia Ariani

falsum

falſum rumorum ſparſere, Liberium docere cœpiſſe, Filium non eſſe Patri conſubſtantialem. Infertur tamen a Bellarmino, Liberium ſaltem externe & interpretative fuiſſe habitum hæreticum, quia fe mulæ ab Arianis oblatæ ſubſcripſit, cum Arianis communicavit, & condemnationi S. Athanaſii, quam fideles cum fide connexam credebant, conſenſit: indeque a Romanis externa conſiderantibus ei depoſito fuiſſe Felicem ſubſtitutum, & ejus loco ut verum Pontificem acceptum, tum quia nunquam Arianus erat, licet antea & in principio, dum fuit Antipapa, cum Arianis communicaverit, tum quia totus alius mutatus erat, & contra Arianos fidem catholicam tuebatur.

Cœterum non video, quomodo, ſi quis eſt, Liberii lapſus poſſit produci ad impugnandam Pontificum infallibilitatem, cum Liberius, etſi forſan humanæ fragilitati & inconſtantiæ non nihil ceſſerit, nullibi tamen Eccleſiæ de cathedra Arianam hæreſin propoſuerit veluti rectæ fidei normam, aut dogma.

Hic porro notes velim, quasdam voces de Arianis ſæpius occurrere, quarum ignorantia auditorem, vel etiam lectorem librorum turbare poſſet: Aliqui dicuntur *Homouſiani*, ſeu admittentes conſubſtantialitatem in ſenſu vere Chriſtiano, & catholico: alii vocantur *Anomæi*, id eſt, veri & puri Ariani, qui aperte Filium creaturam eſſe dicebant, nec ulla re Patri ſimilem, aut æqualem, quæ ipſiſſima Arii fuit hæreſis: alii iterum dicuntur *Omœuſiani*, ſeu Semi-Ariani, qui licet Filium Patri conſubſtantialem negabant, tamen fatebantur, Eum Illi per omnia ſimilem, etiam in ſubſtantia: fuere & alii, qui neque conſubſtantialem, neque *in ſubſtantia* ſimilem Patri Filium afferebant, ſed tamen qualitercunque ſimilem affirmabant, ſicut nempe ſimulacra vivorum eos ad vivum exprimunt; in quo ſenſu, quamvis aliter videantur loqui, non tamen aliter ſentiunt ac Anomæi.

Huc quoque pertinet ſcire, quid cenſendum ſit dé quodam Leone Papa, quem dicunt aliqui huic Felici II. ſucceſſiſſe, ac plane Arianum fuiſſe, ſimilique mortis genere obiiſſe, quo Arius, nimirum effuſione omnium inteſtinorum, dum alvum purgaret. Refert hoc Vincentius L. 15. c. 23. Speculi Hiſtor. Conradus Halberſtattenſis in chronico. Magdeburgenſes cent. 4. c. 10. in vita Felicis II. non putant hoc improbabile. Ego vero dico, iſtum Leonem eſſe fictum Pontificem: ſiquidem Scriptores omnes veteres, ut Hieronymus, Auguſtinus, Optatus, Theodoretus, Ruffinus, nec non Recentiores, ut Sigebertus, Platina, & alii alicujus nominis Liberio, & Felici defunctis Damaſum ſubſtituunt. Præterea Leo I. ſedit primum tem-

tempore Concilii Chalcedonensis, nimirum annis circiter centum post Felicem II. Bellarminus affert aliquam conjecturam de ortu hujus fabulæ.

§. IV.

An Honorius I. lapsus sit in hæresin Monothelitarum?

Difficultatem aggredior non modicam, in qua, ut aliqui Novatores loquuntur, illi, qui Honorii lapsum negant, & eum excusant, æthiopem lavant, & actum agunt. Verum præmissa notitia Historica id statuam, quod veritati magis consonum videtur. Quare ex Fleurio Sæculo VII. L. 37. § 42. & seqq. ista prælibo. Cyrus Patriarcha Alexandrinus adlaboravit reconciliare Theodosianos, quamdam sectam Eutychianorum, qui magno numero ibi erant. Id autem levi brachio effecit, cum nihil aliud petierit ab illis, quam ut unicam in Christo operationem confiterentur. Acta reconciliationis in 9. Articulis, seu canonibus cum anathematismis continentur, qui doctrinam de SS. Trinitate & Incarnatione exponunt, at venenum in septimo recondunt, ubi dicitur, quod idem Christus, & idem Filius producat operationes Divinas & humanas una operatione Theandrica secundum S. Dionysium, id est, Deivirili, seu divina simul & humana, ita, ut sola distinctio rationis interveniat. 178.

Sophronius Monachus sub Joanne Eleemosynario celeberrimus, & postea Patriarcha Jerosolymitanus, cui hos articulos legendos, & examinandos præbuit Cyrus, post primam eorum lectionem exclamare, flere largiter, & ad pedes Patriarchæ Cyri advolvi, & rogare, ne hos articulos in lucem edi permitteret, quoniam doctrinæ fidei adversarentur, & doctrinam Apollinaris luculenter continerent.

Cyrus monitis Monachi neglectis perrexit, & publicavit illos canones triumphantibus Jacobitis & Theodosianis, ac dicentibus: *Non nos accessimus ad Concilium Chalcedonense, sed Concilium ad nos venit; qui enim unam operationem affirmat, unicam in Jesu Christo naturam confitetur.* Unde Monothelismus est quædam defensio hæresis Eutychianæ.

Sophronius non auditus a Cyro, ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham se convertit: quem tamen invenit in omnibus hujus hæresis tenaciorem ipso Cyro, ut ex illius Epistola ad hunc data intelligimus. Nam sic Cyro rescribit: *Idem Jesus Christus res Divinas, & humanas unica operatione operatur, quia omnis operatio Divina & humana ab eodem Verbo Incarnato procedit. Hic sensus est S. Leonis dicentis: utramque naturam cum participatione alterius operari. Hinc optime docuisti se-*

cundum S. Cyrillum unam naturam Verbi Incarnati (Fleury notat, Cyrillum non dixisse, *unam naturam Verbi Incarnati*, sed: *unam naturam Verbi Incarnatam*) *& unam Hypostasin compositam, solo intellectu distinguens partes, quæ conjunguntur.* Et infra: *postquam piam hanc doctrinam accurate exposuisti, omnes hæresum authores anathematizasti.*

Sophronius ad Orientem reversus, mortuo Modesto anno eodem 633. Heraclii 24. Patriarcha Jerosolymitanus invitus eligitur. Quo comperto Sergius Honorii animum præoccupaturus, scripsit ad eum amplissimam Epistolam, in cujus exordio profitetur, nihil se nisi Papa consentiente facturum. Deinde prosequitur: "Haud multo ab-„hinc tempore Imperatori occasione belli Persici in Armenia commo-„ranti sectæ Severianæ caput, cui nomen Paulus, sermonem tradi-„dit, nempe Hæresis, quam profitebatur, apologiam. Imperator „Pauli dicta refutavit, virumque confudit, doctrinam Ecclesiæ ei „opponens: atque in isto colloquio mentionem de una in Jesu Chri-„sto operatione injecit.„

„Post hæc Imperator, cum esset in regione Lazorum, de di-„sputatione, quam habuerat cum Paulo, locutus est præsente Cyro, „tunc illius Provinciæ Metropolita, nunc Patriarcha Alexandrino. „Respondit Cyrus, se non satis scire, an populi docendi essent, unam „vel duas operationes in Jesu Christo dari, & jubente Imperatore „scripsit ad me; hac super quæstione consulens, & quærens, an no-„vissim aliquos ex Patribus, qui de una operatione mentionem fecis-„sent. Respondi, & docui, quæ sciebam, misique Sermonem Men-„næ, olim hujus Civitatis Patriarchæ, ad Vigilium Antecessorem „tuum datum (NB. de hoc scribit Fleurius tom. 8. L. 37. §. 41. *Liqui-„do monstratum, quod scriptum illud Mennæ aliquis falsarius commentus fue-„rit, imo ipse Sergius pudendi doli author creditus*) in quo diversa loca Pa-„trum de unica operatione, & unica voluntate Jesu Christi leguntur. „At in isto responso nihil omnino ex me loquor, sicut ex scripto „exemplo, quod tibi mitto; videre poteris.„ Hæc tamen Fleurius mox citatus parum sincere scripta censet.

Pergit vero Sergius: "Exinde nulla amplius de hoc articulo „mentio: sed ante breve tempus Cyrus Patriarcha Alexandrinus Dei „gratia, & Imperatoris Zelo excitatus Sectatores Eutychis, Dioscu-„ri, Severi, & Juliani, qui Alexandriæ degebant, ad reconciliatio-„nem exhortatus est, & post aliquot Collationes non sine magno la-„bore consecutus est, quod optabat. Partium consensu quidam Ar-„ticuli Dogmatici conscripti; quibus utrinque receptis Pax non Alex-„andriæ modo, sed in tota ferme Ægypto, Thebaide, Lybia, aliis-

„que

„que Diœcesis Ægypti Provinciis secuta est. Interim Sanctus Mona-„chus Sophronius, nunc Patriarcha Jerosolymitanus (istud enim fa-„ma ad me attulit, & necdum pro more Literas ejus Synodicas acce-„pi) Sophronius, inquam, tunc temporis cum Cyro Patriarcha „Alexandriæ versatus, impugnavit unum ex Reconciliationis Arti-„culis, in quo de unica Jesu Christi operatione agebatur, conten-„dens, duas operationes esse admittendas. Cyrus ei aliquos Patrum „textus ostendit, in quibus unius operationis mentio occurrebat. „Præterea vero hortatus est eum, ut perpenderet, sæpe Patres no-„stros, quo magnum animarum numerum Deo lucrarentur, lenitate „& indulgentia usos fuisse, quin tamen ideo doctrinæ veritatem mi-„nime prodiderint. Sic etiam hodie rebus ita se habentibus hac su-„per quæstione, quæ fidem non læderet, non esse tricandum, cum „etiam aliqui Patrum hoc modo loquendi usi fuissent. At Sophro-„nio hæc moderatio nullatenus probatur, & Constantinopolim de-„latus, urgebat nos, ut hunc Articulum deleri juberemus, quod no-„bis durum & inhumanum visum est, & tot populos novissime recon-„ciliatos rursus divisurum, populos, inquam, qui vel solum nomen „S. Leonis, & Concilii Calcedonensis antea horrebant, & nunc il-„lud alta voce in sanctis Mysteriis recitant.„

„Postquam igitur hac de re cum Sophronio diu contulimus, „tandem instantius petiimus, ut Patrum verba ostenderet, quæ ex-„presse, & in sensu proprio docerent, duas operationes in Jesu Chri-„sto affirmari debere; quod neutiquam potuit. Quare, cum vide-„remus contentionem istam exardescere, sciremusque, talia esse ple-„rumque Hæresum exordia, necessarium esse existimavimus, ut ad „tollendas has altercationes inutiles omnem curam adhiberemus. Un-„de Patriarcham Alexandrinum datis literis hortati sumus, ne, re-„conciliationis Schismaticorum negotio feliciter ad finem perducto, „permitteret, quemquam amplius de una vel duabus Operationibus „in Jesu Christo mentionem facere, sed præciperet, ut cuncti potius „cum Conciliis Oecumenicis dicerent, unum & eundem Jesum Chri-„stum res Divinas humanasque operari, omnesque ejus Operationes „indivisibiliter ab eodem Verbo Incarnato procedere, & ad illud so-„lum referri. Nam, licet unius Operationis mentio in quibusdam „Patribus legatur, ista tamen enunciatio quibusdam videtur extranea „& nova, timentibus, ne illa utentes duas Naturas negare velint, „quod Deus avertat! multis etiam affirmatio duarum Operationum „offendiculo est, quia hæc doctrina in nullo SS. Patrum invenitur, „& inde sequitur, duas Voluntates contrarias esse admittendas, ita

„ut Verbum pro genere humano pati voluerit, humana Natura non „voluerit, nam tunc etiam duarum Voluntatum duo principia debe„remus admittere, quod impium eſt; quia impoſſibile eſt, ut idem „ſubjectum ſimul reſpectu ejusdem objecti duas Voluntates contrarias „habeat. Atqui Patres nos docent, Carnem Domini animatam ani„ma rationali nunquam ſenſiſſe motum naturalem ab imperio Verbi „ſeparatum aut contrarium, atque ut clarius mentem noſtram ex„plicemus: ſicut corpus noſtrum ab anima rationali regitur & guber„natur, ita totum compoſitum Humanitatis Jeſu Chriſti ſemper & in „omnibus Verbi Divinitati, & imperio Dei ſubjectum erat."

Et infra: „Tandem inter nos convenit, ut Sophronius nec „de una nec de duabus voluntatibus amplius mentionem faceret, ſed „ſatis ipſi eſſet trita via incedere, & doctrinam Patrum certam ſe„qui. Id igitur nobis promiſit, petiitque, ut Reſponſorias tuas de„ſcriptas ſibi mitteremus, quam hac ſuper quæſtione ſe interrogatu„ris oſtenderet. Id nos facturos lubentiſſime condiximus; ipſe vero „ad ſua reverſurus navem conſcendit. Ante paucos dies Imperator „Edeſſæ commorans datis ad nos literis petiit, ut Textus Patrum de „una operatione & una voluntate in Sermone Dogmatico Mennæ ad „Vigilium ſcripto contentos excerperemus, ſibique mitteremus; „quod fecimus. Ad Imperatorem quoque, ejusque Sacellanum „omnia in hac cauſa a nobis acta, & quantum interſit, hanc quæſtio„nem non rimari, ſed neceſſarium eſſe, ut conſtanti Patrum doctri„næ inhæreamus, perſcripſimus. Tum reſponſum ab Imperatore „accepimus tanto Principe dignum. Neceſſarium credidimus de his „omnibus, miſſis deſcriptis exemplis, te certiorem reddere. Roga„mus, ut omnia legas, ſi ſermonibus noſtris quidquam deſit, ſup„pleas, & dato reſponſo Sententiam tuam nobis aperias.

Hæc eſt epiſtola Sergii Conſtantinopolitani ad Honorium Papam exarata, fuco & fallaciis plena, ut ait Fleuri. Aſt Honorius non advertens malam fidem Sergii, ei reſpondit in hunc modum.

„Litteras tuas accepimus, ex quibus cognovimus, aliquas „altercationes exortas, & quæſtiones de nomine motas a quodam So„phronio tunc Monacho, & nunc Epiſcopo Jeroſolymitano contra „Fratrem noſtrum Cyrum Epiſcoporum Alexandrinum, qui Hæreti„cos nuper converſos docet, unicam in Jeſu Chriſto Operationem „dari. Item Sophronium, cum ad te veniſſet, meliora edoctum, „querelas omiſiſſe, & petiiſſe a te, ut doctrinam tuam ſcriptam ei „mitteres. Porro deſcriptum exemplum hujus Epiſtolæ tuæ ad So„phronium conſiderantes, videmus te in ſcribendo providum & cir-

„cumſpectum

„cumſpectum fuiſſe; hinc laudamus a te factum, quod novas voces „ſuſtuleris, quæ ſimplicibus ſcandalo eſſe potuiſſent.“ Et infra: „Unicam in Jeſu Chriſto voluntatem confitemur, quia Divinitas non „peccatum noſtrum aſſumpſit, ſed Naturam noſtram, & talem, qua- „lis creata fuit, antequam peccatum eam corrupit.“ Et infra: „Nihil in Conciliis aut in Scriptura occurrit, unde nobis ad docen- „dam unam vel duas Operationes Authoritas concilietur; ſed forte „aliquis balbutiendo ita locutus eſt, ut ſermonem Auditoribus in- „firmis accommodaret, quod dogma fidei haberi non debet. Nam „Jeſum Chriſtum eſſe unicum Operantem tam per Divinitatem quam „per Humanitatem, Scripturæ in omnibus paginis loquuntur; at ſci- „re, an propter opera Divinitatis & Humanitatis unam vel duas ope- „rationes dicere, vel concipere debeamus, noſtra parum intereſt, „idque Grammaticorum judicio relinquimus.“ Et iterum: „Reji- „ciamus has voces novas, quibus Eccleſiæ ſcandalizantur; nec ru- „des duarum operationum voce offenſi Neſtorianos nos putent, aut „Eutychianos credant, ſi in Jeſu Chriſto unicam operationem confi- „teamur.“

Eſt & alia Epiſtola Honorii data ad Sergium, ex qua notanda ſunt iſta verba: *Auferentes ergo ſcandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare; ſed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Chriſtum Dominum in utriſque naturis veridice confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipſas potius duas naturas, id eſt, divinitatis, & carnis aſſumptæ in una perſona unigeniti Filii Dei Patris inconfuſe, indiviſe, atque inconvertibiliter nobiſcum prædicare propria operantes.* Inferius addit: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia profecto a divinitate aſſumpta eſt noſtri natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata.* His ex Hiſtoria poſitis

Aſſero 1. Honorius non erravit loquens ex cathedra. Ita plerique. Eſto ergo, erraverit: error tamen non eſt Pontificis ex cathedra loquentis, ſed perſonæ privatæ. Pro roboratione hujus aſſerti præmitto aliqua notanda de infallibilitate, & definitione S. Pontificis e cathedra loquentis ex noſtro P. Herincx p. 3. Summæ Theologicæ Diſp. 6. q. 4. a N. 78. 1. Pontifices, tanquam homines, poſſunt ſaltem ex ignorantia habere aliquos particulares errores in quæſtionibus fidei, aut morum: adduntur ibi exempla. 2. Loquitur Pontifex ex cathedra, dum id ſaltem implicite dicit: ut, cum ait, ſe explicare fidem catholicam, contrarium aſſerentes eſſe hæreticos. Item cum doctrinam aliquam anathemate ferit. Iterum, cum ſigni-

179.

ficat, aliquid omnibus esse credendum, aut tenendum secundum Evangelicam, vel Apostolicam Traditionem. 3. Loquitur ut persona, vel Doctor privatus, quando loquitur per modum opinantis; ut, *sic apparet, sic opinamur, hoc apparet verisimilius* &c. Item, cum aliquid affert præter id, de quo est quæstio, per modum rationis, explicationis, aut confirmationis; nam rationes definiendi per se non sunt infallibiles, cum Pontifex eas solum afferat, ut ostendat, se non temere definivisse. Itaque in probationibus, & rationibus non tam Pontificis, quam Doctoris Personam sustinet. 4. Pontifex, dum ad Personam privatam scribit, plerumque non loquitur ex cathedra, nisi aliud per appositam clausulam indicet; nam in tali casu censetur provisionaliter authoritate sua juxta particularem suam patientiam & prudentiam, atque adeò præscindendo a sua infallibilitate, declarare, quid sit faciendum, donec, si gravitas rei exigat, prævio pleniore examine ex cathedra decidatur: cujusmodi (ait Herincx) censentur esse multa responsa in Jure Canonico. Ex his notatis de se fluit

Probatio Asserti. 1. Illæ Honorii Epistolæ ad Sergium privatæ fuerunt, nec toti Ecclesiæ credendæ propositæ. 2. Quia Honorius hanc quæstionem nec maturo examine expendit, nec circa eam, quam Grammaticis expendendam reliquit, consuluit suæ Ecclesiæ Romanæ Traditionem. *Non oportet*, inquit, *hæc ad Ecclesiastica dogmata retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque authoritates Canonicæ visæ sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas neque Evangelicæ, vel Apostolicæ Literæ, neque Synodalis examinatio super his habita, visæ sunt examinasse.* Et infra: *Utrum autem propter opera Divinitatis & Humanitatis una vel geminæ operationes debeant derivatæ dici, vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis.* Et Epist. 2. dicit: *unius autem operationis, vel duarum esse, vel fuisse Christum, sentire, vel promere satis ineptum est.* Ergo ex cathedra non loquitur Honorius.

3. Ipse Honorius Epist. 2. clare asserit, se nihil circa hanc quæstionem velle definire: *Cæterum*, ait, *quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, quod tenere, vel prædicare debemus, propter simplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæstionum ambages, non unam, vel duas operationes in Mediatore Dei & hominum definire —— debemus.* Et infra: *Auferentes ergo scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet, unam vel duas operationes definientes prædicare.* Ergo circa has quæstiones Honorius nihil definivit, neque ex cathedra allocutus est totam Ecclesiam.

Assero 2

Aſſero 2. Honorius non eſt reus Hæreſis Monothelitarum. Ita communior & ſanior Authorum contra alios. P. Epiſtolæ Honorii poſſunt in ſenſu catholico explicari: ergo propter eas gratis inſimulatur hæreſis. P. a. Sic explicant Viri maximi, maximæ in Eccleſia authoritatis, ut Joannes IV. Pontifex Romanus, Maximus Martyr, Anaſtaſius Bibliothecarius. Joannes IV. in Apologia pro Honorio ad Conſtantinum Imperatorem Heraclii filium ſic loquitur: „Omnes orientales partes ſcandalizatæ turbantur, fratre noſtro Pyr„rho Patriarcha per literas ſuas huc illuc transmiſſas nova quædam, & „præter fidei regulam prædicante, & ad proprium ſenſum quaſi ſan„ctæ memoriæ Honorium Papam attrahere feſtinante, quod a mente „Catholici Patris erat penitus alienum. Igitur ut veſtra benignitas „cauſam totam rei diſcere poſſit, quæ ante brevis intercapedinem „temporis geſta ſunt, enarrabo.

“Sergius reverendæ memoriæ Patriarcha prædicto ſanctæ re„cordationis Romanæ Urbis Pontifici ſignificavit, quod quidam in „Redemptore noſtro Domino Jeſu Chriſto duas contrarias dicerent „voluntates. Quo præfatus Papa comperto reſcripſit ei, quia Sal„vator noſter, ſicut eſſet Monadicus unus, ita & valde mirabiliter „ſuper omne genus humanum conceptus, & natus eſſet. De ſancta „quoque Ipſius incarnata diſpenſatione docebat, quia Redemptor „noſter, ſicut eſſet Deus perfectus, ita eſſet & Homo perfectus: ut, „quam primus homo per prævaricationem amiſit, ſine aliquo pec„cato natus primam imaginis nobilem ſpeciem renovaverit. Natus „eſt ergo ſecundus Adam nullum habens naſcendo, vel cum homini„bus converſando peccatum: etenim Verbum caro factum, in ſimi„litudinem carnis peccati, omnia noſtra ſuſcepit, nullum reatus vi„tium ferens, ex traduce prævaricationis exortum. Similitudinem „ergo intelligimus non carnis ejus, ſed peccati. —— Ergo ſimilitudi„nem carnis peccati ſanctus dicit Apoſtolus, quam ſimilem nobis „peccatoribus ſine peccato cum anima rationali ſuſcepit: & idcirco „unam voluntatem ſecundum primam formationem Adæ naturalem „humanitatis ſuæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus habere dignatus eſt, „non duas contrarias, quemadmodum nunc nos habere dignoſcimus, „qui de peccato ſumus Adæ geniti. Unde ſcientes, quod nullum „in Eo, cum naſceretur, & converſaretur, eſſet peccatum, de„center dicimus, & veraciter confitemur unam voluntatem in ſancta „Ipſius diſpenſationis Humanitate, & non duas contrarias mentis & „carnis prædicamus, ſecundum quod quidam Hæretici velut in pu„ro homine delirare noſcuntur. Secundum hunc igitur modum jam

„dictus

„dictus decessor noster prænominato Sergio percontanti scripsisse di-
„gnoscitur, quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id
„est, in membris Ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil vitii
„traxit ex prævaricatione primi Hominis.“ Negavit igitur tantum Honorius duas voluntates contrarias in Natura humana a Christo assumpta: & hoc utique in sensu vere orthodoxo.

S. Maximus illo ævo clarissimus & doctrina sacra, sanctitate, & Laurea Martyrii, ab Honorio pariter Hæreseos maculam abstergit in Dialogo cum Pirrho, ubi, cum dixisset Hæreticus Patriarcha: *Quid pro Honorio allaturus es, qui ad Antecessorem meum* (nempe Sergium) *scribens, unam in Jesu Christo voluntatem claris verbis docuit?* Respondit S. Maximus: *Cui meliori jure fides adhibenda est circa sensum hujus Epistolæ, vel illi, qui eam Honorii nomine composuit, illi, inquam, qui hodieque superstes est, & sanæ doctrinæ luce totum Occidentem implet, vel illis, qui Constantinopoli, quæcunque libent, dicunt?* Pirrhus dixit: *Illi potius credendum, qui Epistolam concinnavit.* S. Maximus: *Atqui ille ipse, data ad Constantinum Imperatorem felicis memoriæ Epistola nomine Joannis Papæ, ista explicat in hunc modum: Diximus, unam esse Jesu Christi voluntatem, non tamen tam Divinitatis quam Humanitatis; cum enim Sergius scripsisset, quosdam in Jesu Christo duas voluntates contrarias admittere, respondimus, Jesum Christum non habuisse duas voluntates contrarias Spiritus & Carnis, quales nos post peccatum habemus, sed unam voluntatem, tanquam infallibilem Humanitatis ejus notam. Idque exinde liquet, quod loquatur de membris & carne, quæ Divinitati non congruunt. Tunc ut objectioni occurrat, dicit: Si quis quærat, quare de Humanitate Jesu Christi loquentes nullam de Divinitate mentionem fecerimus; respondebimus primo, nos ad illud solummodo respondisse, de quo interrogabamur. Deinde nos secutos fuisse morem Scripturæ, quæ modo de Divinitate, modo de Humanitate ipsius loquitur.* Hujus Pontificis, & Joannis IV. Scriba, de quo hic S. Maximus mentionem facit, erat aliquis Abbas Joannes nomine. Hæc videre potes apud Fleurium Tom. 9. Hist. Eccles. L. 38. §. 39. fol. mihi in Editione Latina Augustana 106.

Anastasius Bibliothecarius Præfatione in sua ad Joannem Diaconum collectanea sic purgat Honorium ab Hæresi: „Ad manus no-
„stras venire contigit Apologiam Joannis IV. Romani Pontificis pro
„Honorio Papa a calumniatoribus impetito, quod unam Domini no-
„stri Jesu Christi tantum scripserit voluntatem. Quæ videlicet Apo-
„logia satis hunc, ut reor, excusabilem reddit, licet huic VI. Syno-
„dus quasi Hæretico anathema dixerit, & in Dei solius jam judicio
„positum, reprobationis telo perfoderit: cum Hæreticus non ex er-
„roris tantum deceptione, quantum ex electione non recta, & con-
„tentiosa

„ tentiosa pertinacia generetur. Quis autem erit, qui nobis interim „ dicat, utrum ipse pro certo dictaverit Epistolam, de qua illum ana„ thematizandi fomitem calumniatores susceperunt, cum & ex Scri„ ptoris vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio, quid contin„ gere tale potuerit? Quamvis non ignoremus, docente S. Maximo „ in Epistola sua, quam Marino scripsit Presbytero, Sanctissimum „ hunc scripsisse Joannem Abbatem. Esto & ipse (*Honorius*) dictator „ extitit; quis hinc illum interrogavit? Quis intentionem investiga„ vit? Quis hunc corrigere voluit, & ille percontanti, aut emenda„ re volenti restitit, vel contentionibus serviens resultavit? Praeser„ tim cum in Evangelio illo, quo dicitur: Nolite judicare, & non „ judicabimini &c. nihil aliud praecipi magnis etiam Magistris Ecclesiae „ videtur, nisi ut ea facta, quae dubium est quo animo fiant, in me„ liorem partem interpretemur. Sunt quippe quaedam facta media, „ quae ignoramus quo animo fiant, cum bono & malo fieri possint, „ de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus." Hi testes, omni exceptione majores sufficiunt ad vindicandum Honorium, & pronunciandum eum immunem a labe Haeresis Monothelitarum.

Accedit, ex ipsis verbis Honorii constare, eum non fuisse Haereticum Monothelitam, imo potius dedocuisse Monothelitarum Haeresin: quippe expresse admisit duas Operationes. Epistola enim secunda ait: *Utrasque Naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operatrices confiteri debemus, & Divinam quidem, quae Dei sunt, operantem, & Humanam, quae carnis sunt, exequentem, non divise, neque confuse, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes, unus atque idem aequalis Patri, atque minor Patre.* Et infra dicit: *auferentes scandalum novellae adinventionis —— pro una, quam quidam dicunt, operatione oportet nos unum Operatorem Christum in utrisque Naturis veraciter confiteri, & pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas Naturas, id est, Divinitatis, & carnis assumptae pro una Persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes.* Atqui si quaelibet Natura in Christo habet propriam operationem, sunt duae operationes: ergo confitetur Honorius duas operationes in Christo, quod est immediate Monothelismo oppositum.

Confirmatur. In Agathonis Epistola ad Imperatorem Constantinum scripta inter alia haec habentur: *Haec est fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quae a*

tramite Apostolicæ Traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, quia dictum eſt Petro: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. *Hic Dominus fidem Petri non defuturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædeceſſores confidenter feciſſe cunctis eſt cognitum.* Hanc Epiſtolam communi ſuffragio approbarunt Patres Synodi VI. act. 18. De ea loquentes ſic alloquuntur Imperatorem: *Confeſſionem tibi a Deo inſcriptam illa Romana antiqua civitas obtulit. Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* In hac Epiſtola, ſic ſolemniter a Synodo probata, Agatho de cunctis ſuis Prædeceſſoribus, inter quos & Honorius erat, intrepide aſſerit, nullum in fide erraſſe, aut quid hæreticum docuiſſe.

181. Objic. 1. Honorius in Epiſt. 1. ait: *Unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti:* Sed hæc propoſitio eſt Hæreſis Monothelitarum: ergo Honorius eſt reus hujus Hæreſis. ℞. D. M. Honorius fatetur unam voluntatem per excluſionem duarum voluntatum humanarum contrariarum, ſicut in nobis poſt peccatum originale reperiuntur, qui eſt ſenſus catholicus, c. M. per excluſionem voluntatis vel Divinæ, vel Humanæ, qui eſſet ſenſus Monotheliticus, n. M. Reſponſio patet ex probationibus.

Objic. 2. Honorius rejicit vocabulum geminæ operationis, ſicut Sergius: ergo eſt Hæreticus, ſicut Sergius. ℞. D. a. rejicit vocabulum geminæ operationis, retinens rem per illud ſignificatam, quod non fecit Sergius c. a. ſecus n. a. & conſ.

Objic. 3. Honorius a Synodo IV. fuit damnatus ut Hæreticus; act. enim 16. dicitur: *Sergio Hæretico anathema, Honorio Hæretico anathema:* ergo &c. ℞. D. a. fuit damnatus ut Hæreticus conniventia & favore c. a. ut Hæreticus dogmate & ſententia n. a. Honorius non fuit Hæreticus Hæreſin docendo, ſed Hæreſin docentibus non reſiſtendo: non Hæreticis conſentiendo, ſed Hæreticos non, ut par erat, coërcendo. Recte enim dicit Cæleſtinus, ad Galliarum Epiſcopos ſcribens: *Merito nos cauſa reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori.* De hac re integra aſſertio ponetur.

Objic. 4. Act. 13. Synodi VI. Honorius eſt anathematizatus, *quia in omnibus mentem Sergii eſt ſecutus, & impia dogmata confirmavit:* ergo. ℞. D. a. mentem Sergii ſecutus eſt, ſcilicet ſequendo ejus conſilium de ſupprimendo unius, vel geminæ operationis vocabulo c. a. illius Hæreſin approbando n. a. Igitur Honorius ad ſummum fuit

Hæreti-

Hæreticus favore, & intempeſtiva diſſimulatione, non ſententia & doctrina. De quibus plura ſequenti

§. V.

Continuatur Controverſia de Honorio.

Aſſero 3. Honorius I. a Concilio VI vere, & juſte condemnatus eſt. Ita videtur mihi veriſimilior plurium Eruditorum ſententia contra alios. P. 1. membrum. Quia id non ſemel, ſed pluries Concilii acta teſtantur, ut act. 13. & 16. in qua poſteriore clare dicitur: *Theodoro Pharanitano Hæretico anathema, Sergio Hæretico anathema, Cyro Hæretico anathema, Honorio Hæretico anathema.* 182.

Reſpondebis cum Baronio, Binio, & aliis: Hoc Concilium paucis poſt illud menſibus fuiſſe corruptum, & vitiata ejus acta, dum Honorium Hæreticum dicunt, & anathemate feriunt: idque factum eſſe a Theodoro Conſtantinopolitano, ob Hæreſin paulo ante ſynodali judicio damnato, & depoſito, ſed poſt obitum Georgii ei ſubſtituti, & emiſſam profeſſionem reſtituto, qui inde occaſione data e Synodi actis nomen expunxit ſuum, & Honorii nomen intruſit, adeoque ex iis corruptis actis, Honorium fuiſſe in hac Synodo condemnatum, inferri nequit.

Contra eſt 1. Non eſt ullo modo veriſimile, Theodorum hujus Concilii acta ſic corrumpere potuiſſe; ſiquidem, quamvis depravare potuit authenticum exemplar illud, quod in ſuæ ſcriniis Eccleſiæ ſervabatur Conſtantinopoli, non tamen corrumpere potuit exemplaria alia authentica, & ab Imperatore Conſtantino ſignata, ac ſubſcripta, ad reliquas Sedes Patriarchales, Romanam nempe, Alexandrinam, Antiochenam, & Jeroſolymitanam transmiſſa. Etenim delata eſſe Conciliorum actorum transſumpta authentica ad quinque Patriarchales Sedes, liquidum eſt ex eo, quod act. 18. poſt ſermonem acclamatorium id ab Imperatore expreſſe petierint Concilii Patres dicentes: *Ad majorem orthodoxæ fidei confirmationem, ut ſubſcripta exempla definitionis relectæ præſente veſtra Sereniſſima poteſtate, edantur quinque Patriarchalibus una cum veſtra pia ſubſignatione.*

Contra eſt 2. Inter ſe pugnantia loquuntur hi, qui cum Baronio volunt, Theodorum paucis poſt menſibus reſtitutum hæc corrupiſſe acta; cum non fuerit Theodorus reſtitutus in ſuam ſedem, niſi poſt obitum Georgii, qui adhuc tres annos poſt Synodum abſolutam vixit, ut ſuo in Chronico aperte docet Theophanes.

Contra eſt 3. Impoſſibile fuit, acta Synodi in pluribus locis, in quibus Honorii mentio fit, corrumpere, & quidem omnia Exemplaria ad Patriarchales Eccleſias miſſa. Et tantum loquendo de actione 13., ubi non uno verbo indicatur Honorius, ſed ita dicitur: *Cum his vero ſimul projici a S. Dei Catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari prævidimus & NB Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eoquod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt.* Loquendo de hac ergo actione, quomodo potuit longior textus ſoli nomini Theodori ſubſtitui, & ſic fraudulenter acta interpolari, ita, ut fraus non manifeſte pateret? Similia etiam habentur act. 18. ibi: *Dæmon plenitudini Eccleſiaſticæ erroris ſcandala ſuſcitaſſe per Theodorum Epiſcopum Pharan, Sergium, Pirrhum, Paulum, Petrum Regiæ urbis Antiſtites, inſuper & NB Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ.* Et in Sermone Profphonetico, ſeu acclamatorio ad Principem: *Superfluas autem vocum novitates, & harum inventores procul ab Eccleſiaſticis ſeptis abjicimus, & anathemati ſubjicimus, id eſt, Theodorum Pharanitanum, Sergium & Paulum, Pirrhum ſimul & Petrum, qui Conſtantinopoleos præſulatum tenuerunt, inſuper & Cyrum, qui Alexandrinorum Sacerdotium geſſit, & cum eis Honorium, qui fuit Romæ Præſul, utpote qui eos in his ſecutus eſt.* Inſuper Honorius etiam nominatur in Epiſtola ſynodica ad Agathonem inter eos, qui damnati, & lata prius in eos ſententia anathemathe percuſſi ſunt. Toties expreſſa damnatio non poteſt provenire ex mera corruptione actorum.

Contra eſt 4. Omnes Patriarchæ ſuos habebant Notarios, qui Concilii acta exciperent: tradita ſunt ſingulis, vel eorum vices gerentibus exemplaria authentica, & inprimis Legatis Apoſtolicæ Sedis, quæ cum detuliſſent Romam, Leo II. Synodum confirmavit. Veriſimile ergo non eſt, corrupta eſſe acta Synodi VI. Neque dicas, ea ſtatim eſſe interpolata, antequam Legatis traderentur: quia impoſturam facile intellexiſſent, ac reclamaſſent: ergo genuina & integra ſunt Concilii acta, etiam in his, quæ ſpectant Honorii damnationem.

Confirm. Vere a VI. Synodo damnatum fuiſſe Honorium, ex Epiſt. Leonis II. Romani Pontificis ad Conſtantinum Imperatorem, qua VI. Synodum approbavit, clarum eſt; in ea enim poſt *Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pirrhum, Paulum, Petrum* Conſtantinopolitanos Præſules, damnat etiam anathemate *Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ Traditionis doctrina luſtravit,* ſed profana proditione immaculatam maculari permiſit: ergo.

Confirm.

Confirm. ulterius ex Synodo VIII. & act. 7. in qua legitur & approbatur Epiſtola Adriani II. Romani Pontificis, qua Photium ſic perſtringit: *Intolerabilis eſt iſta præſumptio, dilectiſſimi, & hanc aures præcordiorum, fateor, ſuſtinere non poſſunt: Quis veſtrum unquam tale quid audivit? Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus: de eo vero quemquam judicaſſe, non legimus; licet enim Honorio ab Orientalibus Anathema poſt mortem ſit dictum; ſciendum tamen eſt, quod fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus, majorum ſuorum moribus reſiſtendi, vel pravos ſenſus libere reſpuendi; quamvis nec ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejusdem primæ Sedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet authoritas.*

Probatur 2. memb. Aſſerti. Licet Honorius non fuerit profeſſione, & propugnatione Monothelita, tamen negari non poteſt, eum Hæreſi Monothelitarum naſcenti non, ut decuit, reſtitiſſe, nomen duarum Operationum in Chriſto ad inſtantiam Monothelitarum ſileri juſſiſſe, cum Monothelitis communicaſſe: atqui, qui hæc facit, anathemate dignus eſt: ergo. Major facile patet ex relatione hiſtorica præmiſſa, & ex Epiſtola Leonis II ad Epiſcopos Hiſpaniæ, in qua de Honorio ſcribit: *Qui flammam hæretici dogmatis, non, ut decuit, Apoſtolica authoritate incipientem extinxit, ſed negligendo confovit.*

Confirm. Qui communicat cum Hæreticis, qui ipſos laudat, eos ſupprimere & damnare negligit, cum ipſi ex officio incumbit, ipſe anathemate dignus eſt: Sic præter alia capita Papæ Theodoro Pirrhus Monothelita depoſitione dignus eſt viſus, quod in Epiſtolis ſuis *laudibus extuliſſet Heraclium, qui anathematizavit fidem Catholicam, & Patres orthodoxe ſentientes.* Quod attinet negligentiam eorum, qui Eccleſiæ præſunt, vere ſcribit S. Leo Epiſt. 14. ad Januarium Aquilejenſem: *Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides negligentesque Rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam.* Ex his ergo concluditur, Honorium, non ut Monothelitam, ſed ut fautorem, qui ſua negligentia, diſſimulatione, & communicatione confovit Hæreſin, & ei non, prout decuit, reſtitit, eſſe vere & juſte a Concilio VI. condemnatum, & anathematizatum.

Objic. 1. Ex Baronio. S. Pontifex Agatho in ſua ad Conſtantinum Pogonatum Epiſtola ait, neminem Prædeceſſorum ſuorum, inter quos etiam fuit Honorius, in fide vera defeciſſe, ſed ſuos fratres ſemper in fide confirmaſſe: & hæc Epiſtola lecta eſt actione quarta Synodi, & act. 8. ſolemniter a Patribus approbata: ergo Honorium ut

183.

ut Hærefis fautorem non damnavit fexta Synodus, vel fi damnavit, erravit illum damnando, aut Agathonis Epiftolam approbando.

℞. D. a. & Agatho intelligendus eft, & intellectus fuit a Patribus Synodi de fuis Prædecefforibus, dum locuti funt ex cathedra c. a. dum ut privati Doctores fcripfere ad Perfonas privatas, ut ad Sergium, ad quem datæ literæ in Synodo funt damnatæ, & propter eas etiam damnatus eft Honorius n. a. &c. Neque ex hoc fequitur, quod Honorius fuerit ut privatus homo Hæreticus: cum enim Hærefis fit hominis Chriftiani error in fide cum pertinacia conjunctus, ille folum dici poteft Hæreticus, qui errorem in fide cum pertinacia defendit, quod de Honorio dici nequit. Fuit ergo fautor Monothelismi, non defenfor, vel Sectator.

Objic. 2. Cum eodem Baronio. Patres hujus fextæ Synodi in Epiftola ad Agathonem diferte dicunt, fe Monothelitas damnaffe juxta tenorem fententiæ per ipfum in fua Epiftola latæ: *Anathematibus*, ajunt, *interfecimus ex fententia per facras veftras literas lata, videlicet Theodorum Epifcopum Pharanitanum, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pirrhum & Petrum.* Sed Agatho Papa in fua Epiftola ad Conftantinum Pogonatum nec damnavit, nec nominavit Honorium cum aliis Monothelitis Sergio, Cyro, Pirrho, Petro & Paulo: ergo nec fexta Synodus ifta: ergo acta nomen Honorii habentia, debent dici corrupta.

℞. Honorius a fexta Synodo vere damnatus eft, & quidem juxta, non contra Agathonis mentem; Hic enim folos Monothelifmi authores, Sectariosque præcipuos damnavit, non autem omnes abfolute Monothelitas, vel Monothelismi fautores: quare nec Honorium nominatim damnavit, qui nec Author, nec fectarius, fed folum fautor Monothelifmi extitit. Aft fexta Synodus etiam fautores Monothelifmi, proinde & Honorium fulmine anathemathis petiit, idque ex fententia Agathonis, qui non folum a fe nomine tenus adductos a Synodo damnandos præfcripfit, fed omnes feu Authores, feu Sectarios, feu fautores dicens: *Reftat —— ut & novitatis error cum fuis inventoribus, & iis, qui eorum doctrinam fecuti funt, propriæ præfumptionis pœnam exfolvat.* Unde ficut ab Agathone non nominatos in fua damnatione Macarium, Stephanum, & Polycronium tamen damnavit Concilium, ita & Honorium.

Objic. 3. S. Bafilius bene agit, difpenfando, ut Macedoniani filentium de Spiritus S. divinitate fervarent, quo eos facilius ad veræ fidei profeffionem revocaret: ergo etiam bene egit Honorius, nec propterea damnari potuit, qui ex fimili motivo voluit abftineri a nomine

mine duarum Operationum. ℞. N. c. & parit. S. Gregorius Nazianzenus inquit: *Licet* (S. Basilius) *vocem Deitatis dispensaret ad tempus, adhuc tamen aliis vocibus e Scriptura petitis, testimoniisque minime dubiis, tantam vim habentibus, necessariisque argumentis adversarios ita comprimebat, ut nullo modo repugnare, atque in contrarium niti possent.* Ast vero Honorius geminæ Operationis, & voluntatis vocem ita sileri jussit, ut æquivalentia vocabula in ejus locum non substitueret, nec Monothelitas impugnaret, & comprimeret, ut S. Basilius Macedonianos; imo eodem modo, ac illi loquebatur in hac controversia, seque Sergio, Sectæ facile Principi, vel nulli secundo assentire profitebatur. Unde potius Arianos imitatus est, qui sacram vocem Homousion sileri malebant, quam dispensationem Basilii.

Objic. 4. Theodorus Constantinopolitanus antea Patriarcha, notus Monothelita, non fuit in actis Concilii anathemate percussus: ergo hæc acta sunt vitiata. ℞. N. cons. In Concilio damnati sunt jam mortui, vivos vero expectaverunt Patres, & si pœnitentiam egerunt: errorem detestati, benigne recepti sunt. Inter resipiscentes, saltem externe, fuit ille Theodorus: ideo iterum suæ Sedi post ipsi substitutum Georgium mortuum est restitutus.

184. Quæres hic pro Coronide de Pontificibus, quibus errores affinguntur, quid de Joanne XXII. existimandum? ℞. Ille Joannes a multis reprehenditur, præsertim a Guilielmo Okam in opere 6. dierum, & ab Adriano in quæstione de Confirmatione circa finem, quod docuerit, animas Beatorum non visuras Deum ante resurrectionem. Erasmus præfatione ad librum S. Irenæi idem cum additamento asserit. Calvinus vero L. 4. Instit. c. 7. §. 28. dicit, Joannem sensisse, animas esse mortales: apud Bellarminum citatus sic loquitur: *Atqui si privilegium, quod obtendunt, ratum esse volunt, expungant e numero Pontificum, oportet, Joannem XXII., qui palam asseruit animas esse mortales, unaque cum corporibus interire usque ad diem resurrectionis. Atque ut videas, totam Sedem, cum præcipuis suis fulturis tunc prorsus concidisse, nemo Cardalium huic se tantæ insaniæ opposuit. Sed Schola Parisiensis Regem Galliæ impulit, ut ad palinodiam hominem cogeret: Rex ejus communionem suis interdixit, nisi mox resipisceret, idque de more publicavit per præconem. Hac necessitate adactus ille errorem abjuravit.* Hæc scripsit Calvinus, sed non probavit aliter, nisi ponendo in margine: *Testis Joannes Gerson, qui tunc vivebat.* Verum, ut Bellarminus Tom. 1. Controvers. L. 4. c. 15. scribit, & probat, hæc scribendo quinque mendacia committit Calvinus. Certe nemo Scriptorum coævorum de hoc errore Joanni XXII. tribuendo,

do, quem Calvinus Impoſtor ille & Hæreſiarcha affingit ex odio erga Sedem Apoſtolicam, cogitat, vel verbulum ſcribit.

Præterea, quamvis negari nequeat, Joannem in ſententiam illam multum propendiſſe, quod animæ etiam purgatæ non videant beatifice Deum ante diem judicii, id tamen nunquam definivit, nec toti Eccleſiæ tenendum propoſuit, neque hac propenſione & opinione ſua fuit hæreticus, quia iſta res non fuit tunc definita, ſed primum fuit ut de fide propoſita a Succeſſore Joannis Benedicto XII. in Conſtitutione: *Benedictus Deus* Tom. 1. Bullarii Romani, ex qua notanda ſunt iſta verba: *cumque idem Prædeceſſor noſter, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad deciſionem concertationum hujusmodi ſe pararet, in Conſiſtorio ſuo publico tam Fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Prælatis, & Magiſtris in Theologia, qui multi aderant præſentes, injungendo diſtrictius & mandando, ut ſuper materia de Viſione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberate diceret unusquisque, quod ſentiret: Tamen morte præventus, ſicut Domino placuit, perficere illud nequivit.*

Sane Joannes XXII. in Diplomate Canonizationis S. Thomæ, *Cælum credentibus & humilibus patere*, a Chriſto in Cælos aſcendente *reſeratam dudum clauſam in ſe credentibus januam Paradiſi, S. Thomam devicto, triumphatoque mundo in perpetuas æternitates receptum in patria, ejus animam cælum poſſidere, & in cæleſtibus agminibus poſitum, Deum glorificare* profitetur. Et in Diplomate Canonizationis S. Ludovici Toloſani Epiſcopi ait: *Huic cæli præſtant hoſpitium, cæli cives, ut ſibi conformem & comparem ad ſuum hunc conſortium admittunt in ſupernis; Chriſtus hunc reficit, idem ipſe prandium & Conviva.* Et infra: *Tandem glorioſam reſolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocentia, in medio domus ſuæ ad Deum ſuum contemplandum in gaudio, facie revelata, in ſua innocentia eſt ingreſſus.* Et in Diplomate Canonizationis S. Thomæ Herfordienſis Epiſcopi: *Lætentur*, inquit, *cæli ſurſum, qui hunc Sanctum glorioſum in ſe ſuſcipiunt.* Et infra: *Cæleſtis imperii ipſe ineffabili throno gaudet.* Profecto ſic non fuiſſet locutus Joannes, ſi firme etiam crediḋiſſet, beatitudinem Sanctorum usque ad extremum judicii diem differendam.

Adde ſequentia ex Alexandro Natali: "Anno 1334. die 3. „Januarii Joannes XXII. in publico Conſiſtorio conteſtatus eſt, nun- „quam ſibi fuiſſe in animo credere, aſſerere, aut credendum aliquid „proponere, quod Scripturæ ſacræ vel fidei orthodoxæ contrarium „eſſet; ac ſi quid ſibi in Collationibus & Sermonibus de viſione ani- „marum excidiſſet, id ut præter mentem dictum revocare. Teſtis

eſt

„ est Benedictus XII. ipsius Successor in Diplomate, quod ex MS. Va-
„ ticano descripsit Odoricus Raynaldus ad annum 1334. Num. 35. *Sa-*
„ *ne*, inquit, *cum jam dudum per nonnullos revocaretur in dubium, an animæ*
„ *a corporibus separatæ, ac a peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ, ante re-*
„ *sumptionem corporum videant divinam essentiam, illa videlicet visione, quam*
„ *vocat Apostolus facialem; & super hoc tam in Sermonibus, quam in aliis Col-*
„ *lationibus, & collocutionibus per felicis recordationis Joannem Papam XXII.*
„ *Prædecessorem nostrum, & plures alios in ejus præsentia multa dicta, recita-*
„ *ta, scripta, & prædicata fuissent; volens idem Prædecessor verbis & linguis*
„ *malignantium obviare, anno a nativitate Domini 1334. Indictione 2. die 3.*
„ *mensis Januarii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de quorum numero*
„ *tunc eramus, multisque Prælatis, & in sacra Theologia Magistris, aliisque*
„ *personis, & Tabellionibus publicis, in Consistorio Apostolico coram eo perso-*
„ *naliter constitutis, dixit, asseruit, & protestatus extitit sub hac forma:*

“ *Ne quis sinistre interpretari possit, Nos sensisse aliquid, aut sentire,*
„ *quod sacræ Scripturæ obviet, aut fidei orthodoxæ, dicimus, & protestamur*
„ *expresse, quod quicquid in quæstione, seu materia Visionis animarum, videli-*
„ *cet, an animæ a peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ videant divinam es-*
„ *sentiam illa visione, quam Apostolus vocat facialem; seu quacunque alia mate-*
„ *ria in Sermonibus, & collationibus nostris diximus, allegavimus, seu propo-*
„ *suimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere, seu credere, quod*
„ *esset quovis modo Scripturæ sacræ obvium, vel contrarium fidei orthodoxæ;*
„ *sed illud solum tenere, & credere, quod & Scripturæ sacræ potest, & pote-*
„ *rat, & Catholicæ fidei convenire: & si forsan in prædictis Sermonibus, vel*
„ *collationibus aliqua, quæ vel Scripturæ sacræ, seu fidei orthodoxæ quovis modo*
„ *essent, vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem a nobis fuisse prolata*
„ *dicimus, & asserimus, eaque revocamus expresse, non intendentes illis adhæ-*
„ *rere, nec ea in præsenti defendere, nec etiam in futurum.*

„ Lethali demum ægritudine correptus, convocatis Cardina-
„ libus & Prælatis, die 3. Decembris ejusdem anni, Tabellionibus
„ publicis etiam præsentibus, hanc edidit fidei suæ declarationem,
„ quam laudato Diplomati Benedictus XII. inseruit: *Ne super iis, quæ*
„ *de animabus purgatis, separatis a corporibus, an citra resumptionem corporum*
„ *Divinam Essentiam, illa visione videlicet, quam vocat Apostolus facialem,*
„ *videant, tam per nos, quam per nonnullos alios in præsentia nostra recitando,*
„ *& allegando sacram Scripturam, ac originalia & dicta Sanctorum, vel alias*
„ *ratiocinando, sæpius dicta sunt, aliter, quam per nos dicta & intellecta fue-*
„ *rant, & intelligantur ac dicantur, auribus fidelium valeant inculcari; ecce*
„ *quod nostram intentionem, quam cum Sancta Ecclesia Catholica circa hæc ha-*

„*bemus, & habuimus, ferie præfentium, ut fequitur, declaramus. Fatemur „fiquidem, & credimus, quod animæ purgatæ, feparatæ a corporibus, funt „in cælo, cælorum regno, & Paradifo, & cum Chrifto in confortio Angelo„rum congregatæ, & vident Deum, ac Divinam Effentiam facie ad faciem „clare, in quantum ftatus & conditio compatitur animæ feparatæ: Si vero alia, „vel aliter circa materiam hujusmodi per Nos dicta, prædicata, feu fcripta fue„runt, quoquo modo illa diximus, prædicavimus, vel fcripfimus circa præmiffa, „vel alia, quæ fidem concernunt Catholicam, facram Scripturam, vel bonos „mores; ea, in quantum funt confona fidei Catholicæ, determinationi Ecclefiæ, „facræ Scripturæ, ac bonis moribus, approbamus; aliter autem illa habemus, „& haberi volumus pro non dictis, prædicatis, & fcriptis, & ea revocamus „expreffe: Ac ea, quæ de prædicta vifione, & omnia alia dicta, prædicata & „fcripta noftra de quacunque materia, ubicunque, & in quocunque loco, ac in „quocunque ftatu, quem habemus, vel habuerimus hactenus, fummittimus de„terminationi Ecclefiæ, & Succefforum noftrorum.„*

Ex quibus fimul fumptis apparet manifefte, Joanni XXII. in hoc puncto labem Hærefis inuri poffe minime, prout tamen aliqui in ipfum malevoli inique contra veritatem fecerunt. Hæc igitur fint fatis de erroribus imputatis Summis Pontificibus.

ARTICULUS XVI.

An omnes, quæ circumferuntur, Summorum Pontificum Decretales Epiftolæ usque ad Siricium genuinæ fint?

185. Prævie fciendum eft, quæftionem non verti de Epiftolis S. Cornelii, quæ inter opera S. Cypriani extant. Neque de Epiftolis illis Julii I. quæ referuntur a S. Athanafio Apologia fecunda. Nec de Epiftolis Liberii, quæ a S. Hilario in fragmentis recenfentur: Nec etiam de Epiftola Damafi ad Illirici Epifcopos, quam exfcribit Theodoretus L. 2. Hift. Ecclef. c. 22. De harum enim veritate nulla inter Catholicos eft controverfia.

Solum ergo controvertitur de eis Epiftolis, quas ex Ifidori Mercatoris Collectione, collectores Canonum in numerum Decretalium retulere, nec earum a veteribus Hiftoriæ Ecclefiafticæ Scriptoribus, aut SS. Patribus fit ulla mentio. Tales funt Clementis quinque: S. Anacleti tres: S. Evarifti duæ: Pii I. quatuor: Zephyrini duæ: Lucii una: Fabiani tres: Stephani I. duæ: Sixti II. duæ: Dionyfii duæ: Felicis I. tres: Eutichiani duæ: Caji una: Marci una ad S. Athanafium: Julii I. duæ: Liberii duæ: Felicis II. duæ: Damafi plures,

res, ſcilicet tres ad D. Hieronymum, aliæque ad Afros de Corepiſcopis, ad univerſos Epiſcopos Italiæ, ad Aurelium &c.

Aſſero 1. Hæ Epiſtolæ Decretales ſunt veriſimilius ſuppoſititiæ. Ita communiter Eruditi. P. 1. Hæ Epiſtolæ laudant Vulgatam S. Hieronymi, quæ tamen primum jam defunctis illis Pontificibus, quibus illæ adſcribuntur, excepto uno Damaſo, eſt cuſa. 2. Quia uſque ad Sæculi VIII. finem ita latuerunt, ut nullus author, a quo allegentur, inveniatur. 3. Quia Legum Imperialium verba ex Codice Theodoſiano deſcripta adhibent, cum tamen ii Pontifices duobus vel tribus ſæculis Codicem illum præceſſerint. 4. Quia ſingulæ propemodum manifeſtis erroribus abundant: v. g. Epiſtolæ Anteri recenſent teſtimonia Damaſi, Auguſtini, Gregorii Magni, Gelaſii &c. qui diu poſtea vixerunt. Agunt etiam de Patriarchis, quorum nomen primo audiri cœpit circa tempus Concilii Calcedonenſis Sæculo V. celebrati. 5. De Controverſiis illius ætatis, cui tribuuntur, penitus ſilent contra morem omnium Scriptorum & Patrum, qui illis ſæculis ſcripſere. 6. Quia omnes fere Epiſtolæ illæ falſis temporum, & Conſulum notis conſignantur. 7. Quia omnes eodem ſtilo ſcribendi, & charactere præditæ ſunt, quamvis Pontificibus quatuor priorum ſæculorum affingantur, qui veriſimilius eodem ſtilo, & Latini ſermonis forma uſi non fuere: Hinc unius poſterioris Scriptoris eſſe videntur. 8. Quia Dionyſius Exiguus, qui teſtatur, ſe diligenter collegiſſe omnes Epiſtolas, quas in Eccleſiæ Romanæ ſcriniis invenit, earum non meminit, ſed initium a Siricio ducit. 9. Leo IV. can. de libellis diſt. 20. Epiſtolas Decretales enumerans a Siricio ſumit initium.

186.

Objic. Varii Canoniſtæ & Theologi, quibus videntur conſentire plura Concilia, cenſent has Decretales genuinas: ergo. ℞. D. a. cenſent eſſe genuinas, ſeu veram, & genuine Catholicam doctrinam, quæ uſui eſſe poteſt, & ſæpe jam fuit in deciſionibus, continentes c. a. eſſe genuinas, ſeu ſcriptas ab illis Pontificibus, quibus tribuuntur n. a. Hæc reſponſio dilucidabitur ſequente Aſſertione: Proin

Aſſero 2. Non obſtantibus dictis hæ Epiſtolæ magna pollent authoritate in his, in quibus antiquis canonibus non adverſantur. Ita Critici & Eruditi fere communiter.

P. Quia ut de Marca L. 3 c. 5. §. 1. notat, *e ſententiis & verbis Legum, canonum antiquorum, & SS. Patrum, qui ſæculo IV. floruerunt, ſi pauca demas, concinnatas eſſe conſtat*, eisque tota fere Gallia utitur, ut notat idem Marca L. 3. c. 6. §. 2. Unde in Concilio Rhemenſi anno

 992.

992. Epiſtolæ Anacleti, Damaſi, aliorumque Pontificum expenduntur in cauſa Arnulphi. Item Concilia Aquisgranenſe anno 836. Colonienſe anno 887. Moguntinum anno 888. Metenſe anno 888. Triburienſe anno 895. Lateranenſe ſub Calixto II. 1122. illarum Epiſtolarum teſtimonium tulerunt.

Confirm. In Concilio Romano 70. Epiſcoporum Gelaſius has Decretales commendat, & recipit, imo etiam Leo Magnus, & Nicolaus I. Summi Pontifices eas recipi juſſerunt: ergo.

Ex dictis ſic infero: Illæ Epiſtolæ, a quibuscunque Authoribus editæ, ſunt veneratione dignæ, & magnæ authoritatis exiſtunt, quæ ſunt in Eccleſia uſu receptæ, ab Apoſtolica Sede probatæ, quæ dogmatum veritatem, & morum diſciplinam continent, quæ etiam ab his, qui eas negant genuinas, ſunt cum veneratione receptæ: atqui tales ſunt Epiſtolæ, de quibus controvertitur: ergo.

Objic. Si non ſunt genuinæ, & ab illis authoribus, quibus tribuuntur, ortæ, non merentur aliquam venerationem & authoritatem: ergo. ℞. N. a. merentur enim venerationem ob doctrinam uſu comprobatam, & ob momenta hic adducta.

CONCILIA.

Cum Concilia inter locos Theologicos merito honorabilem ſedem obtineant, etiam de iis in Prolegomenis Theologiæ tractare oportet.

Eſt autem Concilium in genere, Prælatorum Eccleſiæ congregatio ad fidei controverſias definiendas, vel fidelium mores reformandos, a legitimo capite convocata. Vocatur Hebraice *Sanhedrin* vel *Synedrion*, græce *Synodus*, latine *Concilium*, nomine ſumpto, ut dicit Archidiaconus, a *Con*, & *cilium*, quod, ſicut ſi duo oculorum *cilia* claudantur, conveniunt in unum, & conciliari dicantur oculi, ita & Prælati ſimul congregati, dum aliquid definiunt, vel ſtatuunt, in unum conveniant, & conciliari dicantur. Ideo cœtus eorum Concilium a conciliando appellatur.

Quadruplex eſt Concilium: *Generale* vel *univerſale* nempe, quod eſt congregatio, ad quam omnes totius orbis Epiſcopi convocantur a Romano Pontifice, cui per ſe, vel ſuos Legatos præſidet. Hoc vocatur *Oecumenicum*, quando convocatione, celebratione, & exitu eſt legitimum. *Nationale* eſt, ad quod convocantur unius Regni vel Provinciæ Epiſcopi, quibus aliquis Patriarcha vel Primas præſidet, aut non nunquam ipſe Papa, vel miſſi Pontificii Legati; ait enim recte

Joan.

Joan. Cabaſſutius in ſua Notitia Eccleſiaſtica Hiſtoriarum, Conciliorum fol. mihi 14. qui poteſt Concilia generalia ob collatam ſibi a Chriſto authoritatem indicere per univerſam Eccleſiam, eadem ratione minora poteſt in aliqua Eccleſiæ regione convocare, qualia pleraque habemus in Gallia, quibus nunc S. Pontifex, nunc Pontificii Legati, prout ipſi Papæ viſum fuerat, præſederunt. *Provincialia* Concilia ſunt, quæ unius Provinciæ finibus coërcentur: eis præſidet Archi-Epiſcopus, ſeu Metropolitanus. Quartum eſt Concilium *Diœceſanum*, alias communiter vocatum *Synodus*, quod eſt Congregatio Presbyterorum unius Diœceſis præſidente Epiſcopo. Quæ de Conciliis in genere ſunt dicenda, ſequentibus articulis abſolventur.

ARTICULUS XVII.

De Conditionibus requiſitis in Concilio generali, ut ſit legitimum.

187.

Aſſero 1. Primo requiritur legitima convocatio: competit autem poteſtas ordinaria ſoli Pontifici Romano convocandi Concilium generale. Eſt contra Hæreticos modernos. P. 1. Ut legitimum ſit Concilium, debet convocari nomine, ſeu authoritate Chriſti, juxta illud Matth 18. ℣. 20. *ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Ut autem ſit convocatum nomine & authoritate Chriſti, debet ab illo convocari, cui Chriſtus dedit poteſtatem: atqui hanc ſoli Petro, & in hoc ejus Succeſſoribus dedit; huic enim in litore piſcanti, non autem Tiberio Romæ imperanti ſuam regendam commiſit Eccleſiam, dicens: *paſce oves meas:* ergo ut Concilium generale legitimum ſit, a ſummo Pontifice convocari, vel ſi ab alio, id debet fieri conſenſu S. Pontificis, & authoritate: aut debet convocatio per alium facta a Pontifice rata haberi.

P. 2. Ex Concilio Nicæno I. Can. 1. qui refertur a Caranza ex Epiſtola Julii I. ubi hæc res aperte eſt definita. Ibi: *Non debent præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Quare Epiſcopi ad Felicem II. ſcripſere: *Scimus, in Nicæna magna Synodo* 318. *Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere absque Romani Pontificis ſententia concilia celebrari.*

P. 3. Ex dictis SS. Patrum. Marcellus relatus Can. Synodum Diſt. 17. ait: *Synodum (generalem* addit gloſſa) *Epiſcoporum absque hujus S. Sedis authoritate non poteſtis regulariter facere.* Pelagius II. relatus Can. Multis Diſt. 17. ad Epiſcopos, qui convenerant ad illicitam convocatio-

vocationem Joannis Constantinopolitani scripsit: *Multis denuo Apostolicis, Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari: quapropter non Concilium, sed vestrum Conciliabulum cassatur, & quidquid in eo actum est, irritum habetur, & vacuum.*

P. 4. Ex continua praxi & usu. Sic Concilium Nicænum I. convocatum est a S. Sylvestro, ut testantur Patres illius Concilii his verbis: *Temporibus S. Sylvestri factum est magnum Concilium in Nicæa Bithiniæ, & congregati sunt regulariter ejusdem Sylvestri vocatione in id ipsum 318. Episcopi Catholici.* Quam veritatem ut everterent Hæretici, mutilarunt textum Ruffini, qui sic sonat: *Ille ex sententia Sacerdotum & Sylvestri* &c.

Constantinopolitanum I. fuit convocatum a Theodosio Seniore, annuente Damaso Papa, ut patet ex Epistola Patrum illius Synodi ad Damasum, ut refertur a Theodoreto L. 5. c. 9. ibi: *Mandato literarum superiore anno a vestra Reverentia ad Sanctissimum Imperatorem missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus.*

Concilium Ephesinum fuit convocatum a Theodosio Juniore de cònsensu Cælestini Papæ. Id constat ex ipso Concilio act. 3. dicente in relatione missa ad Imperatorem: *Antequam hæc S. Synodus conveniret, Cælestinus magnæ Romæ Episcopus per suas literas indicaverat, Cyrilloque, ut suas vices obiret, commiserat.*

Concilium Calcedonense fuisse a S. Leone convocatum, declarat ipse Marcianus Imperator Epistola ad eum scripta, in qua ait: *omni impio errore sublato per celebrandam Synodum Te authore* &c. Cui respondit inter alia Leo: *Literas dedimus ad Fratres & Episcopos nostros, iisque Concilium generale indiximus.* Et sic possemus de omnibus Conciliis generalibus ostendere.

188. Objic. 1. Prima Concilia generalia non a Romanis Pontificibus, sed ab Imperatoribus fuere convocata, & tamen sunt Oecumenica: ergo. ℞. D. a. fuerunt convocata ab Imperatoribus proprio suo nomine & authoritate n. a. authoritate & consensu Romanorum Pontificum, a quibus erant rogati c. a. Cum Romani Pontifices sine auxilio Imperatorum non possent opportune Episcopos convocare ex toto mundo, fecerunt id Imperatoribus mediantibus: siquidem 1. Legibus Imperii cautum erat metu seditionum, ne citra Imperatoris authoritatem ullus fieri posset hominum conventus. 2. Quia Patres ad Concilium euntes indigebant Imperatorem subsidio pro securitate itineris, item pro expensis; videantur dicta in probatione 4ta

Objic. 2.

Objic. 2. Concilia particularia Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ, non ab alio, quam Regibus fuere convocata, & tamen passim eorum Canones observat Ecclesia. ℞. Hujusmodi Concilia non fuisse a Regibus convocata propria authoritate, sed de consensu vel Romani Pontificis, vel Episcoporum nationalium, maxime Primatum ac Metropolitanorum.

Objic. 3. Possunt dari casus, in quibus convocatio Concilii generalis est necessaria, ut v. g. si plures de Papatu contendant, nec ullus velit cedere, nec Concilium convocare. Iterum: Si Papa ut privata Persona fit Hæreticus, nec monitus ad saniorem mentem velit redire, nec Concilium convocare: atqui in his casibus alii, quam Summus Pontifex, possunt, vel omnino debent Concilium convocare: ergo non soli Pontifici Romano competit potestas convocandi Concilia generalia. ℞. Casus allegati sunt extraordinarii, in quibus admitto, posse congregari Concilium absque authoritate S. Pontificis vel per Cardinales, vel per Episcopos motu proprio in unum locum convenientes. Conclusio non loquitur de istis extraordinariis, & duntaxat affirmat, quod potestas *ordinaria* competat soli Pontifici Romano.

189. Ex dictis, præsertim ex probatione prima deduces, Concilia esse juris Divini, seu Divinæ institutionis, quod perfidus Lutherus negat in suo de Conciliis inscripto libro. Pro hac illatione pugnant sequentes rationes: 1. Ipse Christus Dominus suam Divinam assistentiam promisit Sacris Ecclesiæ Conciliis, dum Matth. c. 18. ℣. 20. dixit: *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quibus verbis Christum ipsa instituisse, & commendasse Concilia, asserit Concilium Calcedonense in Epistola ad Papam Leonem I. 2. Christus adhuc degens in terris, firmaturus fidem Divinitatis suæ in Discipulis, eos in unum convocavit, & quæstionem istam proposuit discutiendam: *quem dicunt homines esse Filium hominis?* quam Petrus, futurus Ecclesiæ Pastor primus, resolvit dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Quam decisionem divinitus inspiratam testatur statim Christus: ergo ipso suo facto Christus Concilia commendavit. 3. Christus non minus regimini Ecclesiæ suæ providit, quam olim Deus Synagogæ Judæorum, in qua instituit Concilium Seniorum, seu Synedrion, consulendum in ambiguis controversiis: ergo idem etiam censendum est, Deum ordinasse in nova Lege.

190. Assero 2. Romani Pontificis solius est, de jure præsidere Conciliis generalibus per se, vel suos Legatos. Est contra Lutherum & Calvinum, qui dicunt, hoc jus pertinere ad Imperatorem.

P. I.

P. 1. Primo Paſtori Eccleſiæ convenit præſidere ſuo gregi congregato; Sed Summus Pontifex eſt Primus Paſtor totius Eccleſiæ: ergo ei convenit jus præſidendi ſuo gregi in Concilio congregato. 2. Accedit continua praxis Eccleſiæ: nam 1. in Concilio Apoſtolorum act. 15. Petrus præſedit; *cum* enim *magna diſquiſitio fieret*, *ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis* &c. ad quæ verba gloſſa ſic dicit: *præ omnibus quaſi Princeps loquitur.* 2. In Concilio Nicæno præſedit S. Sylveſter per ſuos Legatos Oſium Cordubenſem Epiſcopum, Vitum & Vincentium Presbyteros, qui primi omnium etiam ante Patriarchas ſubſcripſerunt. 3. In Concilio Conſtantinopolitano I. equidem (ut refert Caballutius in Notitia Eccleſiaſtica fol. mihi 103.) Damaſus nec per ſe, nec per ſuos Legatos præſedit, quia ipſe tunc aliud Romæ Concilium Epiſcoporum Occidentalium in eadem cauſa celebrabat. Eſt autem obſervandum, Concilium Conſtantinopolitanum, dum celebrabatur, non fuiſſe generale, ſed particulare ſolius Orientis, nec poſtea Oecumenicum evaſiſſe, niſi quia Damaſus illius acta approbavit, & ei cum ſuo Occidentis Concilio acceſſit. Orientales etiam fuiſſe conſentientes animis cum Occidentalibus & Damaſo, probant mutuæ Literæ Damaſi ad Concilium Conſtantinopolitanum, & hujus viciſſim ad Damaſum apud Theodoretum L. 5. c. 9. & 10.

4. In Synodo Epheſina Cæleſtinus I. præfuit per S. Cyrillum ſuum Legatum, ut conſtat ex omnibus Hiſtoriis, & ex his hujus Synodi verbis: *Cyrillo Alexandrino præſidente, & locum tenente SSmi Archi-Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ Cæleſtini.* 5. In Concilio Calcedonenſi S. Leo præfuit per ſuos Legatos. Id patet ex Patrum Concilii Epiſtola ad Leonem S. Pontificem, in qua ſic ad eum ſcribunt: *Tu quidem ſicut caput membris præeras in his, qui tuas vices obibant, Imperatores vero ad ornandum decentiſſime præſidebant.* In Subſcriptionibus habetur: *Ego Paſchaſius vice Domini mei Papæ Leonis præſidens, ſubſcripſi.* Marcianus autem Imperator act. 6. Synodi ait: *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo Religioſi Principis Conſtantini, Synodo intereſſe voluimus.*

6. In Synodo Conſtantinopolitana II. præfuit Vigilius Papa per Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ſic ad Vigilium ſcripſit: *Petimus præſidente nobis veſtra Beatitudine de tribus capitulis quæri, & conferri.* Cui reſpondit Vigilius: *Annuimus, ut de tribus capitulis facto regulari conventu cum unitis fratribus collationem habeamus.* Et Zonaras in vita Juſtiniani dicit: *Sub hoc* (Eutychio) *Concilium quintum eſt coactum* 165. *Patrum, quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus.* 7. In Concilio Conſtantinopolitano III. quod fuit VI. generale, præfuit Agatho

Agatho per ſuos Legatos Theodorum, & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum, qui ſemper ante Epiſcopos nominantur in actis illius Concilii, cui etiam primi ſubſcripſerunt ante Epiſcopos & Imperatorem, qui ultimus ſubſcripſit *non definiens*, ſed definitioni latæ *conſentiens*. Unde Patres illius Concilii in Sermone ad Imperatorem præſentem dixerunt: *Petrus per Agathonem locutus eſt.*

8. In Synodo Nicæna II., quæ eſt ſeptima generalis, præfuit Adrianus I. per ſuos Legatos Petrum Archi-Presbyterum, & alterum Petrum Presbyterum, Monachum, & Romæ Abbatem S. Sabæ. Hi in omnibus actionibus primi nominantur, & ſubſcribunt ante omnes Patriarchas, ſic: *Petrus, vices agens Adriani Papæ veteris Romæ, definiens ſubſcripſi.*

9. In octava Synodo Generali, quæ eſt IV. Conſtantinopolitana, præfuit Adrianus II. per ſuos Legatos, Donatum & Stephanum Epiſcopos, & Macrinum Diaconum, qui primi ſubſcripſerunt hac ſub forma: *Ego Donatus Dei gratia Epiſcopus Oſtienſis locum obtinens Domini mei Adriani Pontificis, & univerſalis Papæ, huic Sanctæ & univerſali Synodo præſidens —— manu propria ſubſcripſi.*

In reliquis omnibus Conciliis generalibus SS. Pontifices per ſe, aut ſuos Legatos præſediſſe, ex Hiſtoria ita compertum eſt, ut vix Acatholici id negare audeant: ergo.

Objic. 1. Sæpius jam præſederunt Cæſares in Conciliis: ergo ad hos ſpectat ſic præſidere. ℞. D. a. Præſidentia honoris, ut Concilia ſua præſentia tuerentur c. a. præſidentia authoritativa cum jure ſuffragii, vel definiendi n. a.

191.

Objic. 2. Patres Concilii Conſtantinopolitani I. a Theodoſio Seniore poſtularunt rerum in Concilio geſtarum confirmationem: ergo in eo authoritativam poteſtatem præſidendi agnoverunt. ℞. D. a. poſtularunt a Theodoſio confirmationem, qua acta Concilii intrinſecam authoritatem accipiant n. a. confirmationem, ut acta Concilii executioni mandentur, & rebelles iisdem actis, authoritate Cæſarea coërceantur c. a. Per talem confirmationem, vel ſubſcriptionem Cæſares non exhibuerunt ſe Judices rerum Eccleſiaſticarum, ſed Executores Decretorum Conciliorum.

Objic. 3. In Concilio Calcedonenſi aliqui Judices non a Romano Pontifice, ſed ab Imperatore fuere conſtituti: ergo. ℞. D. a. Aliqui Judices conſtituti ſunt ad definiendum, & judicandum authoritative n. a. ad impediendas fraudes, tumultus, & violentias c. a. & n. c. Et hoc clarum eſt ex iis, quæ conſtituti Judices in Concilio Calcedonenſi act. 5. dixerunt: *dignetur S. Synodus fidem continens cum*

taciturnitate audire, quæ decreta ſunt (non ajunt, a nobis, ſed) *in præſentia noſtra a congregatis SS. Patribus, qui & definitionem fidei interpretati ſunt.*

ARTICULUS XVIII.

Recenſentur breviter, quæ adhuc ſcitu utilia, vel neceſſaria ſunt.

192. Petes 1. Quinam ad Concilium generale vocandi? Reſpondeo, & reſolvo 1. Soli Epiſcopi de jure ad generale Concilium ſunt vocandi ut Judices: 2. Cardinales ex conſuetudine: 3. Abbates vero, & Religionum Generales ex Privilegio.

P. 1ma pars ex communi Eccleſiæ praxi, qua conſtat, in antiquis Eccleſiæ Conciliis ſolos Epiſcopos tanquam Judices definientes ſubſcripſiſſe hac formula: *Ego N. Epiſcopus definiens ſubſcripſi.* 2. Huc facit celebre dictum Patrum in Concilio Calcedonenſi: *mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.* 3. Concilium repræſentat Eccleſiam: ergo illi ſunt vocandi, per quos Eccleſia poteſt, & debet repræſentari: atqui hi ſunt Epiſcopi, cum S. Cyprianus aſſerat: *Eccleſia eſt in Epiſcopo.*

P. 2. pars de Cardinalibus: Hi enim ſunt vel Ipſi Epiſcopi: ergo de jure vocandi; vel non ſunt Epiſcopi: tunc ſaltem ſunt Papæ collaterales, & ſunt Epiſcopis majores ob amplitudinem ſuæ dignitatis, & aſſiſtentiam, ut habetur cap. ad *Apoſtolicæ* de Sent. & re Judicata in 6. 2. Habent in ſuis Titulis jurisdictionem Epiſcopalem: ergo, ſi non de jure, ſaltem de conſuetudine jure recepta etiam ſunt vocandi.

Tertia pars patet ex praxi & conſuetudine. Congruum quoque eſt, ut vocentur Abbates, & generales Superiores Religionum, cum gaudeant jurisdictione quaſi Epiſcopali, & ſunt plerique exempti, & exemptos a jurisdictione Epiſcopali ſubditos ſub ſe habent, quos proin, utpote non ſubditos ſuos, Epiſcopi non repræſentant. Itaque ut omnes fideles Religioſi exempti repræſententur per ſuos Superiores generales, convenit eos vocari. Cum autem exemptio eorum ex privilegio proveniat, etiam ex hoc deſcendit, quod vocentur ad Concilia.

Objic. Concilium Apoſtolorum Jeroſolymitanum eſt cæterorum norma: ſed huic interfuere non ſolum Apoſtoli, ſed & Presbyteri Act. 15. ℣. 6. *convenerunt Apoſtoli & Seniores* (per quos intelliguntur Presbyteri curam animarum habentes) *videre de hoc verbo.* Imo & Laici

Laici interfuere, ut ex contextu sequenti habetur: *tunc placuit Apostolis, & Senioribus cum omni NB. Ecclesia.* Ergo sic deberet fieri in aliis Conciliis generalibus. ℞. D. m. Hi interfuere omnes, sed non eodem modo transf. m. eodem modo, & eodem jure n. m. Apostoli interfuere ut Judices, juxta illud Jacobi ibidem dicentis: *Ego judico* &c. Seniores, ut consultarent, & inquirerent, juxta illud: *cum magna disquisitio fieret:* sic etiam in nostris ultimis Conciliis admissi sunt præclari Theologi, ut consultarent, & disputando inquirerent in veritatem. Laici vero, ut tacerent, & acquiescerent, juxta illud: *& tacuit omnis multitudo.* Ulterius per Seniores possumus intelligere tam Presbyteros, quam Episcopos juxta illud 1. Petri c. ult. ℣. 1. dicentis: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro Consenior —— pascite, qui in vobis est, gregem Dei.*

193. Petes 2. Quæ adhuc requirantur ad legitimum Concilium generale, præsertim ad rectum ejus exitum? Resolvo sequentia: 1. requiritur, ut Episcopi & Judices convocati habeant suffragiorum libertatem, nec metu, violentia, ærumnis, comminationibus vexentur: defectu hujus conditionis Concilium Ephesinum II. Latrocinium appellatur.

2. Ut nullus a Concilio excludatur, qui audiri voluerit, atque Hæreticis ipsis detur licentia opiniones suas proponendi, & tuendi, ut patet ex Concilio Jerosolymitano Act. 15. ad quod missi sunt plures ex parte Catholicorum, & ex parte Cerinthi, aliorumque judaizantium, qui de controversia legalium inter se disceptarent; nam *statuerunt, ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam ex aliis*, id est, ex illis, qui *docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis servari.*

3. Requiritur, ut adhibeatur humana, & sufficiens diligentia in inquirenda veritate, sicut in Concilio Apostolorum Act. 15. *magna conquisitio fiebat.* Ratio est: quia Episcopis in Concilio congregatis non fit nova revelatio, sed debent ex purissimis Scripturæ, & Traditionis fontibus detegere, quæ habent fidelibus proponere: sed ad detegendas & declarandas veritates in Scriptura, & Traditione obscure interdum contentas, requiruntur ordinaria media industriæ, collationum, disputationum: ergo.

4. Exigitur, ut Concilium approbetur, & confirmetur a Romano Pontifice: quod ita necessarium est, ut ea sola Concilia habeantur Oecumenica, quæ sunt a Romano Pontifice confirmata, & approbata, ea vero non sic approbata habeantur illegitima, ut patet ex cap. *significasti* de Electione, ubi Paschalis Papa dicit: *Omnia Con-*

cilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem robur accepisse. Id ostendi posset per enumerationem omnium Conciliorum Oecumenicorum. Audiatur de hac re Leo X. sess. 11. Concilii Lateranensis, ubi sic loquitur: *Consueverunt antiquorum Conciliorum Patres pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, a Romano Pontifice subscriptionem, approbationemque humiliter petere & obtinere, prout in Nicæna, & Ephesina, & Calcedonensi, & VI. Constantinopolitana, & septima eadem Nicæna —— earumque gestis manifeste colligetur.* Quod etiam novissime Constantienses Patres fecisse constat. Id, quod etiam docet Nauclerus Doctor Parisiensis L. 3. de Monarch. Eccles. p. 2. c. 16. fol. 455. scribens: „Neque satis est, quod Concilia generalia ab omni erroris nube immunia „sint, & Libera, ut a Romani Pontificis authoritate congregentur; „nisi ab eo congregata confirmentur, veræ fidei claritatem in se retinere, & infallibilis veritatis decus sibi firmiter inviolabile servare „non valebunt." Quam doctrinam probarunt octo Doctores Parisienses, seu Sorbonici.

194. Petes 3. Cujus authoritatis sint Concilia œcumenica? ℞. Synodus perfecte œcumenica, a Romano Pontifice confirmata, est omnino infallibilis in fidei, & morum controversiis definiendis. Est de fide contra Lutheranos, & Calvinistas. P. 1. Est perpetua Traditio, & sensus Ecclesiæ, definitiones Conciliorum œcumenicorum esse infallibiles, & irreformabiles, atque Hæreticos esse, qui talium Conciliorum definitionibus contradicunt. 2. Ecclesia est infallibilis in fidei & morum controversiis definiendis; est enim *columna & firmamentum veritatis.* Sed Synodus perfecte œcumenica Ecclesiam universam repræsentat, & ejusdem omnem authoritatem habet: ergo. m. p. S. Augustinus L. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 18. ait: *plenarii Concilii sententiam totius Ecclesiæ consensionem esse.* Atque Martinus V. in Concilio Constantiensi jubet interrogari de Hæresi suspectos, *utrum credant, quod Concilium generale universam Ecclesiam repræsentet?* ergo. Unde 3. S. Gregorius Magnus Epist. 25. ad Joannem Episcopum Antiochenum inquit: *Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me profiteor.* 4. Definitio Concilii perfecte œcumenici est ipsamet Spiritus Sancti definitio, juxta illud in Concilio Jerosolymitano: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis:* ergo tali definitioni nequit subesse falsum.

195. Objic. 1. Ut Concilia generalia sint infallibilis fidei & morum regula, debet nobis certo constare, ea esse perfecte œcumenica: ergo. ℞. N. m. Nam quænam Concilia sint œcumenica, nobis constat ex fide humana certissima; nam coævi Scriptores id unanimiter

ter testantur: deinde id certum est ex judicio præsentis Ecclesiæ, quæ est infallibilis in proponenda fidei nostræ regula, ad quam spectant etiam Concilia.

Objic. 2. D. Gregorius Nazianz. Epist. 55. ad Procop. dicit: *Hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum & faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, & incrementum habuerunt:* ergo &c. ℞. N. c. S. Gregorius ibi non loquitur de Conciliis legitimis, quorum duo suo tempore erant celebrata, nempe Nicænum I. quod multum dilaudat Orat. 32. dicens: *Nicænæ Synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes amplectimur; hunc enim tractatum scimus contra omnes Hæreses invicta veritate oppositum.* Et ipse interfuit Concilio Constantinopolitano I. in quo orationem habuit. Itaque sermo ipsi est in objectione de Conciliis illegitimis sub Constantio Imperatore coactis, in quibus ab Arianis non fuit relicta libertas suffragiorum: talia fuere Concilia Ariminense, Mediolanense, & plura alia Concilia particularia, quæ ætate Gregorii Nazianzeni habita sunt apud Orientales, contradicentibus Occidentalibus. Quam ob rem, a Procopio ad aliquod simile conciliabulum vocatus, se excusat, causam obtendens tam suam infirmam valetudinem, quam infelicem exitum Conciliorum particularium, in quibus factio Arianorum solebat prævalere.

Plura adhuc objici possent, quæ synoptice hic solvo. 1. Non obstat resolutioni meæ D. Augustinus L. 3. contra Maximinum scribens: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam prædicaturus proferre Concilium, nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris.* Ita enim loquitur S. Doctor, quia frustra laborasset, si authoritate Synodi Nicænæ, premere voluisset Maximinum, qui eam Synodum rejecerat ut illegitimam, & conciliabulum Ariminense admiserat ut legitimum. Cum vero tunc non videretur S. Augustino opportunum, demonstrare, Concilium fuisse legitimum, & Ariminense illegitimum, supersedere voluit actis utriusque Synodi, ut controversiam prosequeretur S. Scripturæ momentis, hisque Arianum errorem confoderet. Cæterum eodem loco S. Augustinus in laudem Concilii Nicæni bene dicit: *Hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicæno adversus Arianos a Catholicis Patribus veritatis authoritate, & authoritatis veritate firmatum est.* Atque adeo admittit, quod ex Concilio Nicæno possit desumi argumentum omnino certum. 2. Dum S. Augustinus L. 1. de Baptismo c. 5. asserit, *plenaria Concilia priora a posterioribus emendari posse*, intelligendus est sub distinctione in iis, quæ sunt facti, & experimento rerum cognoscuntur, concedo, a posterioribus priora concilia emendari posse: *cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur,*

gnoscitur, quod latebat, ut D. Augustinus ibi addit; in iis, quæ sunt fidei & morum, nego. Veritates fidei & morum non rerum experimento, sed Verbo Dei scripto, & tradito innotescunt. Præterea concilia posteriora possunt illa, quæ in prioribus sunt obscura, magis dilucidare, vel leges in prioribus conditas emergentibus novis circumstantiis immutare, aut novas condere, ut etiam posteriores Pontifices possunt priorum constitutiones revocare, & immutare, exigentibus id novis circumstantiis.

3. Nullum Concilium generale erravit in fide. Et quidem 1. Concilium Nicænum I. can. 12. non damnat indistincte eos, qui ad militiam redeunt: sed eos solummodo, qui, cum deposuissent cingulum militiæ in signum abdicationis Idololatriæ, redibant ad militiam, quod erat signum reversionis ad Idololatriam, de quibus proinde illud Concilium dicebat, quod *ad vomitum sint relapsi*. Item can. 19. idem Concilium non statuit universim, baptizatos ab Hæreticis debere rebaptizari, sed hoc tantum dicit de Paulianistis, qui invalide baptizabant, quia (ut loquitur Innocentius I. Epist. 23. de Patribus Nicænis) *Paulianistæ in nomine Patris & Filii & Spiritus S. minime baptizabantur*. 2. Licet Decreta Concilii II. Constantinopolitani ab aliquibus Ecclesiis non fuerint recepta ab initio aliquo tempore, tamen id errore facti contigit, quod non credidissent, eam Synodum esse perfecte œcumenicam; ubi autem a majore parte Ecclesiæ fuit habita, & recepta ut œcumenica, absque Hæreseos nota a nulla rejici poterant ejus Decreta. 3. Concilium Nicænum II. decrevit, Sacris Imaginibus duntaxat deberi cultum relativum; *Typum crucis adorantes*, dicit Act. 4., *non naturam ligni adoramus, sed per hoc eum, qui in illo crucifixus est, salutamus, & adoramus.*

4. Observandum ad varia diluenda, Concilium V. & VI. nullos canones edidisse, ut Græci ad Justinianum Imperatorem scripserunt his verbis. can: *quoniam.* dist. 16. *Quoniam Sanctæ & universales Synodi V. sub Justiniano Augusto, VI. sub Constantino Patre tuo Augusto, de mysteriis fidei plenissime disputantes, Canones non fecerunt, sicut cæteræ quatuor universales Synodi; propterea nos convenientes in hanc imperialem urbem sacros canones conscripsimus.* Canones itaque Trullani, seu Concilii quini sexti, fuerunt conditi a solis Orientalibus, qui post absolutam sextam Synodum ex solius Justiniani convocatione convenerunt in Palatium, quod Trullus vocabatur, ibique Concilium habuerunt, quod quini sextum dicitur, atque sub prætextu supplendi Synodos V. & VItam canones 102. ediderunt; sed quoniam Romanus Pontifex neque per se, nec per suos Legatos adfuit, nec istos canones unquam approba-

re voluit, ideo illi non habent authoritatem Concilii generalis. Igitur nil obſtat noſtræ reſolutioni, quod plures errores in canonibus Trullanis contineantur. Neque Adrianus Papa can. *ſextam.* diſt. 7. dicens: *Sextam Synodum recipio cum omnibus canonibus ſuis*, approbat, & recipit canones Trullanos; nam, licet illa verba in Epiſtola Adriani ad Tharaſium Conſtantinopolitanum reperiantur, ea tamen Adrianus non refert ut ſua, ſed ut verba Tharaſii inſerta in Epiſtola Synodica, quam ad Adrianum miſit. Decipitur ergo, & decipit Gratianus, cum illa verba tribuit Adriano. Nec obeſt, quod Adrianus canonem 82. de cultu Imaginum in ſua ad Tharaſium Epiſtola citet: id enim non ideo fecit, quod aliquid authoritatis obtineat ex Concilio Trullano, ſed quod contineat veritatem ab Eccleſia Romana approbatam: quoniam veritas, ubicunque reperiatur, recipienda eſt.

5. Synodus Tridentina in fidei, morumque Decretis ab omnibus Eccleſiis orthodoxis fuit admiſſa, licet non ſit admiſſa ab Eccleſia Gallicana in his diſciplinæ particularis capitibus, quæ aut temporalem adminiſtrationem ſpectant, aut antiquas ſuas conſuetudines lædunt, idque ſaltem ex tacito Summorum Pontificum aſſenſu.

6. Adduntur ex Melchiore Cano L. 5. de locis c. 5. regulæ, ex quibus diſcernere poſſis, quænam in Conciliis ad fidem Catholicam pertinent. *Prima*, ſi contrarium aſſerentes pro hæreticis habentur: *ſecunda*, ſi Synodus hac forma in ſuis Decretis utitur: *ſi quis hoc, vel illud ſenſerit, aut dixerit, anathema ſit.* *Tertia*, ſi in eos, qui contradixerint, excommunicatio ipſo jure feratur. *Quarta*, ſi quidquam expreſſe a fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei Catholicæ accipiendum, vel aliis ſimilibus verbis oppoſita aſſertio Evangelio, & Apoſtolorum doctrinæ contraria dicatur, idque non ex opinione, ſed certo, & firmo Decreto. Unde

7. Adde, Diſputationes, quæ præmittuntur Decretis, ſicut & omnes rationes, quæ explicationis, & expoſitionis gratia inducuntur, non pertinere ad fidem, hoc eſt, non eſſe fidei Catholicæ judicia, ut in aliis tractatibus pluribus declarabitur.

Ex præmiſſis rite intellectis inferes, ex Conciliorum œcumenicorum definitionibus, & Decretis recte applicatis a Theologo poſſe certam, & firmam inferri concluſionem, adeoque Concilia œcumenica optimo jure inter locos Theologicos non ultimum obtinere locum.

Petes 4 An Concilia generalia ſint neceſſaria? Reſolvo 1. Concilia œcumenica non ſunt abſolute, & in omni caſu neceſſaria. Communiſſima. Siquidem 1. ſine Conciliis generalibus abſolute Hæreſes, & Schismata extingui poſſunt, & extinctæ actu ſunt ſine illis tribus

196.

tribus primis Sæculis exortæ variæ hæreſes, variaque Schismata à Montano, & Novatiano conflata: Hinc recte ait Duvalius Doctor Sorbonicus p. 2. q. 2. de Suprema Rom. Pontif. in Eccleſ. poteſt: *Plurimi Pontifices varios errores absque ullo generali Concilio condemnarunt, quorum condemnatio a tota Eccleſia acceptata fuit, ut patet ex primis 300. annis.* —— *cum tamen multæ in fide quæſtiones toto hoc tempore ſopitæ, & determinatæ fuerint per Pontificum definitiones.* 2. Huc facit & illud S. Auguſtini L. 4. ad Bonifacium c. 12. adverſus Pelagianos univerſale Concilium poſtulantes: *Quaſi nulla Hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit; cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis* (ſcilicet convocandi Concilium generale) *extiterit, multoque ſunt, atque incomparabiliter plures, quæ, ubi extiterunt, illic* (Romæ) *improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt.* 3. Id ipſum declaravit Sacra facultas Pariſienſis 9. Februarii anno 1663. in hunc modum pronuncians: *Neceſſarium non eſſe abſolute Concilium generale ad extirpanda quælibet ſchismata, & quaslibet hæreſes, v. g. Pelagianam, & Janſenianam, quas conſtat ſufficienter extinctas absque Concilio generali, quod tantum in aliquibus caſibus eſt neceſſarium.*

197. Reſolvo 2. Concilia generalia quodammodo in quibusdam caſibus poſſunt eſſe neceſſaria. Nam ſine Concilio generali aliquoties neque finis controverſiis imponi, neque hæreſes efficaciter confutari, neque Decreta fidei & morum convenienter determinari poſſunt: ergo tunc &c. 2. Hac de cauſa S. Petrus, licet haberet ſupremam poteſtatem, controverſiam tamen de Legalibus Antiochiæ exortam noluit reſolvere, niſi Concilio generali congregato, quod ad hoc quodammodo neceſſarium duxit: cujus rei rationem reddit Nilus Theſſalonicenſis. L. 1. de Primatu Papæ his verbis: *Quis neſcit, quod* —— *& alia quæcunque œcumenicis actis ſtabilita ſunt, vetera erant, & Apoſtolicæ Traditiones, imo Spiritus S. oracula? quæ quidem cum talia eſſent, nihilominus Concilia Eccleſiæ habenda fuerunt, ut veritas inveſtigaretur, inventa ſtabiliretur, omnisque contradicentibus occaſio præriperetur.*

Sunt autem quatuor caſus, in quibus Concilii generalis celebratio videtur neceſſaria. Primus eſt, Hæreſis nova, non quæcunque, ſed talis, quæ a pluribus inſignibus Eccleſiis propugnata, poteſt magnos populos inficere. Inde eſt, quod D. Auguſtinus, qui contra Pelagianos tenuit celebrationem Concilii generalis neceſſariam non eſſe, affirmavit L. 1. de Baptismo c. 7 controverſiam de rebaptizandis per hæreticos baptizatis non fuiſſe finitam, *donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Ratio eſt diſpar: Hæreſis Pelagianorum in exordio fuit pauco-

rum

rum hominum, contra hæresis rebaptizantium in primo suo ortu plures, & quidem insignium Ecclesiarùm *Magnos viros, & magnæ charitatis Episcopos*, testante eodem Augustino, Patronos numeravit; propter quam causam septem prima Concilia celebrata fuerunt. Secundus casus est Schisma inter duos vel plures de Papatu contendentes, qua de causa habitum est Concilium Constantiense. Ratio est; quia in tanta Ecclesiæ calamitate nullum efficacius, vel plenius sufficiens remedium est Concilio generali. Tertius est reparatio Terræ Sanctæ a Turcis occupatæ: quam ob causam varia coacta sunt Concilia generalia ab Urbano II. Calixto II. & Eugenio III. Quartus est Reformatio generalis abusuum, qui in Ecclesiam irrepserunt.

ARTICULUS XIX.

Breves quædam resolutiones de Conciliis Apostolorum.

198. Postulabis 1. Quot Apostoli celebrarint Concilia? ℟. Communius Authores cum Cabassutio in sua notitia Ecclesiastica à fol. 16. recensent tria, licet alii omnino quinque adstruant: sed priorem secutus brevitatis gratia, illa tria enumerabo. Primum itaque fuit Jerosolymis anno 34 a Christo nato celebratum, quando S. Petrus incipiens sui primatus officio fungi, & Ecclesiæ curam gerere, cæteris Apostolis in cœnaculo Jerosolymæ congregatis, post Christi ex hac vita discessum & ad cælos ascensum, ac ante Spiritus S. e cœlis adventum, proposuit unum alium eligendum esse, qui perfido Judæ succederet. Quo audito, oratione præmissa cœptus est statim Electionis processus, duobusque æque dignis in medium statutis, *Barsaba* nimirum, & *Matthia: dederunt sortes eis: & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Act. 1. ℣. 15.

Ex hac Historia Electionis Matthiæ unum dubium, an Apostoli in electione Matthiæ veris usi sint sortibus, vel veris suffragiis, Authores in varia dividit placita. Ego in hac varietate amplector Cabassutii sententiam, quæ vult, Matthiam esse annumeratum reliquis Apostolis per vera data suffragia. Ratio ejus & mea est: ubi vulgata Biblia dicunt: *annumeratus est cum undecim Apostolis*, ipse S. Lucæ textus, quem certum est græco sermone scripsisse, sic ponit: καὶ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποςόλων: quæ verba (ut testatur Cabassutius citatus n. 7.) Joannes Gagnæus Theologus Parisiensis probatissimus juxta græci verbi indubitatam proprietatem vertit: *& calculis omnium cooptatus est cum undecim Apostolis.* Franciscus quoque Va-

tablus, Regius Parisiis Sacrarum Literarum Professor sic exponit: *suffragiis additus est ad numerum undecim.* Alii ita vertunt: *simul suffragiis electus est cum undecim.* Cornelius a Lapide juxta græcum Lucæ archetypon exponit: *communibus calculis cooptatus est.* Quibus expresse consentiunt Alphonsus Salmeron, & Lorinus.

199. Alterum Apostolorum Concilium fuit habitum eodem anno Christi 34. non longe post Christi in cælos ascensum, & visibilem Spiritus S. in Apostolos de cælo adventum. Prædicantibus Apostolis, & ad Christi fidem illorum prædicatione multis conversis crevit fidelium numerus, hocque crescente *factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eoquod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum, nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.* Ita textus Act. 6. ℣. 1. & seqq. describit totam Historiam hujus Concilii. Ex hac tamen

Nascitur dubium, an septem illi Diaconi fuerint sicut nostri Altaris Ministri? ℟. affirmative. Ex ipsa electione patet, hos septem Diaconos fuisse constitutos etiam Altaris sacros Ministros. Nam 1. fuit inquisitum, an essent boni testimonii, & Spiritu Sancto & sapientia pleni. 2. fuit facta oratio super eos. 3. Apostoli tanquam Episcopi imposuerunt eis manus, & sic ordinaverunt: quæ non fuissent facta, si tantum fuissent præfecti profanæ mensæ, non autem Sacræ, in qua dispensatur ille panis, de quo Paulus ait 1. Corinth. 10. ℣. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?*

Accedit testimonium S. Ignatii Martyris contemporanei Apostolorum, qui ad Heronem tunc Diaconum suum, postea vero in sua Sede Episcopali Successorem scripsit: *Tu* (tanquam Diaconus) *ministras illis* (Sacerdotibus) *ut Stephanus Jacobo:* ergo Stephanus unus de illis septem ministrabat Jacobo Sacrificanti. Addi possent adhuc alia plura testimonia. Neque obest, quod illi primi Diaconi fuerunt instituti occasione murmuris Græcorum; Ex hoc enim non sequitur, illos tantum fuisse institutos, ut profanis & vulgaribus ministrarent mensis, & non sacris: sed ut utrisque ministrarent, sacræ quidem primario, communi & vulgari secundario; primis enim Ecclesiæ temporibus

poribus conjunctæ erant illæ duæ mensæ, vel cœnæ, sacra videlicet & communis. Primi Christiani quotidie communicabant, & post S. Communionem simul cœnabant, ut patet ex illo Pauli 1. Corinth. c. 11. ℣. 21. *unusquisque cœnam suam præsumit ad manducandum.* Unde non sumebant cibum corporalem in mensa illa communi & vulgari, nisi prius sumpsissent cibum sacrum, videlicet Eucharistiam in mensa sacra. Diaconi ergo instituti sunt, ut ministrarent in utraque, nempe in sacra, qua sumebatur Eucharistia, & in profana, in qua *Agape*, seu commune convivium, & cœna vulgaris post Eucharistiæ sumptionem fieri solebat in signum unitatis, & charitatis.

Tertium Apostolorum Concilium, quod unicum Fleury Tomulo 1. Concilii nomine honorat, fusius describitur Act. 15. Celebratum id ab Annato dicitur anno 51. post Christum natum, anno post ejus passionem 16. & a conversione S. Pauli 14. Convenere ad hoc in unum Apostoli & Seniores. Interfuere huic ex Apostolis Petrus, qui expulsus Roma cum cæteris Judæis Act. c. 18. ℣. 3. a Claudio, Jerosolymam rediit, S. Jacobus Jerosolymitanus Episcopus: S. Joannes, qui Ephesо facile vocari potuit: Item Paulus & Barnabas ex Antiochena civitate profecti. Quod afferunt alii ex L. 6. Constitut. Clementis, omnes Apostolos per orbem dispersos instinctu Dei venisse ad hoc Concilium, falsum est, & constanter negatur: quia S. Jacobus Major tunc non amplius erat in vivis, jam martyrio affectus, & tamen hic etiam erat unus ex duodecim. 2. Quia Libri Constit. Clementis juxta dicta credibilius sunt spurii, & suppostitii. Decretum autem in illo conventu fuit, fideles esse immunes a jugo circumcisionis, & Mosaicarum ceremoniarum, hoc solo excepto, ut abstinerent ab Immolatis Simulacrorum, quæ græci vocant Idolothyta, a sanguine & suffocatis animalium, & fornicatione. 200.

Dices contra hoc præceptum: S. Paulus 1. Corinth. 8. scribens, negat eos Idolothytis vescentes peccare, nisi forte scandalum infirmis darent, vel conscientia erronea se peccare æstimarent. Et S. Augustinus L. 32. contra Faustum, hoc præceptum jam suo tempore non fuisse observatum observat, & neque modo in usu est. Ad hanc objectionem varii varie respondent: mihi præplacet solutio Annati L. 5. de Conciliis Art. 5. ubi ita discurrit: Mirum videri non debet, si jam a multis annis abolita sit prohibitio de abstinentia a sanguine & suffocatis, & Idolothytis, cum jam a plurimis annis cessaverit ejus causa, qua cessante cessat effectus. Ideo enim lata fuit hæc Lex, ut facilius conciliarentur Judæi cum gentilibus, & simul com-

commorantes in unum populum coalescerent, sublatis hisce causis, quibus a se se invicem alienari poterant, qualis erat esus sanguinis & suffocati, a quo propter antiquam consuetudinem vehementer abhorrebant Judæi, & esus Idolothytorum erat ipsis in scandalum, quia putabant, hoc esse signum Idololatriæ. Cum vero jam Judæorum & gentium discordia desiisset, & utrique in unam Christi Ecclesiam perfecte coivissent, nemo miretur, si communi consensu prohibitio illa sit antiquata, & sublata.

De Concilio alio Apostolorum, quod coegerunt ante divisionem ipsorum in omnem terram, in quo condiderunt Symbolum, jam superius actum est N. De alio adhuc mentionem facit Annatus, quod habitum est pro definienda Petri & Joannis ad Samaritas missione. Addit Annatus & alia duo, unum de tollenda gentilismi suspicione de Paulo a Judæis concepta: alterum Antiochenum pro sedandis, ut dicitur, controversiis Antiochiæ exortis; verum hoc cum suis canonibus rejicit idem Annatus ut supposititi um, & Apocryphum. Vide cit. Loco.

ARTICULUS XX.

Aliæ breves resolutiones de Canonibus Apostolorum, Conciliis particularibus, & numero Oecumenicorum.

201. Petes 1. Quid censendum de Canonibus Apostolorum? Resolvo: Horum 84. recensentur ad calcem Decreti Gratiani positi, &, ut dicitur, per S. Clementem congesti. Verum de eorum authenticitate, & authoritate multum est dubium inter Eruditos, ut præter alios videre est apud Canonistas, & speciatim apud Joan. Bapt. Bartholum Episcopum Feltriensem in suis Institutionibus Juris Canonici c. 6. Id autem certum videtur, omnes istos 84. vel omnino 85. non esse genuinos, quia can. *Canones* dist. 16. dicitur: *Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec Sedes Apostolica recepit, nec SS. Patres illis assensum præbuerunt, pro eo, quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab authoritate Canonica, atque Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata.* 2. Plures ex istis Canonibus non conveniunt cum doctrina & disciplina Apostolorum, ut Bartholus cit. n. 10. ostendit: ergo non sunt ab Apostolis conditi. 3. Quia neque D. Cyprianus, neque Firmilianus in suis de reiterando Baptismo ab hæreticis collato controversiis ullam fecerunt mentionem canonum 45. 46. & 67. qui clare decernunt, inanes

nes esse Baptismum & ordinationes ab hæreticis factas, quod, si Canones illi exstitissent, non omisissent, maxime cum S. Stephanus contra ipsos urgeret Traditionem Apostolicam, tanquam illis adversantem. Alia plura huc facientia passim in authoribus videri possunt.

Nec obstant ista: 1. Leo IX. Can. *Clementis* dist. 16. ibi: *Canones Apostolorum numerant Patres inter apocrypha, exceptis quinquaginta capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda.* 2. Concilium generale VII. can. 1. ubi definitur: *Servanda esse, quæ constituta sunt a tubis Spiritus Sancti, Sanctissimis Apostolis &c.* postea can. 5. & 12. allegat duos canones Apostolorum. 3. Concilium Tridentinum sess. 25. c. 1. de Reform. *cum & Apostolorum canones probibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent.*

Hæc, inquam, non obstant: Nam ex his solum habetur, quinquaginta Canones esse fidei orthodoxæ adjungendos, non quatenus in illa collectione & serie exstant, sed quatenus referunt Traditionem & doctrinam sanam, ab Apostolis acceptam, & in Ecclesiam dimanantem, qualem plerique habent, licet aliqui etiam hæreticis favere, & eorum dogmata asserere videantur.

Petes 2. Quot, & quæ summatim fuerint Concilia generalia celebrata? Respondeo, & resolvo: Concilia generalia debent in tres classes secari: alia sunt perfecte œcumenica, & plene approbata a Sede Apostolica, & hæc 19. numerantur: alia sunt penitus reprobata, quorum 7. enumerat Cartier: aliqua etiam partim approbata, partim reprobata, & hæc sunt tria. **202.**

Novendecim approbata sunt sequentia, quæ recensentur secundum ordinem, quo fuere habita. Primum est *Nicænum I.* sub Sylvestro Papa coactum contra Arianos, & quartadecimanos, ac Meletium. 2. *Sardicense* sub Julio I. anno 347. pro firmanda fide Nicæna, & restituendo suæ Sedi Athanasio. 3. *Constantinopolitanum I.* anno 381. sub Damaso Papa contra Macedonium. 4. *Ephesinum I.* anno 431. sub Cælestino I. contra Nestorium. 5. *Calcedonense* anno 451. sub Leone I. contra Eutychen. 6. *Constantinopolitanum II.* anno 552. sub Vigilio contra Origenem, & ejus Sectatores, & in causa trium Capitulorum. 7. *Constantinopolitanum III.* anno 680. sub Agathone contra Monothelismum. 8. *Nicænum II.* anno 787. sub Adriano I. contra Iconomachos. 9. *Constantinopolitanum IV.* anno 869. sub Adriano II. contra Photium invasorem Sedis Constantinopolitanæ, & Iconoclastas. 10. *Lateranense I.* anno 1122. sub Calixto II. contra Schisma inter Sacerdotium & Imperium propter investituras, & pro recuperanda terra sancta. 11. *Lateranense II.* anno 1139. sub Inno-

centio II. contra Schifma Petri Leonis Anti-Papæ, & Petrobufianos. 12. *Lateranenfe III.* fub Alexandro III. anno 1179. contra Schifmata, & Waldenfes. 13. *Lateranenfe IV.* fub Innocentio III. anno 1215. pro expeditione in Palæftinam, & contra errorem Joachimi Abbatis. 14. *Lugdunenfe I.* anno 1245. fub Innocentio IV. contra Fridericum II. Imperatorem, & pro expeditione contra Saracenos. 15. *Lugdunenfe II.* anno 1274. fub Gregorio X. pro unione Orientalium cum Occidentalibus, & pro Proceffione Spiritus Sancti ex Patre, & Filio. 16. *Viennenfe* anno 1311. fub Clemente V. contra Templarios, Beguardos, & Beguinos feu Fraticellos, & Bizachos: item contra Dulciniftas. 17. *Florentinum* anno 1438. fub Eugenio IV. contra acta in Concilio Bafileenfi poft revocationem ab Eugenio factam, & pro unione cum Græcis. 18. *Lateranenfe V.* anno 1512. fub Julio V. & Leone X. contra Conciliabuli Pifani acta, Sanctionem Pragmaticam Regni Franciæ, & pro ftabilitate Concordatorum inter Leonem X. & Francifcum I. Galliæ Regem Bononiæ initorum. 19. *Tridentinum* cœptum 1545. & finitum anno 1563. fub Paulo III. Julio III. & Pio IV. contra Lutheri, Calvinique errores.

Non me latet, Scriptores Ecclefiafticos & Dogmaticos tantum octodecim Concilia œcumenica fupputare, omiffo femper nomine Concilii Sardicenfis, eo quod hoc tantum appendix videatur Nicæni I. Concilii: Verum licet hæc Synodus actis Nicæni Concilii pondus addat permagnum, & robur, tamen & ipfa vere fuit œcumenica, prout eam appellat Cabaffutius in notitia Ecclefiaftica Conciliorum mihi fol 138. quia omnia, quæ ad Concilium œcumenicum requiruntur, in eo funt obfervata.

203. Concilia penitus reprobata funt: 1. *Antiochenum III.* in quo damnatus eft Athanafius, & via patefacta ad everfionem Concilii Nicæni I. 2. *Sardicenfe*, vel verius *Philippenfe:* Ariani enim Epifcopi tres & feptuaginta ex Concilio Sardicæ celebrato, diffidentes caufæ fuæ, fugientes, atque Philippopolim (quæ interjectu montis a Sardica feparata eft) fe transferentes ibi Conciliabulum habuerunt, quod mendaciter nomine Concilii Sardicenfis infigniri voluerunt: in hoc fidem Nicænam damnarunt, & Julium Papam, ac alios Epifcopos Catholicos fententia excommunicationis affecerunt. Hoc itaque Arianum Conciliabulum ab omnibus merito reprobatur.

3. *Mediolanenfe* anno 355. fub Liberio, in quo Papæ Legati peffime habiti, & ii, qui a partibus Athanafii & fidei Nicænæ ftabant, & ipfe Liberius in exilium pulfus. 4. *Ariminenfe* anno 359. cui interfuere 400. vel omnino 600. Epifcopi, & inter hos 50. vel omnino juxta Severum

Sulpitium

Sulpitium 80. Ariani: ubi pollicitationibus, vi, minis, dolis ac artibus Patres consensere, ut de Symbolo nomen *homousios* expungeretur, atque solùm scriberetur, *Filium Dei non esse creaturam, ut cætera creata:* arbitrati sunt subscribentes, se duas confirmare propositiones Catholicas, scilicet, quod Verbum non sit creatura, & quod cæteras creaturas excellentia & dignitate præcellat. His tamen nec Vincentius Capuanus, nec alii quidam censensum præbuerunt: reliqui, qui per fraudem inducti sunt, meliore consilio hæc sibi displicere postmodum testati sunt. Theodoretus L. 2. Hist. c. 17. Fuit hoc Conciliabulum reprobatum a Liberio Papa, ut testatur Damasus Epist. ad Episcopos Illyrici, & a Damaso in suo Concilio Romano.

5. Ephesinum II. anno 449. in quo factione Dioscori Alexandrini Episcopi Flavius Episcopus Constantinopolitanus trucidatur, Legati Papæ Leonis I. fugantur, & Eutychiana hæresis confirmatur. Unde merito audit: *prædatoria Synodus, & Latrocinium Ephesinum*, fuitque a S. Leone, & Concilio Calcedonensi, in quo illius acta inserta sunt, prorsus reprobatum. 6. *Constantinopolitanum* a Leone Isaurico inconsulto Gregorio II. anno 730. convocatum. 7. *Constantinopolitanum* sub Constantino Copronimo tempore Stephani III. S. Pontificis collectum, cui interfuerunt 754. Episcopi. In hoc damnatus est cultus SS. Imaginum. Hoc Concilium vocatur ab Iconoclastis Synodus VII. Verum a Stephano III. reprobatum est act. 6. Concilii Nicæni II., quod est vera Synodus VII. Si nimirum Concilium Sardicense consideretur ut appendix Nicæni I., & non ut peculiare Concilium.

In numerum reprobatorum Conciliorum generalium etiam venit Quinisextum, seu Trullanum, si tamen nomen *generalis Synodi* meretur, in quo soli Orientales Præsules sine Occidentalibus convenerunt sub convocatione, & præsidentia Justiniani Imperatoris, & condiderunt duos & centum canones, qui Trullani dicuntur. Rejectum est a Sergio Papa, qui illud vocat *Synodum erraticam*.

204. Concilia partim approbata, partim reprobata sunt: 1. *Constantiense*, quod plerique, imo omnes Christiani orbis Theologi, si Gallos, & hos non omnes excipis, censent minime probandum in sess. 4. & 5. quæ videntur damnatæ in Synodo Florentina, & Lateranensi ultima. Verum de hac re inferius in Chronico integra quæstio formabitur. Alterum censetur ab aliquibus *Pisanum*, jam ante Constantiense habitum anno 1409. Sed & de hoc suo loco redibit quæstio inferius in Chronico: ubi hoc diversis diversa opinantibus pronunciabo perfecte œcumenicum. 3tium est Concilium *Basileense* inchoatum anno 1435. ac tum Basileæ, tum Lausanæ continuatum usque

usque ad annum 1449. quo tempore Nicolao V. Papæ cessit tum Concilium istud, tum Pseudo-Pontifex Felix IV. in Schismate ab isto Concilio creatus. In hoc Concilio nihil probatum est, quam quædam dispositiones factœ circa Beneficia Ecclesiastica, quas pacis & unitatis gratia Nicolaus V. ratas habuit. Concilium autem ipsum reprobatum fuit in Lateranensi ultimo sess. 11.

205. Petes 3. Quid de Conciliis particularibus sit censendum? Resolvo: Licet ea sint magnæ authoritatis, si non sint reprobata, tamen per se non sunt infallibilia, nisi a Summo Pontifice sint approbata ut infallibilia. Ratio hujus est: quia tantum Summo Pontifici & Ecclesiæ, quæ per particularia Concilia non repræsentatur, est promissa infallibilis Spiritus S. assistentia. Deinde aliqua ex his Conciliis particularibus errarunt. Si autem sint approbata a S. Pontifice, tunc ipsorum definitiones non minus, quam ipsius Pontificis infallibilitatem habent.

Concilia tamen Provincialia, & nationalia, etsi non sint a Pontifice approbata, dummodo etiam non sint reprobata, magnam authoritatem & pondus merito in Ecclesia obtinent, præsertim si iis multi graves Prælati interfuerunt, prout iis interdum fuere præsentes centum, aut ducenti, vel omnino plures Episcopi. Imo Alphonsus à Castro L. 1. de justa Hæreticorum punctione c. 5. Canus de locis Theologicis c. 4. conclus. 6. censent, Decreta fidei, & statuta Conciliorum Provincialium pro indubitatis habenda esse, si Ecclesia iis nunquam contradicit; hoc ipsum enim silentium Ecclesiæ est tacita approbatio similium Conciliorum: nam si in iis aliquis error contineretur, Ecclesia & Pontifex se statim opponerent, & reprobarent Concilium illud vel ex parte, vel ex toto. Adeoque, quando hoc non fit, & Ecclesia alicui Concilio particulari se non opponit, illud tacite approbat, & judicat, esse sine errore. Unde ex tali Concilio particulari, licet non approbato, dummodo non reprobato, validum, & ad minimum vere probabile argumentum à Theologo formari potest, ut vult Canus mox cit. loco.

Ex his deduces, etiam Synodalia Concilia, a Summo Pontifice confirmata, esse infallibilia, & præbere certum Theologo argumentum, non item non sic confirmata; ex his enim probabile tantum deducitur, quia adhuc sunt periculo fallibilitatis obnoxia. Vide Melchiorem Canum cit. loco conclus. 7.

Hæc tantum sunt illa, quæ de Ecclesia, Summis Pontificibus & Conciliis Theologo scitu utilia & necessaria esse duxi, paucis exceptis, quæ commodius in parte 4ta in brevi Chronico ad finem gestorum cujuslibet sæculi expendentur. Unde ista tertia pars tandem finienda est.

Tomi

Tomi Primi
PARS QUARTA
de SS. Ecclesiæ Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis,
nec non
de reliquis locis Theologicis.
cui accedit
breve Chronicon,
seu
brevis Epitome Historiæ Ecclesiasticæ a Christo nato de Sæculo in Sæculum.

206. Postquam de S. Scriptura, Traditione, Ecclesia, S. Pontifice, & Conciliis satis, ut existimo, egimus, tandem ad Ecclesiæ Patres & Doctores devolvimur in hac quarta parte. Sunt autem Ecclesiæ Doctores illi dicendi, quos (ut L. 4. Art. 1. ait Annatus) ob eminentem doctrinam, & insignem vitæ sanctitatem ut tales agnovit, & declaravit Ecclesia. Eminentem doctrinam requiri in Ecclesiæ Doctoribus, ratio est: quia de illis intelligendum venit illud Matth. c. 5. ℣. 13. *Vos estis Sal terræ: Vos estis Lux mundi*, qui nempe toti mundo lucent claro doctrinæ suæ lumine. Debent & clarere splendore sanctitatis, quod patet ex continua praxi, quia Ecclesia nullum hucusque Doctorem suum respexit, nisi sanctitate vitæ excellens fuerit: unde Ecclesia in Evangelio de Doctoribus suis apud Matth. c. 5. ℣. 19. dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Item: *qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur.* Debent 3. ut tales esse declarati, vel recepti ab Ecclesia: nam si hoc non fiat, quantumvis quis Sanctus, vel etiam doctus fuerit, Doctoris Ecclesiæ titulo gloriari non potest: sicut & ille non potest dici Doctor alicujus facultatis in Universitate, qui quantumcunque doctus fuerit, si non sit gradu Doctoratus in aliqua Universitate insignitus.

207. Præterea SS. Patres in sensu proprio dicuntur, qui ob excellentem scientiam, & perspicuam vitæ sanctitatem, & competentem antiquitatem ab Ecclesia ut tales agnoscuntur, & expresse, vel ta-

cite declarantur. Primum, & secundum de eminenti scientia & sanctitate patent ex priori numero: nam & Patres Ecclesiæ sunt veri Doctores & Instructores ejusdem, quos Ecclesia interrogat, & consulit, licet non omnes sint æqualis sanctitatis & doctrinæ, ac eruditionis; nam juxta Apostolum 1. Corinth. 15. ℣. 41. *Stella differt a stella in claritate.* 2. De ratione Patris Ecclesiæ est, filios in Christo per Evangelium generare, genitos Evangelico, & sanæ doctrinæ lacte nutrire, parvulis petentibus panem Verbi Divini frangere, eosque verbo & exemplo ad Christianam perfectionem formare, sicque Ecclesiam propagare, instruere, & in statu quodam perfecto generare: sed id præstare nequit sine excellente eruditione sacra, & vitæ sanctitate. De antiquitate, & majori ætate patet ex eo, quia requiritur utique in Patre, ut annis præcedat Filios: ergo. Ex his

Inferes: Tertullianum, Origenem, & alios similis corii inter Patres Ecclesiæ locum nunquam habuisse ob defectum sanctitatis, quamvis eorum non nulla opuscula, vel opera probaverit, & fidelibus legenda permiserit: unde audiri meretur Alphonsus Baptista Ordinis Prædicatorum in sua de Patrum authoritate Apololetica defensione pag. 89. *Doctissimus fuit Tertullianus, sapientissimus Origenes, eruditissimus Eusebius Cæsariensis, & tamen Ecclesia nunquam Doctores suos appellavit eos, nec unquam aliquis ausus est, eos tali titulo nuncupare, quod multis aliis contigit non solum doctrina sed etiam sanctitate præstantibus.*

Itaque per SS. Patres Ecclesiæ hic intelligimus antiquos illos, ac Sanctos primorum & antiquiorum sæculorum Doctores, quorum in Ecclesia laudantur scripta, & commendatur memoria ob clarissimam doctrinam, & præclaram vitæ sanctitatem, & perpetuam ad mortem usque cum Romana Ecclesia, seu S. Pontifice communionem: seu antiquos illos fideles, qui primis post Apostolos, & antiquioribus Ecclesiæ Sæculis eruditione & vitæ sanctitate claruere, & ad Ecclesiam perficiendam, nempe doctrina & virtutibus formandam laborarunt, eamque doctrina sana & solida, ac vitæ exemplis quodammodo genuerunt: qua de re per metaphoram translato Patris nomine ad generationem spiritualem, Ecclesiæ Patres jure meritissimo salutantur. His breviter præmissis jam statuitur

ARTICULUS I.

De SS. Patrum Authoritate, & regulis eos rite, & utiliter legendi.

208. Assero 1. Nullius seorsim Sancti Patris Ecclesiæ, imo nec plurium aliquorum idem sentientium, contradicentibus vel tacentibus reliquis,

reliquis, eſt infallibilis authoritas in fidei materia diſcernenda: ita Annatus & Cartier. P. 1. S. Pater ſeorſim ſumptus, vel plures ſeorſim non habent donum infallibilitatis ut privati homines, quia ſic ſunt homines mendaces, & erroris periculo obnoxii: neque habent ex promiſſo Chriſti; quia id ipſis nunquam datum eſt, ſicut S. Pontifici & Eccleſiæ. 2. Id teſtantur & ipſi Sancti Patres. S. Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphontem ſcribit: *Aliter habendi ſunt Apoſtoli, aliter reliqui Tractatores, illos ſemper verum dicere, iſtos in quibusdam ut homines errare contingit.* S. Auguſtinus Epiſt. ad S. Hieronymum 19. *alios ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ita ſenſerunt ipſi, ſed quia mihi vel per Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non aberrant, perſuadere potuerant.* Item L. de bono perſeverantiæ c. 21. ait: *Neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non errare perſpexerit; nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi.* 3. Variis exemplis oſtendi poteſt, SS. Patres aliquoties erraſſe: ſic erravit S. Cyprianus, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizandos eſſe voluit.

Objic. Singuli Eccleſiæ Patres, & Doctores, eorumque ſcripta approbantur ab Eccleſia: ergo ſupponit Eccleſia, nullum ex his erraſſe. ℞. N. conſ. Approbatio hæc Eccleſiæ non eſt definitio, ſed ſolum permiſſio, qua recipiuntur ſcripta ut utilia, ut vera, & Catholica, vel probabilia; nam illa ſingulorum Patrum ſcripta vel continent fidei dogma, Eccleſia ea approbat ut vera & Catholica, vel ſunt de rebus ad fidem non ſpectantibus, ſolum permittit, & probat ut probabilia, vel continent errores aliquos contra fidem, ea non approbat, nec recipit, ſed excipit, ut liquet de multis a Gelaſio Papa exceptis in Concilio Romano ſeptuaginta Epiſcoporum can. *Sancta Romana Eccleſia.* Diſt. 15. Si autem non excipit, ſolum tolerat, quia errores tales non ſunt ſatis aperti, nec ſatis de iis conſtat. Nec id morandum, quod SS. Patres interdum contradictoria loquantur; nam Eccleſia talia ſcripta tantum approbat ut probabilia: duæ autem opiniones ut probabiles nec contradictoriæ ſunt, nec oppoſitæ moraliter.

Objic. 2. Si ſinguli Patres ſunt fallibiles, tunc ſine utilitate eorum authoritate utimur: ergo. ℞. N. a. Licet ſit SS. Patrum fallibilis authoritas, tamen talis, tantaque eſt, ut faciat ſententiam probabilem, ut recte dicat D. Thomas 1. p. q. 1. Art. 8. ad 2. *utitur Theologia authoritatibus aliorum Eccleſiæ Doctorum, quaſi argumentando ex propriis, ſed probabiliter.*

Assero 2. Omnium Patrum simul sumptorum, & unanimiter idem asserentium sententia est infallibilis in fidei materia. Annatus, Cartier cum aliis. P. 1. SS. Patres sunt Ecclesiæ dati ut Instructores & Doctores, a quibus debet veritatem discere juxta illud Pauli Ephes. c. 4. ℣. 13. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei.* Sed videtur impossibile omnes illos errare, qui debent Ecclesiam per sanam doctrinam ab erroribus præservare; alias enim & ipsa Ecclesia erraret, & portæ Inferi contra promissum Christi adversus eam prævalerent.

2. Ipsa Ecclesia, quæ est columna veritatis, profitetur se fidem Patrum sequi: ergo unanimiter sentientes non errant, ne & ipsa Ecclesia errare convincatur. a. p. quia in Concilio Calcedonensi olim conclamatum est: *Hæc est fides Patrum.* Iterum in Concilio Viennensi a Clemente V. dictum: *Nos ad SS. Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes, sacro approbante Concilio declaramus.* Atque in Concilio Tridentino sess. 4. in Decreto de editione Sacrorum Librorum, & eorum usu sub anathematis pœna prohibetur, *ne quis Scripturam Sacram contra unanimem Sanctorum Patrum sensum interpretari audeat.* Atque adeo Ecclesia æstimat, infallibilem esse unanimem SS. Patrum consensum in explananda S. Scriptura, ac proinde in discernenda fidei materia. Dictum est, *in materia fidei*, inde etiam in materia morum, & disciplinæ: nam de hac utraque materia pariformiter procedit infallibilitas Ecclesiæ. In alia autem quacunque naturali, & lumine naturali cognoscibili materia, non est mirum, si fallibilis sit unanimis eorum sententia, nec majorem probabilitatem, vel certitudinem habeat, quam eorum ratio mereatur, qua nituntur: siquidem hæc materia ad fidem & mores, in qua fuere Doctores a Deo dati, non spectat, & SS. Patres soli sacræ eruditioni intenti plurimum neglexere Philosophiæ, aliarumque scientiarum naturalium studium, ut totos se Divinæ sapientiæ traderent, ut de SS. Gregorio Nazianzeno, & Basilio testatur Ruffinus Hist. L. 2. ac de se ipso scribit S. Hieronymus in Prœmio in Epist. ad Galatas.

210. Objic. 1. Multa ex scriptis SS. Patrum tantum sunt supposita, alia interpolata & adulterata, neque de eorum sensu certo constat: ergo ab authoritate Patrum etiam unanimi certum argumentum duci nequit. ℞. Tr. a. N. c. Hæc objectio etiam pugnat contra Libros sacros Scripturæ, imo etiam contra eos, qui profanis authoribus tribuuntur:

buuntur: ergo probat nimium, & per consequens nihil. Sicut autem ex pluribus veterum testimoniis, & ex antiquissimis Manuscriptis certi sumus, Iliadem Homeri, Æneidem Virgilii, Ciceronis orationes, Poëmata Ovidii non esse opera supposita, nec fuisse adulterata, ita nobis constat de maxima parte scriptorum, quæ SS. Patribus adscribuntur, & quæ sola ex hac causa ad eliciendum unanimem illorum consensum in Controversiis fidei & morum a nostris applicari solent. Hoc ipso ex capite in Chronico sequente Ipsorum scripta critice lustrabuntur.

Objic. 2. Singuli Patres sunt fallibiles: ergo etiam tota collectio, seu omnes simul sumpti. ℞. N. c. Singulis non est promissa infallibilitas: cum autem unanimis eorum consensus fundet definitionem Ecclesiæ infallibilem, quem consensum unanimem Ecclesia sequitur, vel sequi tenetur in suis definitionibus: ideo, quatenus est Ecclesiæ promissa infallibilitas, videtur etiam unanimi consensui Patrum appromissa: Vel si omnes Patres idem affirmantes infallibilitatem non obtinent ex Christi promisso, certe habent ex approbatione Ecclesiæ, quæ unanimem Sanctorum Patrum S. Scripturæ sensus, & Traditionis testium consensum semper sequitur, & sequendum præcipit.

Objic. 3. Multa Opera SS. Patrum nos latent, & plurium scripta perierunt: ergo impossibile est, invenire sensum omnium Patrum. ℞. N. c. Hic non mathematice procedendum est, sed moraliter, ut sit consensus omnium circiter, vel fere omnium: neque requiritur, ut ne unus quidem ex omnibus omnium temporum Patribus contrarium senserit. Imo sufficit ad unanimem consensum, si singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertum conspirent, ita ut inter illos nemo, qui semper orthodoxis adhæsit, dissentiat.

Objic. 4. Hæreticus non foret, qui negaret doctrinam aliquam ab Ecclesia nondum definitam, & propositam, quamvis eam de fide esse adstrueret unanimis SS. Patrum sententia: ergo unanimis SS. Patrum sententia non est infallibilis in discernenda materia fidei. ℞. D. a. Non esset hæreticus formaliter, ut cum Scholis loquar, & præcise, quatenus illud negaret contra unanimem consensum SS. Patrum c. a. non esset hæreticus consequenter, illative, & præsumptive, quia præsumeret negare infallibilitatem Ecclesiæ præscribentis, sequendam unanimem SS. Patrum sententiam, & sequentis eam in suis definitionibus n. a. Talis non incurreret quidem pœnam hæresis, quia hæc incurritur ab iis, qui negant aliquid supremo Ecclesiæ judicio jam definitum, & omnibus ad credendum propositum.

211. Sequuntur quædam Regulæ utiliter legendi, & usurpandi SS. Patres, desumptæ ex Annato, & Gallo Cartier.

1mo. Solerter attendendum, quando, seu quo sæculo, anno, & Pontifice Romano ille S. Pater scripserit, cujus scripta volvimus: hac enim consideratione adhibita, deprehendetur non raro, non fuisse lapsum in hæresin, quem interdum sic lapsum criminantur heterodoxi. Exempla hujus rei vide apud citatos Authores; etenim potest contingere, ut isti Patres scripserint ante definitionem Ecclesiæ circa illa puncta, & ubi adhuc licuit in utramque contradictionis partem abire.

2do. Consideranda est scribentis ætas; aliter enim sentimus in juvenili ætate, quam senili: in hac enim displicent plura, quæ juvenibus placuerunt. Unde & D. Augustinus ut senex multa retractat in duobus Retractationum libris, quæ junior incaute protulit.

3tio. Etiam ponderanda est causa, & occasio scribendi, nempe contra quos, & qua occasione scripserit. Ita S. Hilarius non videtur erraſſe L. 10. de Trinitate, scribens, Christum Dominum omnis doloris sensus expertem fuisse; nam pensandum est, S. Hilarium egisse contra Arianos, Christum Dominum negantes esse verum Deum, quia multis doloribus & passionibus erat obnoxius: quare S. Hilarius ibi asserit, Christum Dominum ratione Deitatis, non vero ratione Humanitatis esse impassibilem, & immortalem. Hoc cum primis notes velim, SS. Patres in refellendis quibusdam hæresibus usos esse quibusdam locutionibus, quæ secundum speciem videntur oppositis erroribus aliis favere, sed re ipsa secundum germanum sensum ab illis penitus differunt; Hæc res recte advertit Cornelium Mussum in caput 5. Epist. ad Rom. ubi sic scribit: *Hoc est Augustino peculiare, ut, cum aliquem errorem expugnat, tanta vehementia exaggeret, ut opposito causam præbere videatur; ita, cum Arium infectatur, videtur favere Sabellio, cum Sabellium Ario, cum Pelagium Manichæis, cum Manichæos Pelagio.*

4to. Advertendum ad modum S. Patris loquentis, an concionatorius is sit, vel simplex: Verba enim, ut observat Vincentius Lirinensis, a Patribus concionantibus, vel concionatorio modo prolata non sunt semper in rigore intelligenda, quia sunt sæpius ex Zelo quodam hyperbolice dicta: si autem simpliciter & theologice scripserunt, in majore rigore eorum verba accipienda sunt. Dein si ex professo materiam quamdam tractaverunt, accuratius locuti sunt, si vero obiter, & transitive, minus accurate egerunt, atque adeo eorum verba benignum recipiunt sensum.

5to. Si dura, & antiquata SS. Patrum dicta occurrant, ea non corrigamus; quia alias SS. Patres non interrogaremus, sed instruere-mus, quod non deceret: sed ea non usurpemus, quia ea Ecclesia ob erroris periculum non usurpat amplius. Sic dum S. Basilius, & alii cum Tertulliano interdum dicunt, in Eucharistia *panem esse figuram* Corporis Christi, non est corrigenda, mutandave, neque usurpanda hæc locutio, quia eam non usurpat Ecclesia, sed reverenter & mo-deste explicanda, dicendo, quod, quamvis Corpus Christi vere sit in hoc Venerabili Sacramento, ut ipsi Basilius, aliique alibi cum tota Ecclesia fatentur SS. Patres: quia tamen hic non apparet in naturali & propria figura, sed sub specie panis, ideo dicitur a SS. Patribus il-lis esse ibi in figura, seu sub specie & figura panis, & in hoc solo sen-su *panis figura Corporis Christi* dictus est.

6to. Cum agitur de aliquo dogmate olim ab Hæreticis impu-gnato, illi Patres præ cæteris sunt consulendi, & sequendi, quos ad has Hæreses debellandas Deus Ecclesiæ suæ singulari beneficio con-cessit; non enim est dubitandum, quin eorum mentem ampliore lu-mine collustraverit, quos ad Ecclesiam suam contra ejus inimicos tuendam singulari Providentia suscitavit. Igitur, ubi agitur de Chri-sti Divinitate, S. Athanasius, qui Verbi Divinitatem, & Consubstan-tialitatem cum Patre præ cæteris contra Arianos, ubi de Incarnatio-ne, S. Cyrillus, qui Verbi Divini Incarnationem contra Nestoria-nos, ubi tractatur de gratia, S. Augustinus, qui hanc contra Pelagia-nos est insigniter tuitus, reliquis omnibus sunt anteferendi.

7timo Si quid obscurum, vel fidei & doctrinæ Christianæ non satis consonum inveniamus in textu, vel scriptis S. Patris, id expli-care oportet per ea, quæ alibi clarius dixerit.

8vo. In interpretandis scriptis SS. Patrum non tam ad verba, quam sensum attendendum. Sic a Ruffino S. Hieronymus reprehen-sus, quod non recte vertisset Epistolam S. Epiphanii ad Joannem Je-rosolymitanum, respondit Epist. 101. ad Pammachium, se non de verbo ad verbum, sed de sensu ad sensum eam vertisse.

9no. Si duos in re aliqua oppositos Patres reperiamus, ita, ut unus neget, quod alter affirmat, neutrum damnemus, sed singu-lorum intentionem bonam catholicæ mentis, ac studium inquirendæ veritatis excusemus; forte enim Deus eos sic inter se collidi, vel op-poni fecit, ut ex adversantium duarum opinionum conflictu veritas eruatur, sicut ex collisione duorum silicum ignis elicitur. Sic olim

Paulus

Paulus restitit Petro, Polycarpus Aniceto, Cyprianus Stephano, Theophilus & Epiphanius Chrysostomo, Augustinus Hieronymo: sicut & hodie adhuc Schola cum Schola, Theologus cum Theologo, Thomista cum Scotista disputat, licet uterque sibi mutuo adversans pro fide Catholica mori sit paratus.

212. Pro coronide controversiæ hujus de Patribus nota, Patres posse in tres classes dividi, ad quas tamen non spectant Apostoli, Evangelistæ, & Discipuli Christi, clarioribus notis satis aliunde noti. Ad primam ergo referuntur, qui Apostolica, aut immediate proxima floruere ætate usque ad S. Irenæum, qui initio sæculi III. floruit. Secundam classem constituunt, qui post Apostolica tempora ad quintam œcumenicam Synodum anno Christi 553. sub Vigilio Papa coactam vixere. Tertia demum est eorum, qui deinceps ab hac œcumenica Synodo claruerunt usque ad SS. Thomam Aquinatem, & Bonaventuram, qui ambo cum S. Bernardo Patribus annumerari petunt, ut de his tribus testatur Annatus L. 4. mihi fol. 299. de SS. Thoma & Bonaventura Gallus Cartier tom. 1. Theol. T. 4. c. 1. de SS. Ecclesiæ Patribus. Probatur: Habent enim isti eximii Sancti, aliis quamvis longe juniores, sufficientem antiquitatem, ut Ecclesiam doctrina & virtutibus formare, & quodammodo generare potuerint: Siquidem, licet ante Patres istos Ecclesia fuerit jam eruditione & sanctitate formata: quia tamen isti suis scriptis amplam ad hæreses confutandas ministrarunt materiam, sicque eam suo modo a morte hæresis præservando, illam in ea, quam profitetur, fidei veritate quodammodo regenerarunt, & insuper S. Thomas, & S. Bonaventura ab Ao. 1274. & S. Bernardus ab Ao. 1153. antiquitatem annorum habent, merito debent, & possunt excellenti Patrum, & Doctorum Ecclesiæ titulo insigniri, & re ipsa insigniti fuerunt, Bernardus quidem longe post antiquiores Ecclesiæ Patres, unde Patrum posthumus vulgo appellatus, & tandem post Bernardum D. Thomas, & S. Bonaventura, ille quidem a Pio V., alter a Sixto V. inter Doctores Ecclesiæ relatus, eaque de causa potissimum, quod hi duo, quasi duo fulgentia lumina Scholasticam Theologiam, ad resistendum hæresibus Ecclesiæ datam, dispofuerint, illustrarint, & illuminarint, sicque Ecclesiam suo modo secundum valde utilem, ac necessarium cognoscendi modum regenerarint. Quod si propterea isti duo merito Patrum Ecclesiæ titulo honorantur, & illis antiquior, nec sanctitate aut cœlesti doctrina minor S. Bernardus, qui non minus pro Ecclesia ab hæresibus & dissidiis purganda, ac regeneranda desudavit, qui celeberrimo Cisterciensi Ordini, & per hoc Ecclesiæ universæ splendorem maximum contu-

contulit, qui Summos Pontifices monuit, & adjuvit, variaque maximi momenti feliciſſime geſſit, hoc honore eſt digniſſimus, ut Pater & Doctor Eccleſiæ ſalutetur.

ARTICULUS II.

Reliqua de cæteris Locis Theologicis breviter percurruntur.

Petes 1. Quid cenſendum de authoritate Theologorum Scholaſticorum? Reſolvo 1. In iis, quæ ad fidem vel mores pertinent, nulla debet haberi ratio Scholaſticorum, qui nec S. Scriptura, nec Traditione, ſed ſola humana ratione, & authorum recentiorum numero ſua placita confirmant. Ita Gallus Cartier verbis diſertis, nec diſſentit P. Thomas ex Charmes. P. Nec enim ratio humana, quæ poſt originale peccatum periculo errandi eſt ut plurimum expoſita, nec numerus & authoritas Recentiorum Scholaſticorum, quæ ſæpe propendet in temerarias opiniones ſine Verbo Dei ſcripto vel tradito, quibus fides noſtra & diſciplina morum maxime, & fere unice niti debet, ſufficit ad certum ſuppeditandum argumentum Theologo. Et hujus aſſertionis veritas ex eo patet, quia plurimæ ſententiæ a variis SS. Pontificibus ſunt confixæ, quas Recentiores Scholaſtici Theologi magno numero aſſeruerunt. **213.**

Reſolvo 2. Ubi Theologorum Scholaſticorum variæ, & oppoſitæ ſunt ſententiæ, major numerus eorum non eſt certum veritatis argumentum. Ratio eſt, quam dat Melchior Canus. In Scholæ diſſidiis non ſolo numero authorum, ſed præcipue pondere rationum, & probationum inveſtiganda eſt veritas: ſed opinio, quam adſtruit minor numerus Theologorum, poteſt ſæpe majoribus, & magis convincentibus niti argumentis, quam illa majoris numeri: ergo. Atque adeo expendantur rite rationes utriusque partis, & iis adhæreatur, quæ graviores videntur. Hinc carpit juſte P. Thomas ex Charmes illos, qui opinionibus ſuis in Scholis ita ſtabiliter adhærent, ut ſtatim audeant contrarias contemnere, damnare, aut omnino cenſuris notare, cum tamen earum vim neque penetrarint, neque ſtuduerint penetrare. **214.**

Reſolvo 3. Unanimis Theologorum Scholaſticorum omnium in unam ſententiam conſenſus Theologo præbet magni ponderis argumentum. Communis. P. 1. Ipſa Eccleſia quoque ſequitur conſenſum unanimem Theologorum in Conciliis & ſuis Decretis, ut fecit in Concilio Tridentino. 2. Punctum, in quod conſentiunt unanimi- **215.**

ter Theologi, videtur eſſe traditum juxta illud Tertulliani L. de Præſcript. ubi: *quod enim apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum:* ergo conſenſus hic omnium Scholaſticorum maximum, & ferme infallibile ſuppeditat argumentum Theologo.

216. Reſolvo 4. Communis Theologorum ſententia tam probabile miniſtrat argumentum Theologo, ut niſi ſit manifeſta contradicendi ratio, temerarius ille ſit, qui obluctatur. Ratio eſt, quia in qualibet arte peritis credendum eſt: ergo temerarius eſt, qui in dogmatis fidei, & rebus Eccleſiaſticis ac Theologicis Scholæ Magiſtris idem communiter ſentientibus reſiſtit. 2. Concilium Viennenſe ſecutum eſt communem Theologorum ſententiam, ut habetur Clem. un. de Summa Trinitate, ibi: *Opinionem illam, quæ dicit, tam pueris quam adultis conferri in Baptismo gratiam informantem & virtutes, tanquam probabiliorem, & Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, fore a Catholicis eligendam.*

Dixi: *niſi manifeſta ſit contradicendi ratio:* quia opinio communis eſt, quam communiter tenent Theologi, quamvis pauci diſſentiant. Itaque, ſi illi pauci tam efficaces rationes afferant, ut rationibus & momentis communis ſententiæ æquivaleant, temeritatis notam communi ſententiæ reluctantes non incurrent.

217. Petes 2. Quid de Juris Conſultis ſit exiſtimandum in foro Theologico? ℟. 1. In eo rerum genere, ubi ſcilicet de moribus, & Diſciplina Eccleſiæ, Religionisque inſtitutis per Leges tantum a Synodis, vel Pontificiis Statutis decernitur, nec non pœnæ juris præfiniuntur, & judicia Eccleſiaſtica regulantur, Jurisperitorum conſenſus, & concors ſententia Theologo magnam fidem facere debet, cum incidit controverſia ſuper ejusmodi rebus: quia, quæ Juri Canonico ſunt propria, Juris Canonici periti optime intelligunt: ergo illis concorditer ſentientibus, tanquam peritis in arte ſua credendum eſt: atque adeo fidem faciunt magnam Theologo. Recte igitur infert Gallus Cartier his verbis: "Unde ſi e.g. veniret in dubium; an hic, aut „ille ſit irregularis, excommunicatus, vel interdicto, aut ſuſpenſio„ni obnoxius; item an delegatus poſſit ſubdelegare, an Epiſcopus in „his vel illis poſſit diſpenſare, an Eccleſiæ Paſtor ſit rite electus, num „Judex Eccleſiaſticus cauſam in judicio legitime definierit? in his „& aliis ſexcentis hujus generis Theologus inſolentiſſimus erit, ſi, „quod ignorat, judicaverit, ſi, poſteaquam Jurisperitos conſulerit, „omnium authoritati refragatus fuerit. Igitur Juris Canonici pru„dentibus in his, quæ propria ſunt illius facultatis, non credere, „erit profecto temerarium.„ Ita Cartier, qui tamen

Reſol-

Refolvit ulterius: In illis, quæ ad fidem pertinent, Juriscon-fultorum authoritate non eget Theologus: quin potius eorum titu-lorum, qui de fide decernunt, Legis peritus a Theologo petere de-bet authoritatem. Quia Pontificum & Conciliorum definitiones cir-ca fidem in Juris Canonici voluminibus contentæ, funt collectæ ex Sacris Literis & Apoftolorum Traditione, quæ funt propria Theolo-gicæ Facultatis principia, ex quibus Pontifices & Concilia hauriunt fuas definitiones: ergo notitia harum rerum non a Jurisconfultis, fed a Theologis venit petenda. 218.

Addit laudatus Cartier Tom. I. Theologiæ tr. 4. c. 3. In his quoque, quæ ad mores pertinent, quatenus vel Lex Evangelica, vel ratio Philofophica circa eos aliquid præfcribit, nihil, vel ferme nihil poteft Juris confultorum authoritas Theologo conferre: nam Sacra-rum Literarum cognitio de fe eft propria Theologo, rationem autem naturalem Philofophia moralis magis miniftrat, quam authoritas Le-gis peritorum.

219. Petes 3. Quid de ratione naturali, & placitis Philofophorum in Theologia fentiendum fit? ℞. Ratio naturalis certa per demonftra-tionem Theologo poteft præbere argumenta: fic ex hoc principio na-turali: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* ratio naturalis evidenter deducit: *ergo non furandum, non occidendum eft.* Non tamen miniftrat argumenta proprie Theologica; quippe conclufio theologica ex una faltem propofitione revelata deducenda eft.

Eft etiam ratio naturalis Theologo interdum plurimum utilis; Theologus enim non folum debet effe *potens exhortari in doctrina fana, fed & eos, qui contradicunt, arguere.* Tit. c. I. ℣. 9. fed non poteft con-tradicentes efficaciter arguere, maxime gentiles, fine ratione natu-rali, fine qua, ut Canus ait L. I. de Locis Theolog. c. 2. *fidelis quidem effe poterit, fed fidelis Doctor effe non poterit.* 2. Ratio naturalis ad veri-tatis cognitionem a Deo data eft homini juxta illud: *fignatum eft fuper nos lumen vultus tui Domine:* ergo bene adhibetur ad inveftigandam ve-ritatem. Nihilominus ratio naturalis Revelationi velut ancilla Do-minæ fuæ fubjici debet, quam in fuum obfequium fides adfcifcit. Recte ad rem iftam loquitur D. Thomas I. p. q. I. art. 8. ad 2. *oportet, quod naturalis ratio fubferviat fidei.* Sociniani ab hac regula deficientes erra-runt quam graviffime; quidquid enim rationis naturalis captum fupe-rat, ut Myfterium SS. Trinitatis & Incarnationis, nec non doctrinam de peccato originali impudentiffime rejecerunt.

Demum placita Philofophorum funt maxime ad fidem Chri-ftianam contra gentiles firmandam, ut velut ex propriis eorum Vatum

oraculis convicti, Divinæ veritati facilius præbeant assensum: sic & D. Paulus in medio Areopagi protulit Philosophorum sententias. Placita tamen, & dicta Philosophorum Theologo non præbent certum argumentum, nisi certa & demonstrativa ratione sint suffulta; indignum enim est Theologo, a Philosopho tanquam oraculo pendere, cum habeat *firmiorem Propheticum sermonem.*

220. Pedes 4. Quid dicendum, & notandum Theologo de Historia humana? ℞. Historiæ seu profanæ, seu Ecclesiasticæ, & præsertim hujus, cognitio Theologo perutilis, imo vix non necessaria est. P. 1. D. Augustinus L. 2. de Doctrina Christiana c. 28. ait: *Quidquid de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur, Historia, plurimum nos adjuvat ad SS. Libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.* 2. Theologus ex Historia addiscit, quid antiquum, quidve novum: quæ dogmata fidei & morum sint in Conciliis definita: quæ disciplinæ præcepta sint tradita: qua occasione aliqua in Conciliis sint statuta: quam ob causam non nulla a SS. Patribus sint scripta: ac proin, quis sit sensus germanus Conciliorum & Patrum: Sed sine horum notitia eruditus non potest esse Theologus. Unde & factum historicum a pluribus viris gravibus, & fide dignis relatum probabile argumentum, ab omnibus autem fide dignis nullo contradicente enarratum, certum argumentum Theologo subministrat. Ratio primi est: quia satis verisimile est, id evenisse, quod a pluribus fide dignis, & probatis refertur. Ratio secundi: quia de tali facto, quod omnes, nullo excepto, testantur, dubitare, plane insipientiæ indicium est.

Requiruntur autem tres conditiones, ut Historicus existimetur fide dignus: 1.ma est, ut sit rei, quam enarrat, contemporaneus; neque enim tantam meretur fidem, si multo tempore post vixerit. 2.da est, ut nunquam in rebus non multum intricatis fuerit deceptus. 3.tia est, ut ipsius non intersit, quod res tali modo, quo refert, facta sit. Ex defectu hujus conditionis Eusebii Cæsariensis fides suspecta est, vel dubia, de rebus Arianismi scribentis: quia partibus Arii notorie favebat: sic etiam Socratis, & Sozomeni fides non est justa in rebus, quæ ad Novatianum pertinent, quia uterque Novatiani hæresi infectus fuisse perhibetur.

221. Supersunt aliquæ quæstiones, ab antiquis Scholasticis in suis Prooemiis Theologiæ præmissæ: quia tamen nullius sunt utilitatis, breviter recensentur, & tempus ipsis dandum utilioribus reservatur. Primo ergo objectum Theologiæ est Deus qua Deus, vel sub ratione Deitatis; quia omnia, quæ in Theologia tractantur, ad Deum sub ratione Deitatis reduci petunt. 2. Accipiendo scientiam pro notitia

certa,

certa, & habitu dicente determinate verum, a fortiori noſtra Theologia eſt ſcientia, quia præcipuas ſuas concluſiones deducit ex principiis infallibilibus fidei: non eſt tamen ſcientia in rigore Philoſophico, quia nititur principiis fidei ſecundum ſe obſcuris. 3. Theologia noſtra eſt practica, ut vult Scotus q. 1. Prologi. n. 31. quia finis proprius noſtræ Theologiæ eſt praxis amoris & timoris Dei: unde & plurimas veritates practicas praxin actu dirigentes tradit. Et quamvis aliquæ concluſiones, in hac S. Facultate tradi ſolitæ, praxin formaliter, ut in Scholis loquimur, non dirigant, ex illis tamen poſſunt elici, & regulari praxes, adeoque virtute ſunt practicæ. 4. Habitus Theologiæ noſtræ eſt ſecundum entitatem ſuam naturalis; non enim excedit vires naturæ, & ſtudio ac labore intellectus ſine concurſu conprincipii ſupernaturalis obtineri poteſt: Neque obeſt, quod tendat in objectum ſupernaturale; nam ut in Tractatu de virtutibus probabitur, ſupernaturalitas actus, vel habitus minime ex objecto, ſed ex principio effectivo peti debet. Hæc ſunt levioris momenti, quam ut Theologus ea prolixiore ſermone proſequatur.

Nunc ſequitur promiſſum

Breve Chronicon

Rerum a Chriſto nato in Eccleſia geſtarum:

ſeu

Succincta Epitome

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ

ex probatiſſimis authoribus collecta,

in qua

Recenſentur primo omnes Romani Pontifices, Deinde omnia Concilia, tertio omnes Hæreſes, quarto omnes Sancti Patres & Scriptores Eccleſiaſtici de Sæculo in Sæculum

Pro

Utilitate SS. Theologiæ Studioſorum.

Sæculum I.

Post Christum natum.

§. I.

Pontifices Romani, qui hoc sæculo floruere.

In computatione annorum sequor æram vulgarem.

222. I. S. Petrus Jonæ, seu Joannis filius, natione Galilæus Patria Bethsaida, postquam Antiochiæ septem annis sedisset, *septem annis quamvis discessurus*, ut apud Antonium Sandini in vitis Pontificum videre est, Romam venit anno Domini 44. Claudii vero anno 2. juxta D. Hieronymum de Viris Illustribus in Petro, & Romanis *primus doctrinam Evangelicam præbuit*, ut iterum testatur Sandini, ibique fixit Sedem Apostolicam, quam rexit annis 24. mensibus tribus, diebus 12. Martyr occubuit anno Christi 68. Neronis Imperatoris anno 13. die 29. Junii.

II. S. Linus Provincia Thuscus, Patria Volaterranus creatur anno Christi 68. die 29. Junii. sedit annis 11. mensibus 2. diebus 23. Obiit anno 79. mense Septembri Martyr sub Vespasiano.

III. S. Cletus Patria Romanus creatus anno 79. die 23. Septembris, sedit annis 11. mensibus 7. diebus 2. obiit anno 91. Martyr sub Vespasiano.

IV. S. Clemens Romanus creatus anno 91. die 21. Maij, sedit annos 9. menses 6. dies 4. obiit Martyr sub Trajano anno 100. die 23. Novembris.

Notæ & Crises.

223. Observat Sandini ex Eusebio Hist. Ecclef. L. 3. c. 2. discrepare inter se veteres Authores, Linusne, an Clemens proximus post S. Petrum Pontifex fuerit. Tertullianus de Præscript. c. 32. *Clementem a Petro ordinatum* dicit: videtur consentire Hieronymus L. 1. adversus Jovin. c. 7. atque in Commentar. in Isai. c. 52. & hæc fuit sententia Patrum Latinorum usque ad exitum Sæculi IV. Verum idem S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclef. ex proposito agens de Clemente, affirmat, eum *quartum post Petrum Romanum Episcopum fuisse, secundum Linum, & tertium Cletum.* Hæc opinio confirmatur testimoniis Irenæi L. 3. adversus Hæres. c. 3. Eusebii L. 3. Hist. Ecclef. c. 2. & aliis locis. Epiphanii Hæres. 27. §. 6. Optati L. 2. §. 3. Augustini Epist. 53. & Theodoreti in Epist. 2. ad Timoth. c. 4. An Cletus, & Anacletus sit idem, Sæculo II. discutietur. Quod ad præsentem controversiam

verſiam ſpectat, optime diſſolvit Baronius (cujus ſententiam præ cæteris probant Alexander Natalis, Bollandus, Cotelerius, Tillemontius ad annum 69.) ſecutus Epiphanium hæreſ. 27. §. 6. dum ſcribit, S. Clementem accepiſſe quidem a D. Petro Epiſcopatum, ſeu Epiſcopum ordinatum eſſe, ſed ceſſiſſe juri ſuo, & defuncto Petro oblatam ſibi Romani Pontificatus dignitatem recuſaſſe, ut Linus & Cletus D. Petri in Epiſcopali munere Coadjutores & Suffraganei, alius poſt alium electus per ſuffragia Cleri Romanam Eccleſiam gubernaret. Ex quo complanatur controverſia Scriptores inter, quorum hi Linum, illi Clementem proximum poſt Petrum Pontificem fuiſſe contendunt; nam qui Linum Petri proximum Succeſſorem ſtatuunt, ii non negant, Clementem a S. Petro Epiſcopum conſecratum, & pro Succeſſore deſignatum, ſed addunt, illum vivis Lino & Cleto ex reverentia erga illos conſtanter recuſaſſe dignitatem Pontificatus Romani a Petro ſibi delatam. Videatur Sandini in Vita S. Lini.

§. II.

Hæreſes Sæculi I.

Primo Simon Magus, a quo *Simoniani*, ubi repulſam paſſus eſt ab Apoſtolis, quibus pecuniam obtulerat, ut virtutem conferendi Spiritum S. acciperet, totum ſe artibus magicis dedit, variaque doctrinæ peſſimæ monſtra teſte Epiphanio docuit: nempe 1. *mundum non eſſe a Deo conditum.* 2. *non eſſe in homine liberum arbitrium.* 3. *Homines non reſurrecturos.* 4. *bona opera non eſſe neceſſaria.* 5. *Se eſſe Deum, & Helenam ſcortum ſuum eſſe Spiritum Sanctum.* Hunc Simonem Bernini tomo I. Sæcul. I. cap. 1. ex D. Ignatio Martyre appellat *Primogenitum Diaboli*, & ex Epiphanio *Hæreticorum omnium Principem & Authorem.* 224.

Secundo *Menandriani* a Menandro Simonis Magi Diſcipulo, qui Simonis impietatibus addebat, *ſe eſſe Salvatorem Mundi.* Hos S. Linus de gremio Eccleſiæ ejecit.

Tertio *Nicolaitæ*, a Nicolao uno ex 7. Diaconis, ut perhibetur. Hic pulcherrimæ conjugis Zelotypiæ accuſatus, ut hujus vitii labem purgaret, permiſiſſe fertur, ut ſua, quam ipſe habebat, uxore quisque alius uteretur. Hoc turpi facto Sectæ Nicolaitarum occaſionem dedit, qui inter cætera docebant. 1. *uxores eſſe communes.* 2. *licere veſci Idolothytis.* 3. *mundum non eſſe a Deo factum.* Sed hos reprobavit Ipſe Deus Apoc. 2. ℣. 6. ibi: *Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.*

Quarto *Cerinthiani* a Cerintho docebant 1. *Mundum ab Angelis factum.* 2. *vetus Teſtamentum ad literam eſſe obſervandum.* 3. *Jeſum eſſe purum*

rum hominem, eum nondum resurrexisse, sed esse resurrecturum. Hos damnat Paulus in Epistola ad Galatas.

Quinto *Ebionitæ*, a quodam Ebione sic dicti, docebant: *Christum esse purum hominem: & Legis mandata more Judaico esse servanda.* Hos in Sacra Scriptura novi Testamenti varie rejectos S. Lucas apud Ecclesiam Antiochenam inveniens damnavit.

Cum de Conciliis nihil dicendum sit super: (nam præter Concilia Apostolorum, de quibus jam superius tractavi, nulla alia hoc sæculo sunt habita) hinc sequitur

§. III.

De Scriptoribus Ecclesiasticis, & Patribus Sæculi I.

225. I. S. Linus Papa. in Maxima Bibliotheca veterum Patrum Tom. I. pag. 67. duo sunt sub nomine Lini Papæ libelli de passione Petri & Pauli: Sed Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, & L. 2. de Romano Pontifice c. 9. illos rejicit tanquam suppositios: Baronius vero ad annum 69. §. 6. tradit, Manichæorum erroribus esse deformatos. Prisci alicujus Monachi opus existimat Vossius L. 2. de Historiis græcis c. 9. Hæc Sardini in vita S. Lini.

II. S. Martialis verisimilius, licet alii de hoc dubitent, primo sæculo a S. Petro missus venit in Galliam, ibique primus Lemovicensium Episcopus varios Galliæ populos ad fidem Christi convertit, ac in cœlum migravit ætatis suæ anno 59. Episcopatus 28. a Christi in cœlum ascensu anno 40. a Christo nato 74. relictis, ut fertur, duabus Epistolis, quæ habentur in Bibliotheca Patrum Tom. 3. Edit. Lugdunensis pag. 1. Prima tredecim constans capitibus ad Burdigalenses jam in Christo renatos est scripta, qua eos in fide confirmat, refricans ea, quæ præsens docuerat. Secunda est ad Tolosanos in Christo regeneratos data, & 28. capitibus constans. Epistolæ istæ quidem piæ sunt, & perquam utiles forent ad roboranda adversus modernos Hæreticos varia Ecclesiæ dogmata, v. g. *de Missæ Sacrificio, Signo Crucis, Sanctorum cultu*, si genuinas eas, & primo sæculo conscriptas esse, certum foret. Verum probabilius sunt suppositiiæ, quia in iis passim allegantur Scripturæ Sacræ juxta versionem S. Hieronymi, quæ longe posterior est Sæculo primo. 2. Quia decem primorum sæculorum Scriptores nullam de iis mentionem faciunt. Addunt Annatus & Cartier tertiam aliquam rationem, quæ tamen me parum convincit, & apud eos videri potest.

S. Clementi hujus nominis primo Pontifici Romano varia ſcripta tribuuntur. Primo ei adſcribuntur duæ Epiſtolæ ad Corinthios: quarum prima certo authentica agnoſcitur, & de hac intelligendus eſt S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccleſ. de S. Clemente loquens: *ſcripſit Clemens ſcilicet ex Perſona Eccleſiæ ad Eccleſiam Corinthiorum valde utilem Epiſtolam, quæ in nonnullis locis publice legitur, quæ mihi videtur charaƈteri Epiſtolæ, quæ ſub nomine Pauli fertur, convenire.* Et hæc reperitur in 1. Tom. Conciliorum Edit. Pariſienſis 1671. Altera vero, cujus tantum pars invenitur cit. loco, a veteribus ut ſuppoſititia rejicitur, inquit S. Hieronymus poſt Euſebium, quamvis aliqui eam genuinam eſſe contendant. Duæ aliæ eidem affinguntur Epiſtolæ ad Jacobum fratrem Domini; hæ enim communiter reputantur ſuppoſititiæ. Sunt & tres aliæ Epiſtolæ ad Diverſos, quæ tamen ab Eruditis ut non germanæ S. Clementis judicantur, præſertim tertia, in qua aſſeritur, uxorum uſum eſſe communem, quæ erat Hæreſis Nicolaitarum. Decem quoque Libri Recognitionum, in quibus multa fabuloſa, & aliqua Catholicis dogmatis adverſa continentur, item S. Petri itinera, ſeu opus itinerarium S. Petri, quod a Gelaſio inter apocrypha recenſetur: hi decem libri communiter inter apocryphos abjiciuntur, licet non pauca utilia documenta compleƈtantur. Eadem ſors obvenit libris oƈto Conſtitutionum, in quibus plura veritati repugnantia inſperſa ſunt. De Canonibus Apoſtolorum jam ſuperius eſt aƈtum.

Circumfertur etiam Liturgia S. Clementis nomine, de qua idem judicium fert Ven. Bellarminus, ac de Liturgia S. Jacobi, nempe eam vere S. Clementis eſſe: quod & comprobare videtur S. Proclus Traƈtatu divinæ Liturgiæ dicens: *Permulti quidem & alii ex eorum numero, qui SS. Apoſtolis ſucceſſerunt, Paſtores & Doƈtores Eccleſiæ pietate inſignes, myſticæ Liturgiæ expoſitionem in ſcriptis relictam Eccleſiæ tradiderunt; inter hos vero facile primum locum obtineret Beatus ille Clemens, qui Apoſtolorum Principis diſcipulus &c.* Porro juxta Bellarminum credibile eſt, S. Clementem non ex proprio capite Liturgiam compoſuiſſe, ſed ex ritu, & ad eam formam, quam a D. Petro viderat obſervari. Aliqui putant, ab aliis illam Clementis Liturgiam quibusdam additis eſſe auƈtam.

Sæculum II.

§. I.

Summi Pontifices hujus Sæculi.

I. Hujus Sæculi, alias 5tus S. Anacletus Athenienſis Græcus 226.

creatus anno 100. 15. Decembris fedit annis 9. menfibus 5. diebus 28. occubuit Martyr fub Trajano 13. Julii anno 110.

II. alias 6tus S. Evariftus Bethlehemites Syrus creatus anno 110. 27. Julii, fedit annis octo, menfibus 2. diebus 28. obiit Martyr fub Adriano die 26. Octobris anno 118.

III. alias 7timus S. Alexander I. Romanus creatus anno 118. die 12. Novembris fedit annos 10. menfes 5. dies 21. fub Adriano Martyrio affectus anno 129. 3. Maji.

IV. alias 8vus S. Sixtus I. Romanus creatus anno 129. die 7. Junii fedit annos 9. menfes 10. Martyr factus fub Antonino anno 139. 6. Aprilis.

V. alias 9nus S. Thelefphorus patria Tharienfis, quæ nunc appellatur Terra nova in Calabria, creatus anno 139. 9. Aprilis, fedit annos 10. menfes 8. dies 27. mortuus Martyr fub Antonino anno 150. die 6. Januarii.

VI. alias 10mus S. Hyginus Athenienfis Græcus, creatus anno 150. 15. Januarii, fedit annos 3. menfes 11. dies 28. occubuit Martyr fub Antonino anno 154. 11. Januarii.

VII. alias 11mus S. Pius I. Aquilejenfis creatus anno 154. 15. Januarii, fedit annos 11. menfes 5. dies 27. fub Antonio juxta Martyrologium Romanum, vel fub Marco Aurelio juxta librum de Romanis Pontificibus, Martyr mortuus anno 165. die 11. Julii.

VIII. alias 12. S. Anicetus I. Syrus, creatus anno 165. 25. Julii, fedit annos 9. menfes 8. dies 24. Martyr effectus fub M. Aurelio anno 175. 17. Aprilis.

IX. alias 13. S. Soter Fundis in Campania natus creatus anno 175. die 5. May fedit annos quatuor minus diebus duodecim, ut refert Sandini in ejus vita, licet alii ejus regimen ufque ad 7. annos, menfes 11. & dies 17. producant. Obiit Martyr fub M. Aurelio.

X. alias 14. S. Eleutherius Abundii filius Græcus Nicopolitanus, creatus 179. 3. May præfuit Ecclefiæ juxta Sandini annos 15. dies 3. fupra viginti. De hujus martyrio fequetur Nota Critica. Mortuus dicitur anno 194. 26. May.

XI. alias 15tus S. Victor I. Afer dicitur creatus anno 194. 31. May præfuit annis 9. menfe 1. diebus 28. obiit Martyr fub Severo Imperatore anno 203. 28. Julii.

Notæ quædam Criticæ.

227. Primo controvertitur, an Cletus & Anacletus fit unus idemque? Unum effe Cletum, & Anacletum contendunt Valefius, Bollandus,

landus, Alexander Natalis, Dupinus, Tillemontius, Perárſonius. Contrarium docent Baronius ad annum 69. §. 39. Pagius uterque, Schelſtratus tom. I. antiquitatis illuſtratæ Diſſertatione 2. c. 2. & alii complures, quibus potius aſſentiendum exiſtimat Sandini in vita Anacleti, quibus & ego adſtipulor. Aſſero probationis loco verba Panvinii Annot: ad Platinam pag. 12. quæ ſic habent: *Ex Eccleſiaſtica Traditione, quam omnibus Scriptoribus hac in re præpono, liquet, Cletum ab Anacleto Patre, Patria, rebus geſtis, mortis tempore, & die diverſum eſſe, utriuſque etiam tanquam diverſi feſtum diem S. Mater Eccleſia adhuc diverſum celebrat:* Cleti quidem VI. Calendas Maji, Anacleti autem III. Idus Julii.

Secundo dubitatur de martyrio S. Eleutherii. Hoc dilucidat Baronius ad annum 394. §. 1. ubi: Num Eleutherius deceſſerit occiſus *gladio nobis incompertum eſt, niſi quod in antiquis omnibus Martyrologiis Martyr reperitur adſcriptus: cum tamen certum ſit (ut in noſtris notationibus pluribus demonſtravimus) Martyris nomen tribui conſueviſſe non iis tantum, qui violenta morte Chriſti cauſa mori quoquo modo coacti eſſent; ſed & commune fuiſſe illis etiam, qui fidei confeſſionis cauſa cruciamentum aliquod ſubiiſſent, licet martyrium minime conſummaſſent.*

§. II.

De Conciliis.

De his etiam hoc ſæculo nihil eſſet dicendum, niſi ſub Victore fuiſſent plura celebrata de die Paſchatis celebrando. De his ſolum memoro, quæ in Vita S. Victoris I. affert Sandini ſæpius laudatus: „Victore Afro Pontifice controverſia de legitimo celebrandi Paſchæ „die, quæ amice inter Anicetum & Polycarpum diſceptata erat, ani- „mis haud ita pacatis agitata eſt. Victor enim Concilio Romæ ha- „bito anno circiter 198. cavit, *ne ullo alio quam Dominico die myſterium* „*Reſurrectionis Domini* celebraretur. Quod decretum, cum alia Con- „cilia, Palæſtinum, Ponticum, Gallicum, Oſroënum recepiſſent, „Polycrates Epheſiorum Epiſcopus celebrato ex Præſulibus Aſiæ „Minoris conventu, rejectum ab Eccleſia Romana, aliisque Judai- „cum morem celebrandi Paſcha Luna XIV. Martii in quemcunque „hebdomadæ diem incideret, mordicus tenere perſeveravit. Tum „Victor Aſianos decreto a ſe promulgato obtemperare detrectantes, „acceptamque a Joanne Evangeliſta Traditionem pertinaciæ ſuæ ob- „trudentes, tantum non ab Eccleſiæ communione ſubmovit. Initum „enim de illis anathematizandis conſilium hortatu & ſuaſione Irenæi „Lugdunenſis abjecit, nec proceſſit ultra minas.“ (Vide Notas A. & B.

228.

& B. „Idem Victor habito Romæ Concilio Sabellium & Noëtum „abdicavit, qui de Divinitate in tribus Perſonis ſubſiſtente contra„ctionem, & commixtionem Perſonarum divulgabant: Valentinum „item, qui præter cæteras ineptias corpus etiam Chriſti cæleſte aſſe„rebat." Hæc habet Sandini: ex quibus patet, hoc ſæculo ſaltem particularia Concilia ad utilitatem Eccleſiæ eſſe celebrata.

A. Sunt qui contendunt, a S. Victore Aſianos eſſe anathemati ſubjectos: hos tamen monet Sandini in notis ad Vitam S. Victoris, ita intelligendos eſſe, Victorem ab Irenæo exoratum, pacem illis ſtatim reſtituiſſe.

B. Victoris Sententiam ratam eſſe juſſit Concilium Nicænum I. anno 325. damnatis Quartadecimanis, Paſcha Judæorum more celebrantibus.

§. III.

Hæreſes Sæculo II. exortæ.

229. 1. Sunt *Gnoſtici*; ab excellentia ſcientiæ, quam jactabant, ita vocari voluere, quod idem ſignificat, ac *viri Sapientes & intelligentes:* ut hoc ſuperbo titulo aſſumpto, facilius poſſent ſua dogmata venditare; cum autem plures hæretici hoc *Gnoſtici* nomen ſibi aſſumpſerint, difficile eſt invenire, quis vere fuerit Gnoſticorum author. S. Hieronymus dicit fuiſſe Baſilidem, S. Auguſtinus Nicolaum Diaconum, S. Irenæus Carpocratem; alii Valentinum Gentilem: ab his omnibus paulatim invaluiſſe hanc ſectam aſſeri poteſt, quia præfati hæretici, facta errorum communione, communi etiam *Gnoſticorum* nomine gloriabantur. Nefandas Gnoſticorum turpitudines, quibus ſe coinquinabant, refert Epiphanius, quas non niſi cum ſummo horrore poſſunt piæ aures excipere: liberorum generationem omni conatu impedire ſoliti, unde fœtum mulieris, præter eorum ſententiam, prægnantibus extrahebant, horrendisque modis ſive animatum, ſive non animatum, dilaniabant, offerebant, manducabant; nudi toto corpore precari ſoliti, incantationes, veneficia, & idololatrias omnium generum perficiebant. Circa annum Chriſti 125. hæc hæreſis ſerpere cœpit, & propagari; tegebant ſuas turpitudines pallio revelationis cæleſtis; quod ſi Scripturæ ſententiam ſuis opinionibus adverſantem inveniſſent, hanc ſpriritui mundano adſcribebant, neminemque poſſe in Gnoſticorum ſchola proficere affirmabant, qui omni impuritate ſeſe non contaminaret. Tradit Epiphanius, Gnoſticos diverſis nominibus fuiſſe appellatos, nimirum *Borborianos*, *Coddianos*, *Stratioticos*, *Phibionitas*, *Barbelitas*, *Zachæos*, *Noaſianos*. Ita

Sianda in ſuo Lexico Polemico tom 2. fol. 23. qui addit plura peſſima dogmata, quœ ſparſere, ut uxorum communitatem &c. *Gnoſtici* quidam *novi* inter Antichriſtianos locum obtinent; orti ſunt teſte Calvino anno 1545. & priſcorum Gnoſticorum hæreſes innovarunt.

2. *Ophitæ*, quorum author creditur quidam Euphirates currente ſæculo II. dicti ſunt Ophitæ, quia Serpentem, qui græce Ophis appellatur, quem alebant in caverna, adorabant. Cenſet D. Auguſtinus, hanc ſerpentis adorationem ortam eſſe a Gnoſticis, vel Nicolaitis, ſerpentem, qui Evam decepit, Chriſtum eſſe affirmantibus, qui in forma ſerpentis apparuerit, per quem & immiſſam eſſe ſapientiam, & cognitionem hominibus dicebant. Vide Siandam tom. 2. Lexici Polemici ỷ. ophitæ pag. 454.

3. *Cainitæ*, a Sianda etiam dicuntur *Cajani* & *Caini*, docebant, Cainum, Judam Proditorem, Chore, Dathan, & Abiron, imo & Sodomitas colendos eſſe.

4. *Millenarii* vel *Chiliaſtæ* docebant, Electos poſt extremum diem judicii mille annis cum Chriſto regnaturos in terris, omnibus corporis voluptatibus indulgentes.

5. *Marcioniſtæ*, dicti a *Marcione*, præter alios errores tria principia boni, juſti, & pravi admittebant. Hunc hæreticum omnium primus valide impugnavit S. Juſtinus Martyr.

6. *Cataphryges*, ſeu *Montaniſtæ* a Montano, qui ſe dicebat Paraclitum, appellati docebat 1. ſecundas nuptias eſſe ſceleratas. 2. Peccatores non admittebant ad pœnitentiam. 3. Conficiebant Euchariſtiam ex farina ſanguine infantis anniculi delibuta. 4. Cum Sabellio docebant in Trinitate unicam eſſe Perſonam. Damnati ſunt a SS. Pontificus Zephyrino, & Aniceto, ut ſcribit Tertullianus L. contra Pſychicos c. 1.

7. *Quartodecimani* ſic dicti, quod XIV. Luna Martii Paſcha celebrarent, quacunque ſeptimanæ die occurrerit. Damnati ſunt a Victore I.

8. *Adamitæ*, apud Siandam etiam dicti *Adamæi*, vel *Adamiani*, ſunt orti ab infami viro, cui nomen Prodicus: *Adamitæ* vocabantur, quia Adami nuditatem, præter alios errores, æmulabantur; ingredientes ſiquidem ſuas Eccleſias, vel verius cavernas, deponebant in limine veſtes, quia Paradiſum ſe ingredi dicebant, in quo Adam nudus fuit: execrabantur nuptias, ſe dicebant liberos, nulla lege ligatos: dicebant, Chriſtum non eſſe confitendum, neque pro eo ſubeundum martyrium; & id genus alia.

Hujus fæculi Hæreticis addere neceffe eft *Valentinianos*, ortos a Philofopho *Valentino*, qui circa medium fæculum iftud apparuit, fe-cta Platonicus, ingenio potens & eloquio, natione Ægyptius Græcis Literis eruditus, imitatus eft Heſiodum in affertione triginta Deorum, quos Æonas, id eft, fæcula appellabat. Catholicam fidem amplexus, eam in Ægypto prædicavit: a qua tamen defecit, quod ad Epifcopatum, quem ambiebat, promotus non fuerit. Romæ fub Hygino Papa ad Ecclefiam & fidem rediit, & ibi perfeveravit ufque ad Eleutherii tempora: fed iterum lapfus, cum multos orthodoxos vitiaret, ab Ecclefia in perpetuum ejectus eft. Plures habuit fectatores, qui novos excogitantes errores ultra deliria Magiftri, facti funt Hærefiarchæ. Inter eos fuere magni nominis *Ptolomæus*, *Heraclion*, *Bardezanes*, *Marcus*, *Colarbafius*, quorum omnium conventus profcripti funt a Conftantino Magno. Adverfus Valentinianos fcripferunt Irenæus, & alii. Valentiniani, & Gnoftici fuerunt vocati. Valentinus fcripfit diverfas Epiftolas, & Evangelium, in quo defcripfit infantiam Salvatoris. Plura etiam apocrypha collegit in fuis fcriptis ad fuas ineptias extollendas. Pfalmos item compofuit, & commentarium infcriptum *Sophia*. Tanta infuper Valentinianorum fuit procacitas, ut convinci potuerint, fuaderi non potuerint, cum enim teftimonio Scripturæ & Traditionum urgerentur, fe melius quam Salvatorem interpretari doctrinæ myfterium dicebant.

Errores Valentini præcipui funt fequentes: 1. Triginta Deos finxit, quos Æonas, id eft, fæcula nominabat, eorumque quindecim mafculos, & totidem fœminas, quorum permixtione alii generarentur, atque ex his Salvatorem omnium effe profectum. 2. Docuit, Jefum Chriftum fic natum de Virgine, ut ex ea nihil acceperit, fed per ipfam velut per canalem tranfierit, & carnem de cœlo fecum duxerit. 3. Negavit refurrectionem hominum. 4. Tria conftituit genera hominum, carnale, animale, & Spirituale. Spiritualibus, inter quos fe, fuosque recenfebat, negabat neceffaria effe bona opera, quæ folum neceffaria effent animalibus, ut fpirituales effici poffent: carnales vero nullatenus poffe etiam per bona opera falutem confequi afferebat. 5. Martyrium fubeundum effe negabat. Valentiniani denique appellare confueverunt Catholicos, fimplices, quafi idiotas, & nihil fcientes, eo quod peccare timerent; fed & Catholicos gratiam in ufum tantum accipere blaterabant, ideoque ab his auferri; fe vero tanquam proprietarios eam poffidere.

§. IV.

§. IV.

SS. Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici hujus II. Sæculi.

1. S. Anacleto tribuuntur tres Decretales Epiſtolæ: verum Critici eas habent ſuppoſititias. De his & aliis uſque ad Siricium Papam ſuperius Part. 3. Art. 16. Num. 185. & ſeqq. egi. Hic tantum addo ſententiam D. Sandini, qui in notis ad vitam S. Anacleti ſic confirmat mea ſuperius afferta: „Epiſtolæ tres Decretales, quæ Anacleti nomen præſeferunt, ſubdititiæ habentur: item aliæ, quæ „Pontificibus ante Siricium adſcribuntur, iis tantum exceptis, quæ „memorantur a SS. Patribus, vel antiquis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ „Scriptoribus. Ita cenſent Eruditiſſimi Cardinales Bona L. 1. Rer. „Liturgic. c. 3. §. 1. Bellarm. L. 2. de Rom. Pontificibus c. 14. Baro„nius ad annum 865. §. 8. qui affirmat, *illis non indigere Sanctam Roma„nam Eccleſiam:* addit tamen, injuria nihilominus a Blandello atrocio„ribus verbis Epiſtolas illas dilacerari, quas e ſententiis & verbis Le„gum, Canonum antiquorum, & SS. Patrum, qui quarto & quinto „ſæculo floruerunt, ſi pauca demas, concinnatas eſſe conſtat." Hæc plane in Synopſi repetunt, & confirmant, quæ ſuperius de his Epiſtolis afferui. 230.

2. S. Ignatius Evodii, primi poſt S. Petrum Antiochiæ Epiſcopi, ibi martyrio coronati, Succeſſor anno (ut creditur) Chriſti 71. S. Joannis Evangeliſtæ cum Polycarpo Diſcipulus, ſub Trajano Martyr Romæ occubuit anno circiter 111. Sub nomine hujus Sancti 15. Epiſtolæ memorantur, ſed non omnes eodem loco & pretio ſunt apud Eruditos.

Itaque ſeptem ab Eruditis Catholicis reputantur genuinæ, nimirum ad Epheſios una, ad Magneſianos una, ad Trallianos una, ad Romanos una, ad Philadelphios una, ad Smyrnenſes una, & una ad Polycarpum Smyrnæ Epiſcopum: Harum enim mentionem fecere mox laudatus S. Polycarpus in ſua ad Philippenſes Epiſtola, per quam eaſdem illis tranſmittit: Dionyſius Areopagita, Irenæus, Athanaſius, Chryſoſtomus, Euſebius L. 3. Hiſt. c. 30. Theodoretus, Hieronymus, de Script. Eccleſ. c. 16. & alii, qui eas ut germanas S. Ignatii Epiſtolas laudant.

Quinque velut dubiæ habentur, una ad Mariam Caſſabolitam, quæ putatur illa, quam Paulus ad Romanos ſcribens ſalutat c. 16. ℣. 6. *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Una ad Antiochenos, ad Tharſenſes una, item una ad Philippenſes, una ad Heronem Antiochiæ Diaconum. Hæ licet ſtylo & ſpiritu non abludant a prioribus

prioribus feptem, tamen ideo dubiæ a non nullis cenfentur, quia Eufebius, & Hieronymus de iftis omnino filent, dum priores commendant.

Tres reliquæ, nempe una ad B. V. Mariam Chrifti Matrem, ad S. Joannem Seniorem, feu Evangeliftam duæ, communiter ab omnibus fuppofititiæ exiftimantur, tum, quia nec tempus nec ftylum fapiunt S. Ignatii: tum, quia nullibi in Codicibus inventæ, nec ab ullo ex antiquis Patribus laudatæ fuerunt, atque primum a S. Bernardo ferm. 7. in Pfal. 90. memoratæ dicuntur.

3. S. Dionyfius Areopagita, S. Pauli Apoftoli in Chrifto Filius, & Difcipulus, SS. Ignatii & Polycarpi contemporaneus, Athenis, ut aliquibus placet, natus, vel e Thracia oriundus, ut alii credunt, celebris Areopagi Senator, qui cum Heliopoli effet cum Appollophane gentili Philofopho, notabilem illam obfervavit, quæ Chrifto e cruce pendente accidit, Solis eclipfin; Athenas dein reverfus, ibique S. Paulum de Chrifti paffione, & Lege Evangelica dicentem audiens, ad fidem Chriftianam converfus eft cum muliere, cui nomen Damaris, & aliis, ut legitur Act. 17. ỳ. 34. Difcedens Areopago poftmodum adhæfit Paulo Difcipulus ejus, a quo non multo poft Atheniensium fidelium primus Epifcopus creatus, cum ibi & in vicinis civitatibus Evangelium aliquot annos prædicaffet, Athenis, alio Epifcopo fubftituto, profectus eft Romam, & inde a S. Clemente I. Romano Pontifice cum aliis Apoftolicis viris in Gallias miffus, primus ibi Parifienfium Epifcopus, multis ad fidem converfis, a Fefcennino Præfecto, fuperatis aliis tormentis, pro fide Chrifti capite plexus eft ætatis fuæ anno, ut creditur, 110. anno Chrifti 120. de hac Hiftoria latius extenfa vide Annatum L. 4. de SS. Ecclefiæ Patribus Articulo 8. ego, id quod mei folum fori eft, pertractans, breviter ejus fcripta luftro, quæ magnas jam crifes fuftinuere, & a me tam in Jufta Defenfione, quam in ipfa continuatione ejusdem Defenfionis Revelat. Agredanorum jam funt latius defenfæ.

Itaque fcripta ejus funt fequentia: 1. Liber de cœlefti Hierarchia in 15. capita diftributus, directus S. Timotheo Ephefiorum Epifcopo, quem Con-Presbyterum, ficut & fe ipfum Presbyterum appellat. 2. Liber de Ecclefiaftica Hierarchia in 7. capita divifus, & ad eundem Timotheum directus. 3. Liber de Divinis Nominibus in 13. capita divifus, ac iterum ad eundem Timotheum directus. 4. Liber de Myftica Theologia 5. capitibus comprehenfus, pariter ad Timotheum directus. 5. Epiftolæ quatuor ad Cajum Monachum, hoc eft, ad Cajum e Therapeutis unum, quos Monachos vocat,

non quod ſoli habitarent; tunc enim temporis tales Solitarii ſeu Monachi non dabantur: ſed quod ſingularem, curisque ſolutam, & ſoli Deo intentam vitam agerent. Atque hunc Cajum S. Maximus Commentator operum S. Dionyſii in ſuis Scholis exiſtimat eum eſſe, ad quem S. Joannes Evangeliſta ſuam tertiam ſcripſit Epiſtolam. 6. Epiſtola una ad Dorotheum Miniſtrum ſeu Diaconum. 7. Ad Soſipatrum Socratem una. 8. Ad Polycarpum Smyrnæ Epiſcopum una. 9. una ad Demophilum Monachum, ſeu therapeutam. 10. ad Titum Cretæ Epiſcopum a S. Paulo conſtitutum una. 11. ad S. Joannem Apoſtolum & Evangeliſtam una in Pathmos, ſeu Cycladum inſula una exulantem 12. una ad Appollophanem Philoſophum antea gentilem, qui cum ipſo contemplabatur eclipſin illam in paſſione Chriſti, quem modo ad fidem converſum hortatur ad conſtantiam in ea. Inſuper, ut ait Bellarminus, ferebatur a Dionyſio una Epiſtola ſcripta ad S. Paulum, ſed ab omnibus merito rejecta eſt. Hac ergo excluſa de reliquis ſic ſtatuo:

231. Hæc opera non eſſe genuina D. Dionyſii contendunt Lutherani, & alii hæretici; quod non miror: quia ex ipſis maxima, & plura myſteria Religionis noſtræ diſcimus tradita: harum igitur Traditionem antiquiſſimum hunc teſtem e medio tollere conantur: ſed hoc miror, quod plures Eruditi Catholici cum Lanojo illorum veſtigia premant. Verum contra hos omnes communis & inconcuſſa (ut Annatus & Cartier loquuntur) opinio tenet, opera adducta eſſe germanos partus S. Dionyſii Areopagitæ, cum quibus & ego ſentiens aſſertionem meam hic breviter, nam in citatis duobus opuſculis latius & prolixius, roboro, & confirmo.

Scripta hæc manifeſte indicant, authorem eorum eſſe primi vel ſecundi ſæculi virum; nam L. de Div. Nom. c. 2. & 3. item in Epiſtola ad Titum ſe Pauli Apoſtoli Diſcipulum nominat: ad S. Joannem Evangeliſtam, & ad Polycarpum ſcribens, ſe Joannis Diſcipulum dicit: ad Appollophanem ſcribens, ſe ſolis Eclipſin patiente Chriſto una cum ipſo obſervaſſe notat, nec non ſe B. Virginis exequiis interfuiſſe perhibet cum Petro, Jacobo fratre Domini, & aliis: ſed hæc nullus ſcribere potuit, quam Dionyſius Areopagita illo tempore vivens: niſi quis velit aſſerere, authorem hunc fuiſſe virum inſigniter mendacem, & impoſtorem, quod tamen de iſto Scriptore haud dici valet, utpote cujus ſcripta ubique præſeferunt miram pietatem, ſinceritatem, gravitatem, & ſanctitatem. Et quid commodi habuiſſet talis impoſtor, ſi quarto vel quinto ſæculo, ſuppreſſo nomine ſuo, antiquioris primi & ſecundi ſæculi Patris nomen ſuo operi affinxiſſet?

xiſſet? ſi prava, & non ſana, ac ſancta docuiſſet, potuiſſet inde lucrum habere: ſed opera, vel verius opuſcula illa nil niſi ſanctimoniam ſpirant. Ulterius a tredecim & ultra ſæculis ſub nomine Dionyſii Areopagitæ fuere citata, & recepta hæc opera, quod pluribus ſtatim dilucidabo ex Annato:

Fuere allegata hæc ſcripta a Concilio Oecumenico VI. Act. 4. & 8. contra Monothelitas in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. a Concilio VII. œcumenico contra Iconoclaſtas, ubi allegatur illud de Cœleſti Hierarchia c. 1. ubi ſcribit: *Incorporea agmina diverſis coloribus effigurari, quatenus per Sacratiſſimas effigies ad incorporeas, & ſimplices mentes tranſeamus.*

Fuere citata a SS. Pontificibus: A Martino I. in laudato Concilio Romano; a S. Gregorio Magno Hom. 34. in Lucam; a S. Agathone in Epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum; ab Adriano I. in Epiſtola ad Carolum Magnum; a Nicolao I. in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem.

Fuere laudata a SS. Eccleſiæ Patribus: ut a S. Gregorio Magno jam citato; a S. Maximo Martyre, qui & Scholiis opera hæc illuſtravit, ac adverſus Pirrhum Monothelitam Epiſtolam ad Cajum attulit; a S. Joanne Damaſceno, dum L. 1. de orthodoxa fide c. 15. hæc Dionyſii verba ex c. 1. de Div. Nom. refert: *Enimvero hæc ex ſacris, ut eſt apud Dionyſium Areopagitam, oraculis edocemur, quod Deus omnium cauſa & origo eſt, eorum, quæ ſunt, eſſentia, eorum, quæ vivunt, vita, eorum, quæ ratione prædita, ratio;* a S. Thoma, qui ea nedum allegavit ut ..., na, ſed & commentariis exornavit.

Fuere etiam citata ab innumeris aliis Scriptoribus, Viris eruditis, & magnis, ut loquitur Annatus, quem vide. Ex quibus infertur, & liquet, Scripta iſta ſub nomine Dionyſii Areopagitæ fuiſſe ab undecim ſæculis, & ultra citata a Conciliis, Romanis Pontificibus, SS. Eccleſiæ Patribus, & aliis viris doctis, atque eruditis, ut adeo recte pronunciet Bellarminus in ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis catalogo: *de his operibus Viri Eruditi, & Catholici nihil dubitant, ſoli hæretici Lutherani, & quidam Scioli, Eraſmus, Valla, & pauci alii opera ſupra memorata negant eſſe S. Dionyſii Areopagitæ.* Hæc inculcata velim etiam D. Amort, Hoſti horum operum acerbiſſimo, utpote ſecuto in materia de Scriptoribus Eccleſiaſticis duos perfidos hæreticos Caveum, & Oudinum, ſi non ſufficiunt adducta a me adverſus eum, & impertinentes ejus Criſes, in duobus meis Opuſculis Agredanis: cui etiam dicta ſit, & ejus conſiderationi relicta Cenſura, qua facultas Sorbonæ Theologica 17. Septembris anno 1527. notavit propoſitionem eam

Eraſmi,

Eraſmi, qua adſtruxit, Eruditis videri, eſſe alium a Dionyſio Areopagita authorem horum ſcriptorum: ita ſonat: *Non vere eruditis, ſed Temerariis, & novitatum ſtudioſis videtur non eſſe Dionyſius Areopagites, qui Libros Eccleſiaſticæ Hierarchiæ conſcripſit; quandoquidem ab ipſo Dionyſio Areopagita conſcriptos fuiſſe conſtat: primo quidem ex ipſis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & aliis ejusdem authoris Libris, deinde clarorum Virorum teſtimonio comprobatur, poſtremo ſeptimæ Generali Synodo id fuit dilucidius, ut in qua Magnus Dionyſius appellatur, is, qui libros ſcripſit Cœleſtis Hierarchiæ.* Hæc ſibi notet Amortius, & mentem ſuam mutet, ne ſe ipſum e numero vere eruditorum Catholicorum, quos inter non infimum locum ſe occupare credit, exturbet, & ad gregem non vere eruditorum, & temerariorum Sciolorum ſe dejiciat.

232. Pro Objectionibus diluendis, quarum plures diſſolvi, ut puto, in meis duobus opuſculis Agredanis, hic paucula tantum annecto. 1. Quamvis hæc opera ante Sæculum V. non fuerint allegata, non exinde concluditur, ea non exſtitiſſe. Deinde PP. Antiqui non meminere horum Librorum, quia vel non potuere, nullam notitiam eorum habentes: vel noluerunt, quia voluerunt deſideriis S. Dionyſii morem gerere; optaverat enim vir Sanctus & humilis, ut ſua opera non omnibus, etiam rudibus, nota forent, ſed penes Epiſcopos, & Presbyteros ſolum manerent, ut conſtat ex L. de Eccleſ. Hierarch. c. 1.

2. Non obeſt Dionyſii operibus, quod eorum non meminerit Euſebius & Hieronymus; ſilent enim hi de multis Scriptoribus aliis, ut de Athenagora Philoſopho, qui *inſignem pro Chriſtianis Apologiam*, & eruditum *de mortuorum reſurrectione* librum ſcripſit: tacent quoque de S. Gregorio Thaumaturgo, Joanne Climaco, Cromatio & Auguſtino: ſi de his potuerunt tacere, cur non & de S. Dionyſio? Ipſe Euſebius fatetur, ſe innumeros alios non vidiſſe ſuæ gentis libros: ſi Dionyſianos non vidit, ſed tacuit Euſebius, per conſequens neceſſarium etiam de illis ſilere debuit S. Hieronymus, qui in ſuo Catalogo, ut in præfatione ad *Dexterum* fatetur, tantum recenſuit ea Antiquorum ſcripta, quæ Euſebius adduxit, additis duntaxat iis Authoribus, qui poſt deceſſum Euſebii ad ſua uſque tempora floruerunt.

3. Illa verba ex Epiſtola ejus ad Romanos paulo ante mortem ipſius ſcripta: *Amor meus crucifixus eſt*, non ſunt in Dionyſio, nec a Dionyſio L. de Divin. Nom. c. 4. ſed ſunt ab aliquo inſcio imprudenter, & perperam intruſa, quia verba illa Ignatiana non probant intentum Dionyſii: intendit enim ibi Dionyſius oſtendere, nomen illud ἔρως *amor* accipi ſæpius in ſacris Literis pro charitate, ſeu pro di-

dilectione spirituali; & in Epistola S. Ignatii nequaquam sic sunt, sed pro concupiscentiæ igne, & rerum terrenarum desiderio, ut integra verba Ignatii satis ostendunt, quæ sic habent: *amor meus crucifixus est, nec est in me ignis rei ullius terrenæ amans.* Præterea falsum est, Dionysium obiisse ante Ignatium: siquidem Ignatius anno Trajani 11., Christi vero 111. & S. Dionysius anno Trajani ultimo, seu vigesimo, & Adriani primo, Christi vero 120. obiit. Unde nec impossibile, nec mirum est, a S. Dionysio Ignatii Martyrium jam passi Epistolam esse citatam.

4. Nulla a S. Dionysio describitur Traditio, vel ritus, qui non illo tempore fuerit in usu, licet non tam solenni apparatu, quo deinceps. Per Monachos, ut jam monui, non intelligit Cænobitas, quales nunc sunt, aut Eremitas, sed Therapeutas, qui jam tunc existebant.

233. S. Papias Aristionis, & Joannis Senioris, seu Presbyteri, & non Apostoli auditor, S. Polycarpi familiaris, & coævus in Phrygia Asiæ Minoris Episcopus quinque juxta Eusebium & S. Hieronymum scripsit libros, quibus titulus erat: *Explanatio Sermonum Domini.* De quibus tantum nonnulla supersunt fragmenta, in quorum præfatione monet, se non varias opiniones, sed Apostolorum collegisse dicta ab iis, qui cum illis fuerant conversati.

Creditur opinionis, vel verius, fabulæ de Millenario post resurrectionem futuro in terris Christi cum Sanctis regno fuisse author, quem secuti sunt Justinus, Irenæus, Apollinaris: nec tamen ille, nec isti propterea hæretici proclamandi sunt, quia illorum ætate necdum pro hæresi haberi cæpit hæc opinio. S. Papias obiit anno 126.

234. S. Quadratus Apostolorum Discipulus, post Publium martyrio coronatum Atheniensis Episcopus ordinatus, Ecclesiam magno terrore dispersam, industria sua, & fide congregavit. Apologiam suam pro Christianis conscriptam, sive Librum Apologeticum pro Religione Christiana, plenum fide & ratione, & Apostolica dignum doctrina Adriano Imperatori obtulit. Dicitur adhuc anno 126. superstes fuisse.

Abdias (cum Bellarmino loquor) Babylonicus, unus ex Discipulis Domini fuisse dicitur: sed Vitæ Apostolorum, quæ sub nomine ejus circumferuntur, fabulis similiores sunt, quam veræ narrationi. Sed neque hujus Abdiæ, aut libri ejus ullam in Veteribus mentionem invenio.

Etiam hæc de Presbyteris Achaiæ, qui S. Andreæ passionem scripserunt, ex Bellarmino transscribere liceat: Extat passio S. Andreæ

dreæ Apostoli sub nomine Presbyterorum Achaiæ, qui dicunt, se scripsisse ea, quibus ipsi interfuerunt. Audivi aliquando magnum virum, eam historiam in dubium revocantem. Sed certe videtur non negari posse, quin vera, & antiqua, & utilis historia sit. —— Tandem ita suam crisin V. Bellarminus concludit: denique in Breviario Romano nuper recognito historia hæc, cum de ea inter doctos acriter disputatum esset, omnium consensu approbata, locum suum retinuit.

S. Justinus Philosophus & Martyr floruit temporibus Antonini Pii, & Successorum ejus Marci Aurelii, & Lucii Veri, & in Apologia ad Imperatorem & Senatum scribit, numerari eo tempore a Christi Nativitate annos 150. Bellarminus L. de Scriptoribus Eccles. ait, eum fuisse post Apostolica tempora primum eorum, quorum scripta ad nos pervenerunt. 235.

Scripta ejus certa sunt & genuina 1. Oratio Parænetica ad Græcos, sive gentes. 2. Apologia pro Christianis ad Antoninum Pium Imperatorem. 3. Altera Apologia pro iisdem ad Senatum Romanum. 4. De Monarchia Dei. 5. Dialogus cum Tryphone Judæo de veritate Christianæ Religionis. Horum quinque meminerunt Eusebius L. 4. Hist. c. 17. & S. Hieronymus L. de Script. Eccles. Addit tanquam partum germanum ejusdem Sancti Cartier Librum de Reprehensione dogmatum Aristotelis. De hoc ita loquitur Bellarminus: *De reprehensione dogmatum Aristotelis meminit Photius in Bibliotheca, neque exstat evidens indicium falsitatis, ideo nihil habeo, quod dicam.*

Dubia opera hujus Sancti sunt: 1. Liber de expositione Fidei catholicæ, seu de recta confessione. De hoc debeo adjungere Crisin Bellarmini bene notandam: *Liber de expositione fidei, cujuscunque sit, insignis Liber est, & Justino authore dignus. Ambigo tamen, an ejus sit, primo, quia Veteres ejus non meminerunt: secundo, quia stilus videtur diversus a stilo Justini: tertio, quia multo apertius & distinctius Differit de Mysteriis Trinitatis & Incarnationis, quam Scriptores ejus sæculi facere soleant.* Hæc mens est Bellarmini.

2. Epistola ad Zenam & Serenum de vita Christiana, de qua idem, ac de priore libro censet Bellarminus. 3. De alio libro quæstionum quinque gentibus a Christianis positarum, facile judicari potest, teste Bellarmino, eum librum non esse Justini; sæpe enim in eo fit mentio Manichæorum, quos constat, post mortem Justini primum esse ortos. 4. Idem judicium, censore Bellarmino, fieri potest de libro alio quæstionum 146 quas gentes Christianis posuerunt; nam quæst. 82. & 86. citatur Origenes, & quæst. 115. citatur Irenæus, &

Martyr appellatur, cum tamen Justinus ante utrumque vixerit, & ipsos præcesserit: siquidem & ipse Irenæus L. 3. Justinum Martyrem adducit tanquam se antiquiorem.

Deperdita Justini opera sunt hæc: 1. Liber de anima. 2. Liber *Psaltes* inscriptus. 3. Liber contra hæreses omnes: imo & liber de Monarchia Dei dimidius periit. Addit Cartier insignia volumina, quorum meminit S. Irenæus in suo quinto adversus hæreses libro.

Objectiones sic evertes. 1. Dum S. Justinus in Dialogo videtur admittere fabulam de Millenario Christi regno, in hoc nullam hæresin docuit, quia hæc opinio tunc necdum pro hæresi fuit agnita. 2. Dum in eodem Dialogo dixit: *Filium in Divinis alium non esse a Conditore mundi*, non erravit, quia non dixit aliud, seu ἕτερον, id est ἄλλο, sed ἕτερος, ut notaret, Filium esse alium in Persona, non aliud in essentia. 3. Dum Justinus in Apologia 1. videtur asserere, Angelos prævaricantes stuprum cum mulieribus habuisse, filiosque procreasse, qui dæmones dicti sunt, non commisit hæresin, licet improbabilem hanc, & falsam opinionem, quæ fuit ipsi communis cum Clemente Alexandrino, Tertulliano, & Cypriano, admiserit; non enim tunc temporis ut hæresis fuit agnita. 4. Dum in Apologia 2. hæc habet: *quicunque cum ratione & Verbo vixere, Christiani sunt, quamvis Athei, & nullius Numinis cultores habiti, quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, & alii*, nihil mali affirmat; sic enim hæc verba capienda sunt: qui conformiter ad rationem, & Verbum Incarnatum vixere, veri Christiani sunt, quamvis Athei, & nullius Numinis falsi, quod gentiles colebant, cultores habiti, quales Athei habiti sunt Socrates, & Heraclitus, utpote non colentes falsos gentilium Deos, eorum vanitatem agnoscentes.

236. Polycarpus S. Joannis Apostoli Discipulus, & ab eo Smyrnensis ordinatus Episcopus, Sanctorum Ignatii, Dionysii Areopagitæ, Justini, & Photini primi Lugdunensis Episcopi coævus, & æqualis, ac Martyr, unam scripsit Epistolam egregiam ad Philippenses, cujus meminit S. Hieronymus in L. de Script. Eccles. & Eusebius L. 3. Hist. c. 30. alias 36. Vixit tempore S. Ignatii, sed supervixit usque ad imperium M. Antonini, ut idem S. Hieronymus eodem loco testatur.

S. Melitho Sardensis in Asia Episcopus floruit sub M. Antonino Vero: obiisse creditur anno Christi circiter 170. Dicto Imperatori obtulit Apologiam pro Christianis, ut refert Eusebius L. 4. Hist. c. 25. Multa scripsit, quorum fragmenta exstant apud Eusebium loco notato,

notato, inter quæ continetur Catalogus Librorum Testamenti veteris, in quo Liber Sapientiæ tribuitur Salomoni: & hic solus liber recensetur a Melithone ex iis, qui in Hebraicis codicibus non habentur: ut etiam solus Liber Esther omittitur ex iis, qui sunt in Hebræo. Addit Bellarminus: tribuitur etiam Melithoni liber de Transitu B. Virginis, qui exstat in 7. Tomo Bibliothecæ SS. Patrum edit. 2. sed indignus liber est, qui tanto viro tribuatur.

Athenagoras æqualis Justini fuit, & insignem Apologiam pro Christianis scripsit, & Imperatoribus M. Aurelio Antonino, & Aurelio Commodo obtulit, quam sub nomine Athenagoræ allegat S. Epiphanius in hæresi Origenis: scripsit etiam librum de Resurrectione. Utrumque opus exstat Tom. 9. Bibliothecæ SS. Patrum edit. 2. & suspicione caret, ut testatur Bellarminus.

237. Referuntur breviter Scriptores reliqui hujus sæculi. S. Theophilus Episcopus Antiochenus sextus ab Apostolo Petro, vixit tempore Marci Aurelii Imperatoris, & sub Commodo ejus Filio obiit, teste Eusebio in Chronico: scripsit multa teste S. Hieronymo de Script. Eccles. sed nunc exstant in 1. Tom. Bibliothecæ Patrum secundæ edit. commentaria in quatuor Evangelia, & libri tres ad Autolycum adversus Christianæ Religionis calumniatores.

De Tatiano hæc scribit Bellarminus: Tatianus S. Justini auditor, scripsit infinita volumina, ex quibus, inquit S. Hieronymus de Script. Eccles. unus contra gentiles florentissimus exstat liber, qui nuper est inventus, & editus in 4. Tomo Bibliothecæ SS. PP. 2. editionis. Porro Tatianus post martyrium S. Justini a fide catholica defecit, & in superbiam elatus, hæresiarcha factus est.

Egesippus æqualis Justini, & Athenagoræ fuit, ut Eusebius L. 4. Hist. c. 21. & S. Hieron: de Script. Eccles. testes sunt. Scripsit Historiam Ecclesiasticam usque ad sua tempora, nempe usque ad Aniceti Pontificatum, cujus Historiæ Eusebius, & Hieronymus meminerunt locis citatis, ubi etiam fragmenta quædam ejusdem leguntur. Nunc non exitat amplius. De Libris vero de excidio Hierosolymæ, qui sub nomine Egesippi circumferuntur, judicium profero Bellarmini dicentis, aut alterius recentioris Egesippi, aut suppostitios esse: certe, ut ille pergit, in L. 3. c. 5. colligitur, post Constantini tempora libros illos fuisse conscriptos.

S. Dionysius Corinthius (fuit enim Corinthiorum Episcopus) claruit sæculo II. sub Antonino Vero, & Aurelio Commodo Imperatoribus. De quo Eusebius in chronico, & L. Hist. Eccles. Ado in Chron. anno 164. & Baronius ad annum 175. Fuit vir singulari eloquen-

quentia, & magno in Ecclesiam universam zelo, quem ostendit in suis Epistolis, quarum octo referunt Eusebius & Hieronymus: nempe ad Lacedemonios: ad Athenienses: ad Nicomedienses: ad Amostrianam in Ponto Ecclesiam: ad Cortinensem in Creta: ad Gnossianos, & ad Pinytum Gnossianorum in Creta Episcopum: ad Romanos, & ad Soterem Romanæ Urbis Episcopum: denique ad Chrysophoram sanctam fœminam.

S. Irenæus sæculum hoc claudit natione, ut creditur, Asianus, officio & dignitate Episcopus Lugdunensis in Gallia, S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi auditor, forte Smyrnæ piis & christianis parentibus ortus: Irenæus græce, latine idem ac *Pacificus* significat, Commodo Imperatore, & Eleutherio Pontifice vixit, ac Imperatore Severo martyrium consummavit. Scripsit multa: sed ad nos solum pervenerunt 5. Libri adversus Valentinum & alios hæreticos, qui pleni sunt doctrina & pietate. Dubium est, græcene, an latine scripserit, quia non reperiuntur ejus libri, nisi in lingua Latina, sed tamen ipse græcus erat, & scripta ejus græcismum redolent: ac S. Hieronymus L. 11. in Ezechielem, ejusque caput 36. expresse Irenæum inter Scriptores græcos numerat, & L. de Script. Eccles. in Tertulliano ait, Tertullianum esse primum Latinorum post Apollonium & Victorem, quorum uterque Irenæo posterior est.

Sæculum III.

§. I.

Summi Pontifices cum crisibus & notis.

238. I. Hujus Sæculi, alias 16. S. Zephyrinus Abundii Filius Romanus anno 203. VI. Idus Augusti creatus Victori successit, mortuus anno 221. postquam sedit annis 18. & diebus 18. Pontificatus ejus anno altero quintam persecutionem Severus Imperator excitavit, tam fœda Christianorum strage, ut creditum fuerit, Antichristi tempora advenisse, & orbis occasum appropinquare. Perperam Montanistarum hæresis ab heterodoxis arguitur; nam Pontifex hic, ut refert Sandini, Proclum pertinacissimum illum inter Cataphrygas Montani sectatorem, a Cajo, viro inprimis diserto ac pio, disceptando convictum damnavit, anathemati simul cum eo subjectis cæteris omnibus ejusdem erroris defensoribus, ut narrat Eusebius L. 5. c. 28. & L. 6. c. 14. & 20. Item Natalium Theodoti Coriarii hæresin, in quam inciderat, abdicantem magna humanitate in Ecclesiæ communionem recepit,

recepit, cum tamen Montanistæ, teste S. Hieronymo Epist. 54. *ad omne pæne delictum Ecclesiæ fores obserarent.* Præterea, si pacificas Literas, ut scribit Tertullianus, Montanistis concessit, deceptus sanctioris vitæ specie, quam illi præseferebant, id fecit, proinde non circa *fidem*, sed *personam* erravit, ut docet Bellarminus L. 4. de Romano Pontifice c. 8.

II. Alias 17mus. S. Callixtus Domitii filius Romanus creatus anno 221. 2. Septembris sedit annis 5. mense 1. diebus 12. occubuit Martyr sub Severo anno 226. 14. Septemb.

III. Alias 18vus. S. Urbanus I. Pontiani filius Romanus, creatus anno 226. 21. Octobris, sedit annis 6. mensibus 7. diebus 4. capite obtruncato Martyr obiit anno 233. die 25. Maii.

IV. Alias 19nus. S. Pontianus Calpurnii filius Romanus creatus anno 233. die 24. Junii, sedit annis 4. mensibus 4. diebus 25. sub Alexandro Imperatore in Buccina Insula exul, sub Maximino sextam persecutionem inchoante Martyrium consummavit anno 237. 19. Novembris.

V. Alias 20mus. S. Anterus Græcus Romuli filius ex Petilia urbe, creatus anno 237. die 21. Novembris sedit mense uno diebus 12. occubuit Martyr sub Maximino anno 238. die 3. Januarii.

VI. Alias 21mus. S. Fabianus Fabii filius Romanus, creatus anno 238. 16. Januarii sedit annis 15. diebus 4. Martyrium pertulit sub Decio anno 253. die 20. Januarii.

VII. Alias 22dus. S. Cornelius Castini filius Romanus, postquam Sedes ultra annum & aliquot menses vacavit, quod Decio sæviente in Christianos Clerus citius ad electionem convenire non potuerit, creatus anno 254., biennio Pontificatus nondum expleto juxta Sandini, anno 255. die 14. Septembris, constantia, sanctitate, ac Martyrii gloria clarus obiit.

Schisma I.

Novatianus Romanus S. R. E. Presbyter, Pseudo - Pontifex sedit contra Cornelium, aliosque post eum Romanos Pontifices annis circiter 6. junxit Schismati hæresin, docens, in Ecclesia non esse potestatem remittendi peccata: unde ortum habuit Secta Novatianorum (A)

VIII. Alias 23tius. S. Lucius Porphyrii Filius, Romanus creatus anno 255. 20. Octobris, fedit annum unum, menses 4. dies 12. Martyr occubuit anno 257. die 4. Martii.

IX. Alias 24tus. S. Stephanus I. Julii seu Jobii Filius, Romanus, antea Cornelii & Lucii Archidiaconus, creatus anno 257. 6. Aprilis sedit annis tribus, mensibus 3. diebus 26. in propria Sede jussu Valeriani decollatus est anno 260. die 2. Augusti. S. Cypriano, & aliis, errorem rebaptizantium baptizatos ab hæreticis propugnantibus, valide & efficaciter restitit, de quo inferius plura. (a)

X. Alias 25tus. S. Sixtus II. Græcus Atheniensis, creatus anno 260. 24. Augusti, sedit mensibus 11. diebus 13. sub Valeriano Martyr occubuit anno 261. die 6. Augusti.

XI. Alias 26tus. S. Dionysius Græcus Anachoreta, antea sub Stephano Romano Urbis Presbyter, creatus anno 261. 10. Septembris, sedit annis 11. mensibus 3. diebus 15. exiit e vita anno 272. 26. Decembris. (B)

XII. Alias 27mus. S. Felix I. Constantii Filius, Romanus, creatus anno 272. 31. Decembris, sedit annis 2. mensibus 4. diebus 29. obiit Martyr anno 275. die 30. Maij.

XIII. Alias 28vus. S. Eutichianus Tuscus, patria Lunensis, Marini seu Martini filius, creatus anno 275. die 4. Junii, sedit annos 8. menses 6. dies 4. obiit Martyr sub Numeriano anno 283. 8. Decembris.

XIV. Alias 29nus. S. Cajus Dalmata Salonitanus, Caii Filius, propinqua cognatione Diocletiano Imperatori junctus, creatus anno 283. 17. Decembris, sedit annis 12. mensibus 4. diebus 6. miseriis oppressus, Diocletiani sui Consanguinei persecutionem fugiens obiit anno 296. 22. Aprilis.

XV. Alias 30mus. S. Marcellinus Romanus, Projecti filius creatus anno 296. sedit annis 7. mensibus 9. diebus 27. sub Maximiano Martyr obiit anno 304. die 26. Aprilis. (c)

§. II.

Notæ quædam Criticæ, ubi etiam de Conciliis.

239. Hoc sæculo quidem nullum generale Concilium fuit convocatum; quædam de nonnullis particularibus Synodis notant Authores, quæ, cum ad Historiam Pontificum declarandam utilia sunt, hic breviter adduci petunt.

(A.) Cornelius contra Schisma Novatiani 60. Episcoporum concilium convocavit, atque in eo Novatianum, & ejus Sectatores damnavit, & Confessores, qui lapsi fuerant, ad reconciliationem & pœnitentiam admittendos esse decrevit.

Aliam

Aliam præterea habuit Romæ Synodum, ut scribit Sandini, in qua lapsorum causa finita est, ac statutum, ut ii extra mortis periculum non nisi peracta diuturna pœnitentia reciperentur in communionem.

(a.) S. Stephano Pontifice agitata est controversia, *num, qui ab hæreticis baptizati erant, cum ad Catholicam Ecclesiam se conferrent, essent denuo baptizandi?* S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus cum Africanis, & Firmilianus Cæsareæ in Capadocia Antistes cum plurimis Episcopis Orientalibus collatum ab hæreticis baptisma iterandum esse, non modo affirmarunt, sed & multis in Asia & Africa celebratis Conciliis confirmarunt. S. Stephanus sola nixus Traditione obstitit fortiter, nulloque in illos vibrato anathemate omnes eorum conatus elusit.

(B.) Dionysius Papa dicitur Concilium celebrasse Romæ, in quo discussa est causa Dionysii Episcopi Alexandrini ab Antistitibus Pentapolitanis accusati, quod id de Filio Dei sentiret, quod postea Arius sensit: In hoc Concilio Romano, cum Dionysius ille Episcopus per Epistolam aperuisset sententiam suam, purgasset que objectum crimen, omnis exors culpæ magno consensu declaratus est. Ita in Ipsius Vita Sandini, qui ulterius pergit: Idem Pontifex creditur in eadem urbe habuisse Synodum contra Paulum Samosatenum Episcopum Antiochenum abrogantem Christo Divinitatem. Sed, qui ita credunt, eos decipi, loco S. Athanasii non recte intellecto, docet Pagius anno 264. §. 4.

Sub eodem Pontifice anno circiter 262. vult Harduinus celebratum in Africa Concilium, in quo sancitum est, hæreticos non esse rebaptizandos, ut testatur Hieronymus adversus Luciferianos c. 8. his verbis: *Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo* (Cypriano) *statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum.*

(c.) Historia de Lapsu Marcellini, & Concilio Sinuessano trecentorum Episcoporum in causa ejusdem Marcellini jam superius N. 145. ut fabula explosa est. In hoc sensu etiam est Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. L. 4. de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione p. 2. c. 13. n. 5. Hæc de Conciliis hoc sæculo.

§. III.

Hæretici hujus sæculi.

1. *Sabelliani*, a Sabellio sic dicti, qui unicam in SS. Trinitate personam admittebant. 240.

2. *Tertullianistæ* a Tertulliano, qui Sectæ Montani nomen dedit, ac insuper varios errores asseruit: præcipuos hic commemoro. 1. dixit, Deum esse corporeum L. de pœnit. c. 3. & variis aliis locis, ac libris. 2. Etiam animam humanam esse corpoream. 3. Eam ex Traduce per semen fieri, atque simul cum carne in utero matris seminari. 4. Justorum animas ante diem judicii in cœlum non recipi. 5. asseruit millenarium Christi in terris regnum post resurrectionem. 6. Baptizatos ab hæreticis rebaptizandos. 7. secundas nuptias esse malas, & stupra. 8. fugam in persecutione esse illicitam.

3. *Encraitæ* & *Hidroparastatæ* Tatiano Authore &c. & *Severiani* a Severo quodam orti §. sequenti in Ammonio referuntur.

4. *Origenistæ* ab Origene, qui asserebat 1. animas longe ante corpora fuisse creatas, & in corpora immissas propter peccata ab ipsis antea commissa. 2. Dæmones, & damnatos post mille annos fore beatos. Plura alia gravissima errata Origenis videre potes apud Cartier de Ecclesiæ Patribus in Origene. Plura dicentur etiam §. de Patribus & Scriptoribus.

5. *Pauliani* a Paulo Samosateno, docebant, Christum purum esse hominem, qui non prius exstiterit, quam natus sit de B. Virgine. Deficiebant etiam in forma Baptismi; unde eos rebaptizandos decrevit Nicænum Concilium.

6. *Rebaptizantes*, qui ab hæreticis baptizatos rebaptizandos volebant.

7. *Manichæi* a Manete dicti, qui 1. negabant Trinitatem, 2. duo admittebant rerum principia, bonum unum, malum alterum. 3. negabant, Christum vere esse passum. 4. Manes asserebat, se esse Spiritum Sanctum.

8. *Novatiani*, a Novatiano Pseudo-Papa, & Novato Afro Presbytero dicti, contendebant, semel lapsos nunquam ad pœnitentiam recipiendos, secundasque nuptias esse malas. Hanc hæresin innovavit *Meletius*, a quo postea dicti sunt *Meletiani*, qui postmodum cum Arianis se conjunxerunt.

§. IV.

De Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis hujus sæculi.

241. 1. Tertullianus (de quo hic loquor, non tanquam de Ecclesiæ Patre, sed tanquam de viro eruditione multa claro) fuit natione Afer, patria Carthaginensis, Patre natus Ethnico Centurione proconsulari, floruit sub Imperatore Septimio Severo: Sub hoc ad fidem Christi e gentili conversus, pro more Christiano, dimissa toga pal-

lium induit. Carthaginenſis Eccleſiæ poſtmodum Presbyter effectus, plurimos eruditione plenos pro Eccleſia ſcripſit Libros. Tandem Procli cujusdam Montaniſtæ inſania deluſus, & aliunde Clericorum Eccleſiæ Romanæ contumeliis & invidia læſus, in Montani inſanum dogma prolapſus turpiter, contra Eccleſiam varia edidit volumina. Fertur vixiſſe usque ad decrepitam ætatem; Sed an poſt lapſum ad Eccleſiam redierit, & quo mortis genere, ubi & quando vitam clauſerit, nullibi conſtat. Itaque operæ pretium eſt, ut ſcripta ejus bene ſecernantur, antequam legantur.

Scripta ejus pro Eccleſia hæc recenſentur: 1. Apologeticus liber pro Chriſtianis perſecutione vexatis ſub Severo Imperatore, & ſæviente quinta poſt Neronem perſecutione. 2. Ad Nationes libri duo de eodem argumento; ſed illius operis paginæ complures ita corruptæ, & vetuſtate corroſæ ſunt, ut, quale nobis ſupereſt, parum utile ſit. 3. De teſtimonio animæ liber unus, quo probat, animam teſtari Dei veri exiſtentiam. 4. Ad Scapulam Provinciæ Africæ Præfectum liber unus pro Chriſtianis non vexandis. 5. De Spectaculis vitandis liber unus, cui occaſionem præbuiſſe videntur ludi Sæculares Romæ editi Imperatore Severo, in quibus exhibebantur varia certamina, & varia voluptatum occaſio, a quibus ut fugerent Chriſtiani, in præfato libro monebat. 6. De Idololatria, quam grave ſit ſcelus, liber unus. 7. De Corona militis liber unus pro tuendo milite Chriſtiano, ob non geſtatam in capite, ſed manu coronam, ſeu Lauream caſtrenſem, quam cæteri gentiles milites ex ſuperſtitioſorum ſuorum Sacrorum ritu geſtabant. In hoc libro mira eruditione propugnat Traditiones non ſcriptas. 8. De Pallio liber unus. 9. De duplici Pœnitentia, una ante baptismum, altera poſt baptiſmum, quam græco vocabulo Exomologeſin vocat. 10. De oratione liber unus, ubi orationem Dominicam explicat. 11. Ad Martyres liber unus. 12. De Patientia liber unus. 13. De Habitu muliebri liber unus. 14. De cultu fœminarum liber alter. 15. Ad uxorem ſuam libri duo. 16. De velandis virginibus liber unus. 17. Adverſus Judæos liber unus, quo Meſſiam veniſſe probat. 18. De Præſcriptionibus adverſus hæreticos, quo probat hæreticorum doctrinas non eſſe audiendas, quia novæ ſunt. 19. De Baptiſmo liber unus, quo baptismi neceſſitatem oſtendit. 20. Adverſus Hermogenem hæreticum ex Africa liber unus, quo probat, materiam non eſſe æternam. 21. Adverſus Valentinianos liber unus, quo Deorum multitudinem evertit. 22. De anima liber unus, cui varios de anima immiſcet errores. 23. De carne Chriſti liber unus, quo Chriſtum ve-

ram assumpsisse carnem probat adversus Marcionem, Appellem, Valentinum, & Basilidem hæreticos. 24. De Resurrectione carnis liber unus. 25. Adversus Marcionem libri quinque. 26. Scarpiacum, seu Antidotum liber unus de bono Martyrii contra Gnosticos. 27. Adversus Praxeam, qui primus ex Asia Patripassianorum hæresim Romam attulerat, liber unus, quo Deum Trinum in Personis defendit.

242. Scripta Tertulliani contra Ecclesiam sunt: 1. De Exhortatione Castitatis, liber unus, in quo secundas nuptias dissuadet, atque in eas tam vehementer invehitur, ut quasi adulterium illas reprobet. 2. De Monogamia, seu unicis nuptiis, quo secundas nuptias aperte, & ex professo damnat. 3. De fuga in persecutione, ubi talem fugam illicitam asserit. 4. De Jejuniis adversus Psychicos, seu animales, sic appellat Catholicos, contra quos rigida, & insolita Montani jejunia tuetur. 5. De Pudicitia liber unus, ubi secundis nuptiis junctos, quasi mæchos ad pœnitentiam non admittendos, persequitur.

Præter hæc duo adhuc sub nomine Tertulliani circumferuntur opera, unum de Trinitate, alterum de cibis Judaicis. Primum illius esse, contendit Ruffinus; negat vero S. Hieronymus, vultque, illud esse Novatiani cujusdam; quia in eo nominatim confutatur hæresis Sabelliana, quæ primum post Tertullianum, & Novatiani ætate grassari cœpit. Alterum non sapit Tertulliani stilum, sed Episcopi cujusdam, qualis Tertullianus non fuit, populo suo scribentis, ut vult Bellarminus.

Pro coronide ex Bellarmino de Script. Eccles. moneo, Tertulliani libros cum judicio esse legendos, non eos tantum, quos teste S. Hieronymo contra Ecclesiam scripsit, sed etiam Librum adversus Praxeam, Librum de anima, librum adversus Hermogenem, librum de carne Christi, librum de pœnitentia; in his enim propositiones non paucæ vel erroneæ, vel suspectæ occurrunt. Oportet itaque nos sequi consilium S. Hieronymi, ac Tertullianum sic legere, sicut Origenem, Novatum, Arnobium, Apollinarem, & nonnullos alios Scriptores græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemus contraria, juxta Apostolum dicentem 1. Thessal. c. 5. ℣. 21. *omnia probate, quod bonum est, tenete.*

243. Titus Flavius Clemens vulgo, & merito dictus Alexandrinus, quia Alexandriæ natus, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, & Alexandriæ quondam Pantæni Philosophi auditor, ac ejus post mortem in Ecclesiastica Alexandriæ schola successor, ibique Origenis Magister, & Neophytorum Catechistes Venerandus, & insignis: floruit sub Severi

veri

veri Imperatoris, ejusque filii M. Aurelii Antonini Caracallæ temporibus, secundo sæculo cadente, & obiisse creditur ineunte tertio circa annum Christi 220. postquam Ecclesiam mira sua eruditione multum illustravit. Quid de ejus vitæ sanctitate censendum sit, ex iis colligi potest, quæ Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. disputat in Epistola, vel Bulla ad Regem Portugalliæ præfixa novo & correcto Martyrologio Romano, ab Eodem Pontifice edito: cui tamen hujus clarissimi viri nomen iterum non est insertum, licet passim Sanctus audiat.

Multa scripsit, quorum meminerunt Eusebius L. 1. Hist. c. 11. & S. Hieronymus de Script. Eccles. Nunc vero, ait Bellarminus, hæc opera supersunt: 1. Stromatum libri octo; at hujus operis initium, ut testatur Cartier, injuria temporum periit. 2. Pædagogi libri tres. 3. Oratio exhortatoria ad gentiles. Neque de his ulla dubitatio est. Meminit etiam Cassiodorus in Libro 1. Divinorum explanationis Clementis Alexandrini in Epistolas canonicas, de qua istud est Bellarmini judicium: *an ea sit, quæ in Bibliotheca SS. Patrum invenitur, facile judicare non possum.* Non desunt in hoc insigni authore sententiæ aliquæ, quæ errorem sapiunt, ob quas Gelasius Papa in Concilio Romano Clementis hujus opuscula inter apocrypha retulit. Verum, utrum sententiæ illæ ab hæreticis insertæ sint, ut aliqui pie credunt, aut authori more humano exciderint, ignoramus, ait V. Bellarminus.

Minutius Felix Tertulliani æqualis scripsit Dialogum inter Christianum Octavium, & Ethnicum Cæcilium, qui Dialogus Octavius inscribitur. Inde factum est, cum author ignoraretur, ut septem libris Arnobii contra gentiles veluti octavus jungeretur. Verum in veritate non est octavus Arnobii, sed Octavius Minutii Felicis, Causidici Romani insignis, ut S. Hieronymus testatur de Script. Eccles. 244.

S. Hippolytus Episcopus Portuensis, Clementis Alexandrini Auditor, sub Alexandro Severo anno 220. Martyr obiit. Eusebius L. 6. Hist. c. 16. & S. Hieronymus in L. de Scriptor. Eccles. multa enumerant, quæ Ipse scripserit. Nunc autem solum supersunt excerpta quædam ex Libris S. Hippolyti de Theologia & Incarnatione apud Henricum Canisium antiquæ Lectionis: nec non in Bibliotheca SS. Patrum Oratio de consummatione mundi, de Antichristo, de secundo adventu D. N. Jesu Christi.

Julius Africanus Origene paulo senior fuisse videtur, cum in Epistola ad Origenem scripta, hunc filium appellet. Scripsit librum de temporibus mundi usque ad Macrinum Imperatorem, sub quo ipse floruit.

floruit. Verum hi libri interciderunt, licet adhuc exftiterint tempore Photii, ut ipfe in Bibliotheca fcribit. Reliqua eft hoc tempore folum una Epiftola ad Origenem de Hiftoria Sufannæ, ubi eam fabulofam effe vult: cui tamen refpondit Origenes, demonftrans, eam effe veram. Epiftola ifta Julii exftat in fecundo tomo operum Origenis.

245. Origenes Adamantius fuit vir Ægyptius, patria Alexandrinus, in fide ac Sacris Literis Difcipulus Clementis Alexandrini, S. Leonidis Martyris filius anno 185. genitus, juxta S. Hieronymum ab infantia magnus, fublimis ingenio, eruditione profundus, & ita patiens laboris, ut ob infatigabilem in fcribendo, legendoque patientiam Adamantius cognomine dictus fit, & adeo caftus, ut dum Alexandriæ poft Clementem Alexandrinum in Schola facra Catechiftes effet præpofitus, octavum & decimum tantum agens annum, ibi nedum viris, fed etiam fœminis Verbum Dei prædicaret, ac amore caftitatis, illo Chrifti dicto Matth. 19. ℣. 12. *funt Evnuchi, qui fe ipfos caftraverunt*, fimplicius & rudius intellecto, fe ipfum caftraverit. Summo Martyrii defiderio in juvenili adhuc ætate æftuabat, qui & Patri fuo hortator exftitit, ut ad Martyrium fortiter properaret. In odium Patris martyrio coronati, omnibus fortunæ bonis exutus, cujusdam Matronæ nobilis fubfidiis fuftentatus, Sacram Scripturam Alexandriæ explanavit, confluentibus ad eum magni nominis Auditoribus, inter quos Gregorius Thaumaturgus recenfetur. Poftmodum Romam profectus ad Zephyrinum Papam, Mammeam Alexandri Imperatoris matrem in fide inftruxit. Alexandriam reverfus, plures hæreticos ad frugem reduxit, quapropter ab hæreticis fæpe quæfitus ad necem, interim ab Alexandro Epifcopo Jerofolymitano ad Sacerdotium promotus, Tyrum, & inde Romam ad Fabianum Papam fe contulit, ubi emiffa fidei confeffione fe a nota hærefis purgavit. Perfequente Ecclefiam Decio, magnos labores & tormenta paffus eft: dicunt tamen aliqui, quibus Sianda non videtur plenam fidem habere, eum etiam fidem negaffe, & thus Diis obtuliffe, ne cogeretur impuro mifceri Æthiopi, & nefando crimine fe contra caftitatem contaminare.

Verum, utut initia Origenis fuerint bona, & is excelluerit doctrina, & ab initio virtute, deceptus tamen Philofophia Platonica tot errores, ac impia dogmata fparfit, ut illum non Origenem, fed hærefum fere omnium originem vocitent nonnulli. Et licet fint, qui defendant Origenem, & pro ipfo etiam Sianda in Lexico Polemico tom. 2. ℣. Origeniani peroret, tamen ita claudit fermonem: *Cæterum, cum plures SS. Patres Origenis doctrinam in pluribus capitibus damnaverint,*

Origenis, inquam, Adamantii, cum idem fuerit Ecclesiæ in pluribus Conciliis congregatæ judicium, non nisi temeritatis notam incurrere videtur, quisquis ab omni labe hæreticali Origenem vindicare enititur. De hoc ait Cassiodorus: *Origenes, ubi bene, nemo melius, ubi male, nemo pejus.* Vincentius Lirinensis ait de eo, tot opera scripsit, *ut nemo mortalium plura, ut mihi non solum non perlegi, sed nec inveniri posse videantur.* Mortuus est Tyri anno ætatis 69. Christi 254. Virum hunc æternum periisse ex Prato Spirituali c. 25. refert Bellarminus. Ejus verba sunt: *In quadam revelatione visus est Origenes cum Ario, aliisque hæreticis in gehennæ ignibus torqueri. Citatur autem Pratum Spirituale in 7. Synodo generali, ne quis eum librum spernendum esse censeat.* Ita Bellarminus de Script. Eccles. in Origene. De senis millibus Librorum, quos scripsisse fertur, pauci duntaxat, iique indubitati existunt, in duos Tomos distributi in Edit. Paris. Genebrardi anni 1574.

Scripta hæc Origenis, quæ nunc exstant, sunt sequentia: Homiliæ nempe variæ, sive Tractatus, vel Commentarii in S. Scripturam, 1. in Genesin Homiliæ 17. 2. in Exodum Homil. 13. 3. in Leviticum Homil. 28. 4. in Numeros Homil. 26. 5. in Josue Homil. 9. 6. in Librum Judicum Homil. 1. 7. in Librum Regum libri tres. 8. in Job Homil. 9. 9. in Psalmos 36.tum 37.timum & 38.vum Homil. 9. 10. in Cantica Canticorum Homil 9. 11. in Isaiam Homil. 14. 12. in Jeremiam Homil. 14. 13. Commentaria in Job, & Homiliæ 4. in eundem, quæ omnia habentur in primo tomo. 14. Tractatus 23. in Mathæum. 15. Homiliæ 39. in Lucam. 16. Tractatus 30. in Joannem. 17. Homiliæ 10. in diversos novi Testamenti locos. 18. Libri, sive Tractatus 36. in Epistolam ad Romanos. 19. Periarchon, hoc est, de Principiis Libri 4. qui sunt a Ruffino Presbytero in latinum translati. 20. Susannæ Historiæ Epitome. Item de eadem Historia Julii Africani Epistola, & ad eundem Origenis responsio: quæ omnia inveniuntur in Tomo 2. Editionis laudatæ Parisiensis.

His merito addi petunt Tetrapla, Exapla, & Octapla Origenis labore contexta: de quibus jam egi parte 1. hujus Tomi Num. marg. 47.

Crises quædam de Libris Origenis.

245. Homiliæ in Leviticum inveniuntur quoque inter libros S. Cyrilli; sed hujus non sunt, vere autem Origenem authorem habent, Judice Bellarmino de Script. Eccles. nam phrasin Origenis servant, & erroribus ejus scatent.

Libri

Libri tres in Job Origeni tribui nequeunt; quippe eorum author, quisquis deinde fuerit, libro 1. *Homousianorum* mentionem facit: sed nomen *Homousianorum* inventum est primum tempore Arianorum post mortem Origenis ortorum. 2. Idem author L. 2. meminit S. Luciani jam martyrio coronati: ast Lucianus est Origene posterior.

Commentaria in Job similiter non videntur esse Origenis; siquidem, ut observat Bellarminus, author eorum in explanatione cap. 3. affert expositionem S. Luciani posterioris Origene; 2. in explicatione cap. 7. & 8. nominatim refutat Manichæos post Origenem primum ortos.

Homiliæ 10. in diversa loca Evangelii pariter omnes Origenis esse nequeunt, 1mo quia in Homilia in cap. 1. Joannis author, quiscunque sit, meminit Manichæorum, & Arianorum Origene posteriorum. 2. Quia in Homilia 9. inveniuntur fragmenta ex S. Hieronymo in ultimum caput Isaiæ Prophetæ, imo & alia ex S. Gregorio L. 15. Moralium c. 14. at vero S. Hieronymus, & S. Gregorius multo tempore post Origenem vixere. 3. In Homilia de S. Magdalena stilus est plane Latinus, proinde non Origenis. Tractatus 5. in Matthæum etiam latini authoris videtur esse, ut existimat Bellarminus cum Cartier, & Annato.

His descripsi Originem non ut Patrem Ecclesiæ, sed ut virum sua eruditione magnum, qui tamen pluribus erroribus se, & sua scripta contaminavit, inde merito cum suis Scriptis sæpius damnatus a Patribus & Conciliis, & cautissime legendus. Non obstante hac damnatione, non raro Scripta Origenis a Theologis, Patribus etiam, ac Doctoribus allegantur; non enim omnia per Ecclesiam sunt damnata scripta Origenis, sed solum ea, quæ fuere a B. Hieronymo reprobata, dicente Gelasio cum Romano 70. Episcoporum Concilio: *Origenis non nulla opuscula, quæ vir Beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum authore suo dicimus esse renuenda.*

Verum licet apud plerosque male audiat Origenes, habet tamen etiam suos egregios Vindices. Si forsan non in omnibus, certe in aliquibus videtur esse excusandus. Sane recte scribit Dominus Cartier: *Nec desunt nostra ætate orthodoxi Scriptores, qui ea, quæ paulo durius circa mysterium SS. Trinitatis elocutus est, benigne interpretentur.* Ipse S. Athanasius in Concilio Nicæno contra Arianos pugnans, allegavit Scripta Origenis: quod non fecisset, si, ut quidam ei adscribunt, Filium Dei creaturam, & Patre minorem asseruisset. Hic S. Pater & Doctor in Decretis contra hæresin Arianam in Editione operum S. Athanasii

Athanafii Parifienfi ex Officina Niveliiana anno 1608. fol mihi 189. monet de Origene: *quæ difputandi, certandique gratia fcripfit, ea, non quafi ipfe ita fenferit, fed eorum, qui cum ipfo contentiofius difputarunt, accipienda funt.* Dein affert propriam fententiam Origenis, qua ifte pronunciat Filium Dei Patri coæternum. Præterea corrupta fuiffe varie ejus opera per hæreticos, præfertim Arianos his fraudibus affuetos, etiam dici poteft. Sianda quoque erudite fic difcurrit: „An autem Origenes cum fua Doctrina damnatus, a quo *Origeniftæ*, fuerit Origenes „Adamantius, revocatum eft ab aliquibus in dubium: alius enim „fuit nomine *Origenes* hæreticus, multique cenfent, confufo nomi„ne etiam doctrinam confufam effe, ita, ut impia Origenis hæretici „dogmata cum fcriptis Origenis Adamantii per calumniam hæretico„rum fuerint inferta. Plures fuiffe Origenes afferunt Auguftinus de „hærefi cap. 23. & Epiphanius hærefi 63. Certe, ubicunque in operi„bus Origenis de aliqua hærefi agitur, ftylus ipfe videtur valde diver„fus a facundia, qua enituit Origenes. Quæ hactenus dixi in gra„tiam Origenis, valde roborat Gregorius Abulphafagius, Orientis „Maphrianus, feu Primas, clariffimus Hiftoriæ Ecclefiafticæ fcri„ptor, ab erroribus Origenem acerrime vindicans, part. 2. hift. „Ecclef. Syriacæ, quæ exftat in Biblioth. Vaticana his verbis: *At „Demetrius Alexandriæ Epifcopus, perfpecta fumma laude, atque exiftimatio„ne, quam apud omnes fibi conciliaverat Origenes, invidia eum habuit, falfo „ei adfcribens translationem animarum de uno corpore ad aliud, cæterosque er„rores, qua de caufa eum Alexandria expulit, hærefiarchæ nomine ipfi impofito, „quod ad noftram ufque ætatem invaluit, occafionemque expofitoribus præbuit, „ut nomen illius delerent, ejusque fcripta alterantes, nomine proprio confcri„berent.*"

Hæc & ego ex Sianda adduco, non ut defenforem Origenis agam, fed ut, quid alii fentiant, fciatur. Maneo fiquidem firmus illa in fententia, quæ Origenis fcripta reprobat, & damnat cum Ecclefia ob errores plures immixtos, five ea fic maculata authorem habeant Origenem Adamantium, feu alium ejusdem nominis, five fint ex malitia aliorum hæreticorum depravata. Caute funt legenda, ut jam fupra in Tertulliano monui.

247. Ammonius Alexandrinus vivens tempore Alexandri Imperatoris, fcripfit Canones Evangelicos, quos alii Harmoniam Evangelicam vocant, quam Victor Capucinus cum Tatiani Diatefferon confundere videtur: fed non bene, ut Cardinalis Baronius Tom. 2. Annal. ad annum Domini 174. probat, ubi videri poteft.

Cum Tatiani nomen hic tetigimus, oportet, aliqua de ipso ex Baronio laudato recitare. De hoc ita scribit: „Quod denique ad „ejusdem Tatiani commentarios pertinet, author est Clemens Ale„xandrinus ab ipso scriptum, hoc titulo prænotatum, de perfectio„ne secundum Salvatorem, sed refertum blasphemiis, cum in eo to„tus fuerit author in condemnatione nuptiarum, & earum authoris, „nempe Dei, qui eas primus instituit; nam ex paucis, quæ idem „Clemens Alexandrinus recitat ex eo, facile est de cæteris conjecta„ri. At quoniam Theodoretus de Tatiano agens, ait: Hunc habent „ducem, qui dicuntur Hidroparastatæ — sic nominati, qui Tatia„num sectabantur, eoquod aquam in Sacrificio loco vini offerrent. „Porro Tatianos cum Encraitis conjungit Epiphanius, adeo, ut ap„pareat, unius monstri ex diversis actibus duo fuisse nomina." Pluribus ibi Card. Baronius prosequitur Tatianorum errores, & addit: *auxisse autem Tatiani falsa dogmata Severum quemdam, qui Severianis hæreticis nomen dedit, tradit Epiphanius.* Severi, & Severianorum quoque meminerunt S. Hieronymus, Theodoretus, ac S. Augustinus de hæres. c. 24. Scripsisse adversus Tatianum, & Encraitas Musanum veritatis Patronum tradit Theodoretus, cui & alios annumerat, nempe Apolinarum Hierapolis in Phrygia Episcopum, Clementem Alexandrinum, & Origenem. Rhodonem quoque Tatiano adversatum esse, Eusebius non obscure significat, qui, licet Tatiani Discipulus fuerat, magnam tamen sibi laudem comparavit ob certamina adversus hæreticos inita, de quo Eusebius L. 5. c. 13. scribit, quod ex Asiatico genere prognatus, licet a Tatiano literis & doctrina institutus fuerit, variis tamen libris exquisite compositis, strenue cum reliquis fidei nostræ Patronis impugnavit Marcionis hæresim, eamque suá ætate in varias, & discrepantes distinctam sententias explanat, & dissensionis authores describit, & falsa omnium commenta, quæ excogitaverunt, accurate coarguit. Hæc ex Baronio hic refero, licet videantur ad §um de hæreticis spectare, quia variorum Scriptorum de re Catholica optime meritorum intervenit mentio. Plura qui desiderat, adeat ipsum Baronium allegatum.

248. S. Gregorius Neocæsareæ in Ponto Episcopus, ethnicis parentibus natus, antea Theodorus vocatus, adhuc adolescens græcarum, latinarumque literarum amore captus, e Capadocia Berytum, Beryto cum Athenodoro fratre Cæsaream Palestinæ transiit, ubi egregiæ indolis adolescentes ambo sub Origenis disciplina quinquennio conversati, & simul cum Philosophia Christi fidem paulatim edocti, in patriam ad matrem rediere. Reversus, & paulo post Episcopus,

licet

licet reluctans & fugiens a Phædimo Amaſcenſium Antiſtite creatus, tot & tantis ſignis claruit, ut ubique Θαυματȣ̃ργος, id eſt, mirabilium patrator dictus fuerit. Obiit meritis, & innumeris pæne miraculis conſpicuus 17. Novembris anno Chriſti 265.

Sub hujus Sancti nomine varia reſtant opera, non tamen omnia indubitata. Genuina ſunt 1. Expoſitio fidei de SS. Trinitate, a S. Joanne Evangeliſta mediante Dei Genitrice Maria Virgine per revelationem ipſi Gregorio Neocæſarienſi tradita, & ab ipſo ſcripto mandata, & promulgata: de hac teſtatur S. Gregorius Nyſſenus in Vita Gregorii Thaumaturgi, & alii. 2. Oratio panegyrica, & Euchariſtica, ſive gratiarum actionis ad Origenem Magiſtrum ſuum, quam ſcripſit adoleſcens, & coram ingenti multitudine ipſo etiam Origene audiente recitavit, dum ab ipſo diſceſſit, ut refert S. Hieronymus de Script. Eccleſ. 3. Metaphraſis, ſeu translatio in Eccleſiaſten, duodecim capitibus comprehenſam, cujus iterum meminit S. Hieronymus de Script. Eccleſ. & Ruffinus L. 7. Hiſt. Euſebii c. 25. 4. Sermones tres elegantes, & docti in Annunciationem B. V. Mariæ. 5. Sermo de Sancta Theophania, ſive de apparitione Chriſti in Baptiſmo. Verum de his ſermonibus legatur judicium Bellarmini ad finem hic ponendum. 6. Epiſtola *Canonica* a græcis appellata, undecim canonibus congruam ſtatuens pœnitentiam pro delictis, in Gothorum barbarorum in Aſiæ Provincias, & Ponticam invaſione patratis. De hac ait Bellarminus: *extra controverſiam eſt Epiſtola canonica, quam etiam Balſamon commentariis illuſtravit.*

Dubia ejus ſcripta ſunt: 1. Expoſitio fidei ad Elianum, quam invenit, & vulgavit Gerardus Voſſius, & quam putavit eſſe illam, quam ad Elianum ſcripſit Gregorius Neo-Cæſarienſis. Sed fallitur; nam expoſitio illa fidei, quam ſcripſit Gregorius Thaumaturgus adverſus Elianum, & cujus meminit S. Baſilius in Epiſt. 64. multum differt ab ea, quæ obtruditur a Voſſio; in illa enim Gregorii habebatur, Patrem & Filium hypoſtaſi eſſe unum, & ſola animi cogitatione diſtingui: unde ſuſpicio orta eſt, a Gregorio foveri hæreſin Sabellianam, & S. Baſilius laborat, ut S. Gregorium a Sabellianiſmi ſuſpicione defendat. At expoſitio fidei Voſſii Sabellium nominatim refutat, neque unquam dicit, Patrem & Filium Hypoſtaſi eſſe unum, & ſola cogitatione diſtingui: dein expoſitio Voſſiana videtur eſſe contra Arianos ex profeſſo ſcripta; hi tamen fuere multo poſteriores noſtro Gregorio. Interea, dum S. Gregorius ait, Patrem & Filium eſſe Hypoſtaſi unum &c. intelligit, ſubſtantia eſſe unum, & eſſentia eſſe unum, & ſola

cogitatione diftingui; tunc enim temporis nomen fubftantiæ, & hypoftafis non raro pro eodem fumebatur.

2. Dubia funt duodecim fidei capita cum anathematifmis; videntur enim illa capita effe appendix Expofitionis fidei a Voffio productæ, ac præcipue Neftorii, & Euthychetis erroribus opponuntur, qui hæretici longe poft mortem S. Gregorii exorti funt.

Denique ait Bellarminus: *De Sermonibus in Annunciationem, & Theophaniam Dominicam, ut etiam de libello de anima ad Titianum, nil certi habeo, cum nec Veteres horum operum meminerint, neque tamen convinci poffit, eos effe fuppofititios.*

249. S. Cornelius Papa fedit tempore Decii, & fcripfit Epiftolas infignes, quarum S. Hieronymus meminit in libro de Script. Ecclef. ex quibus exftat folum Epiftola ad Fabium, five Fabianum Antiochenum Epifcopum, fed non integra apud Eufebium L. 6. Hift. c. 35. & alia brevis ad Lupicinum T. 1. Bibliothecæ SS. PP. & aliæ duæ inter Epiftolas S. Cypriani. Hæc Bellarminus, quibus nihil addere, vel demere volui.

250. S. Sixtus II. Papa, *bonus & pacificus, ac propterea beatiffimus Martyr* a S. Pontio in Vita S. Cypriani c. 17. appellatus, dicitur fcripfiffe librum fententiarum, five proverbiorum, qui allegatur a S. Auguftino L. de Natura & gratia c. 64. & reperitur in Tomo 5. Bibliothecæ SS. PP. Edit. 2.

Nihilo tamen fecius liber ifte falfo adfcribitur Sixto II. Papæ, cum fit partus Sixti Philofophi Ethnici: ita S. Hieronymus demonftrat in Epiftola ad Ctefiphontem, & in caput 22. Jeremiæ, & in caput 18. Ezechielis. Item S. Auguftinus, qui folus antea citatus forte authoritatem ei facere poffet, L. 1. Retract. c. 42. retractat locum citatum in libro de Natura, & Gratia. Et quod caput eft, Gelafius in Concilio 70. Epifcoporum reprobat librum proverbiorum fub nomine S. Sixti ab hæreticis confcriptum; quia Ruffinus eum librum plenum erroribus vertit ex græco, & S. Sixto tribuit.

251. S. Dionyfius Alexandrinus, feu Alexandriæ poft Heraciam Epifcopus, qui fub mox dicto prædeceffore fuo Scholam Catechefeos Alexandriæ tenuit, Origenis antea Auditor infignis, & S. Cypriani coævus vere eximius, hujusque, & Africanæ Synodi circa fententiam de rebaptizandis hæreticis Sectator fervidus: fæviente perfecutione decima fub Valeriano & Gallieno martyrium fubiit anno Chrifti 259. vel ut aliis placet, anno 265.

Plures

Plures fertur ſcripſiſſe Epiſtolas, Commentarium in Eccleſiaſten, in primam ad Corinthios, in Apolalypſin, & alia plura apud Euſebium & S. Hieronymum notata.

Judicium de hoc Bellarmini L. de Script. Eccleſ. eſt: Exſtat nunc una Epiſtola ſatis brevis inter canones Eccleſiaſticos Græcorum cum Annotationibus Balſamonis. Exſtant etiam multa & magna fragmenta operum hujus Dionyſii apud Euſebium L. 6. Hiſtor. c. 33. & ſeqq. uſque ad finem libri. Et L. 7. c. 1. & ſeqq. uſque ad caput 21. Exſtant & alia fragmenta apud S. Athanaſium in L. de ſententia Dionyſii Alexandrini, & in libro de ſententia Nicænæ Synodi. Neque de his ulla controverſia eſt. Ita judicat Bellarminus.

Audiri quoque meretur D. Gallus Cartier, dicens: Inter hæc omnia, quæ ſcripſit, ſunt præſertim Epiſtolæ: una ad Xyſtum Papam, Stephani Succeſſorem de rebaptizandis hæreticis: altera ad Dionyſium Xyſti in Romana Sede ſucceſſorem de eodem argumento: 3tia ad Paulum Samoſatenum egregia Epiſtola, paulo ante mortem ſcripta, junctis reſponſionibus ad 10. illius quæſtiones. 4ta ad Fabium, ſive ut volunt alii ad Fabianum Antiochiæ Epiſcopum, in qua inquit, nemini prorſus in extremis conſtituto negandam eſſe SS. Myſteriorum communionem: 5ta ad Dionyſium Papam Apologetica: apud hunc enim a Pentapolitanis accuſatus, quod ſcribens adverſus Sabellium videretur aſſerere, Filium Dei eſſe creaturam, neque ejusdem cum Patre ſubſtantiæ & eſſentiæ: igitur in allegata Epiſtola Apologetica S. Dionyſius Alexandrinus ſe purgat ab hac erroris labe coram S. Pontifice. Ubi præclare addit D. Cartier hanc hoſtibus Sedis Romanæ bene obſervandam exclamationem: *En Supremæ in univerſam Eccleſiam Romani Pontificis in rebus fidei decernendis authoritatis apertum monumentum!*

S. Zeno Epiſcopus Veronenſis & Martyr a Bellarmino quoque inter ſcriptores Eccleſiaſticos recenſetur, cujus plura opera, vel opuſcula enumerat, quæ apud eundem videri poſſunt in S. Zenone. Ego ſolam criſin hujus eruditiſſimi viri affero: „Ex his (nempe operibus) „ſermo in illud: *attende tibi*, & ſermo in Evangelium Lucæ, & ſer„mo de jejunio, & ſermo de amore & invidia non ſunt S. Zenonis, ſed „S. Baſilii Magni, ut notum eſt tum ex ſtylo, tum ex communi ſenten„tia: Item ſermones in Pſalmos, ſi non omnes, certe majore ex parte „apud Hilarium reperiuntur; de aliis non habeo, quod dicam, niſi ali„quos eſſe breviſſimos, ut ſermones dici non mereantur, aliquos eſſe re„petitiones aliorum, alios ita obſcuros, ut intelligi nequeant, &, „quod me male habet, de his ſermonibus nullam apud Veteres exſta„re memoriam.“ Hæc Bellarminus.

S. Cypria-

252. S. Cyprianus natione Afer, patria Carthaginenfis, fanguine & divitiis, ac Senatorio clarus ordine, eloquentiffimus, ac Rhetoricæ publicus Profeffor, ex Ethnico cura Cæcilii Presbyteri ad Chrifti fidem converfus, Donati in baptifmo focius, Neophytus per omnes gradus ordinum Presbyter, & ex Presbytero Carthaginenfium Epifcopus ordinatus, ac totius Africæ Primas fuit. Exacto in Epifcopatu fanctiffime decennio, in perfecutione decima juffu Galerii Maximi Africæ Proconfulis gladio percuffus, Carthaginenfium omnium primus Martyr obiit anno Chrifti circiter 258.

Scripfit plurima: aliqua tamen eidem videntur fupponi. Igitur opera ejusdem indubitata judicantur fequentia:

1mo Epiftolarum Libri quatuor, quas Pamelius ordine temporum digeffit, & funt numero 83. ex quibus aperta defumuntur argumenta pro Ecclefiæ dogmatibus, quæ noftri ævi Sectarii impugnant, quæ convincenter oftendunt, eadem dogmata a SS. Ecclefiæ Patribus fæculi II. fuiffe popugnata, quos, ut & quarti, & quinti fæculi Patres, audiendos effe volunt Proteftantes antiquiores, licet illi noftri ævi a veftigiis fuorum anteceflorum recedant, & quarti ac quinti fæculorum Patres detrectare videantur. Videatur Boffuet Hift. variat. Ecclef. Proteft. L. 3. n. 59. pag. 134. Edit 6. anno 1718.

2do Tractatus unus de habitu Virginum.

3tio De Lapfis, id eft, iis, qui tempore Perfecutionis tormentorum metu idolis facrificaverunt, Tractatus, vere liber unus.

4to Liber de Simplicitate Prælatorum, feu de unitate Ecclefiæ, in quo S. Petri, & Ecclefiæ Romanæ primatum, atque fupremam authoritatem confirmat.

5to De Oratione Dominica liber.

6to Liber adverfus Demetrianum Africæ Proconfulem, in quo demonftrat, calamitates, quæ tunc Africam affligebant, non Catholicis, eorumque Religioni effe imputandas, fed Ethnicis, quod Deum non colerent, & infuper Chriftianos injufte perfequerentur.

7timo De Idolorum vanitate liber unus.

8vo De mortalitate liber unus.

9no De opere, & Eleemofynis liber unus, quo eleemofynæ merita commendat.

10. De bono patientiæ liber unus.

11. De Zelo, & livore.

12. Liber de exhortatione martyrii ad Fortunatum.

13tio Teftimoniorum libri tres ad Quirinum contra Judæos.

14to Ad Jubajanum de baptizandis hæreticis, uti & liber fententiarum

tentiarum de eadem materia: quæ tamen ſententia poſtmodum ab Eccleſia fuit damnata. Aliqua ex his recitatis operibus a Pamelio inter Epiſtolas D. Cypriani conjiciuntur, & ſunt Epiſtolæ 73tia, & 74ta

253. Suppoſititia, vel dubia opera ab Eruditis in tres claſſus ſecantur: Primæ ſunt talia, ut ſtylus & Scripturæ citatæ convincant eſſe ipſius; & ſunt iſta: 1. Liber de Spectaculis vitandis. 2. De Diſciplina, & bono Pudicitiæ. 3. De Laude Martyrii ad Moyſen, & Maximum, cæterosque Confeſſores, in quo eos rogat, ut ſui memores ſint, poſtquam martyrium ſubierint, quod pro Sanctorum invocatione pugnat. 4. De Spe veniæ lapſis non negandæ contra Novatianum hæreticum. De primo, ait Bellarminus, ratio dubitandi, ſitne Cypriani, an non, ſola ſtyli diverſitas eſſe videtur: cætera liber egregius eſt: quantum ego capio, ſtylus ejusdem authoris pro diverſitate temporis, & ætatis diverſus eſſe poteſt, & ex ejus diverſitate non ſtatim, & ſemper diverſus author inferri poteſt. Liber de diſciplina, & bono pudicitiæ, & liber de ſpe veniæ ad Novatianum (inquit Bellarminus) Sancti Cypriani mihi eſſe videtur, quidquid dicat Eraſmus, qui nimis ſubtiliter de ſtyli diſſimilitudine aliquando judicat. Libellus de laude Martyrii, teſte Bellarmino, communiter inter vera opera Cypriani admittitur, licet dubitaverit Eraſmus ob aliquam ſtyli diſſimilitudinem.

Secundæ claſſis ſunt, quorum ſtylus quidem relinquit dubium, in iis tamen multa occurrunt, quæ ſuadent eſſe Cypriani, vel Cypriano coævi. 1. Sermones de Cardinalibus, ſeu primariis Chriſti operibus, qui ſunt antiqui quidem, & eruditi authoris, ſed non Cypriani; nam, ut alia taceam, ſtylus multo humilior eſt, quam Cyprianus eſſe ſoleat; ita Bellarminus. 2. Liber de Aleatoribus utilis & doctus eſt: verum ejus author initio ſatis ſignificat, univerſali ſe Eccleſiæ præeſſe, quod de Cypriano non verificatur; eſt itaque partus alicujus Romani Pontificis. 3. De Montibus Sina & Sion adverſus Judæos liber. 4 De Geneſi carmen, in quo quatuor prima Geneſeos capita eleganti, & heroico carmine redduntur. Hoc opus Tertulliano adſcribit Sixtus Senenſis. 5. Carmen ad Senatorem a Chriſtiana Religione ad Idola deficientem. 6. Oratio pro Martyribus, quam die paſſionis ſuæ dixiſſe ferunt.

Tertiæ claſſis ſunt, quæ certis quibusdam argumentis oſtenduntur, non Cypriani, ſed alterius authoris eſſe. 1. De ſingularitate Clericorum liber, quem S. Antoninus, & Vincentius Bellovacenſis in ſumma Hiſt. contendunt eſſe Origenis. Interim, Judice Bellarmino, ſtylus non græcum, ſed latinum authorem ſonat, qui

tamen non eſt Cyprianus ob nonnulla verba parum latina, contra morem S. Cypriani immixta. 2. Expoſitio Symboli Apoſtolorum; eſt enim Ruffini Aquilejenſis Presbyteri, ut ſtylus prodit, & Gennadius in Catal. teſtatur. 3. De Judaica incredulitate ad Vigilium liber. Opus hoc antiquiſſimum eſt, & eſt verſum ex græco, cujus verſionis author eſt Celſus. 4. Adverſus Judæos, qui inſecuti ſunt Chriſtum: cujus author antiquus, alius tamen a Cypriano eſt, ut ſtylus manifeſtat. 5. De Revelatione Capitis S. Joannis Baptiſtæ, quo geſta longe Cypriano poſteriora conſcribuntur, per conſequens alium authorem habent. 6. Liber de duplici Martyrio, qui meminit tum belli cæſarei contra Turcas, tum aliorum Cypriano poſteriorum: ergo ipſius eſſe non poteſt. 7. Liber de duodecim abuſionibus Scripturas paſſim allegat ex Verſione S. Hieronymi Cypriano poſterioris. 8. Libellus de cœna nec Cypriani eſt, nec ipſo dignus, ineptias, & ridiculas fabulas comprehendens. Hæc de operibus S. Cypriani ex probatis Authoribus.

254. S. Victorinus Pictabonienſis Epiſcopus, & Martyr, S. Cypriani æqualis, vel paulo poſterior multa opera ſcripſit teſte S. Hieronymo de Script. Eccleſ. Nunc exſtat commentarius ſolus in Apocalypſin: propter errorem Chiliaſtarum, quem, teſte S. Hieronymo, in opere Victorinus ſecutus eſt, Gelaſius Papa Victorini commentarium inter opera apocrypha numeravit. Verum commentarius, ſub nomine Victorini modo exſtans, non ſolum hoc errore caret, ſed & eum impugnat, ut ſcribit Bellarminus. Sub Diocletiano Martyrium ſubiit anno Chriſti 303.

S. Methodius Epiſcopus Tyri ſub Diocletiano, & anno ejus 20mo martyrio coronatus, ut teſtatur S. Hieronymus de Script. Eccleſ. multa ſcripſit. Modo exſtant fragmenta ſatis magna ex libro ejus de Reſurrectione adverſus Origenem apud Epiphanium hæreſi 64. exſtant quoque fragmenta apud Photium in Bibliotheca. Liber revelationum ſub nomine Methodii ab eruditis ſuppoſititius cenſetur.

Dorotheus Tyrrenſis dicitur tempore Diocletiani exilium paſſus, & ſcripſiſſe Synoptica de Vita Prophetarum, & Diſcipulorum Chriſti; reperitur in Bibliotheca SS. PP. & frequenter citatur. Dorothei tamen hujus nulla fit mentio apud Euſebium, Hieronymum, vel Gennadium, aut Trithemium, qui ſcripſerunt de Viris illuſtribus. Cæterum illa Synopſis ſcatet fabulis.

Arbonius ſub Imperatore Diocletiano vivens, ut probaret, ſe vere ex Pagano factum eſſe Chriſtianum, teſte S. Hieronymo de Script. Eccleſ., ſcribit libros 7. contra gentiles; nam octavus, eidem operi

operi adjunctus, ut ſuperius dixi, eſt Minutii Felicis. Circumferuntur etiam ſub nomine Arnobii commentarii breves in Pſalmos; ſed ii videntur eſſe alterius recentioris Arnobii, ut Bellarminus probat. Sunt tamen alicujus authoris veteris, & in Commentariis V. Bedæ in Pſalmos non ſemel adducuntur.

Lactantius Firmianus, vel, ut alii vocant, Firmilianus, Arnobii auditor, floruit imperante Diocletiano, & ad Principatum Conſtantini Magni in ſenectute pervenit, teſte S. Hieronymo de Scriptor. Eccleſ., ubi multa ejus opera recenſet, quæ non exſtant: quæ autem exſtant, hæc ſunt: Divinarum Inſtitutionum Libri 7. de Ira Dei liber unus: de opificio Dei item liber unus: Epitome in libros ſuos: Carmen de Phœnice: aliud de Paſſione Domini: tertium de Reſurrectione ejusdem, & Paſchate. Hæc omnia, exceptis carminibus, Lactantii absque controverſia ſunt, & ſicut ad eloquentiam Ciceronianam accedunt proxime, ſic erroribus variis ita depravata ſunt, ut teſtatur Bellarminus, ut ea Gelaſius apocrypha cenſeri voluit. Carmen de Phœnice videtur eſſe Ethnici hominis, an reliqua carmina ſint Lactantii, nonnulli negant, nec tamen ſuppetit certum hoc negandi argumentum.

Scripſit etiam librum de mortibus Perſecutorum, de quo P. Daude T. 1. Hiſt. univerſalis pag. 462. ita ſcribit: *Liber Lactantii Firmiliani omnibus retro ſæculis ignotus non ita pridem productus eſt in Lucem.* Hæc Eruditi apud P. Daude.

Sæculum IV.

§. I.

Romani Pontifices.

I. alias 31. S. Marcellus I. Benedicti Filius, Romanus, creatus anno 304. 21. Novembris ſedit annos quinque. Ita Baronius ad annum Chriſti 309. licet Sandini tantum ſtatuat annos 4. menſem 1. dies quinque & viginti. Hic damnatus ad ſtabula Diocletiani, miſeriis oppreſſus obiiſſe creditur anno 309. die 16. Januarii. Vide Notam (A)

II. alias 32. S. Euſebius Græcus Medicus, ſeu Medici filius, creatus anno 309. 5. Februarii, mortuus anno 311. ſedit annos duos, menſes 7. dies 16. vel, ut alii Judice Baronio ad annum 311. veriſimilius ſtatuunt, annos 2. menſem 1. & 25. dies. Vide Notam (A)

III. alias 33. S. Melchiades, vel, ut alii fcribunt, Miltiades Afer, creatus anno 311. 3. Novembris, mortuus anno 313. 11. Decembris fedit annos & menfes duos, dies feptem.

IV. alias 34. S. Silvefter I. Ruffini Filius, Romanus creatus anno 314. 31. Januarii, fedit annis 21. menfibus 11. mortuus die poftremo anni 335.

V. alias 35. S. Marcus Prifci filius, Romanus creatus anno 336. die 16. Januarii, fedit menfibus 8. diebus 18. mortuus eodem anno 7. Octobris. Nota (B)

VI. alias 36. S. Julius I. Ruftici filius, Romanus creatus anno 336. 27. Octobris, fedit annos 15. menfes 5. dies 16. mortuus anno 352. 12. Aprilis.

VII. alias 37. Liberius Augufti filius, Romanus creatus anno 352. 8. Maji. poft aliquot Pontificatus annos in exilium miffus eft a Conftantio Imperatore. Unde

Schifma II.

in Ecclefia Romana inter Liberium Papam, & Felicem ab initio Antipapam.

Felix fiquidem Ecclefiæ Romanæ Diaconus Conftantii opera fedem Apoftolicam vivente Liberio occupavit, fed Antipapa habitus eft a Romanis, donec cognita Liberii cum Arianis communione, ac ejus fubfcriptione tum condemnationi S. Athanafii, tum formulæ antiquæ, in Pontificem elegerunt, vel acceptarunt eundem Felicem. Atque adeo

VIII. alias 38. S. Felix II. Pontificatum tenuit anno uno, menfibus tribus, diebus 2. deinde a Conftantio propter excommunicationem in eum latam, martyrio coronatus eft. Poft ejus martyrium Liberius iterum Cathedram Petri affecutus eft, in qua fimul cum Felice fedit annos 15. menfes 4. diem 1. obiit anno 367. 9. Septembris. Verum de his duobus Pontificibus multa dixi N. 172. & feqq. ubi videri poterit.

IX. alias 39. S. Damafus Hifpanus vir plurimis virtutibus infignis creatus anno 367. 15. Septembris fedit annis 17. menfibus 2. diebus 26. obiit anno 384. 11. Decembris.

Schifma III.

Inter Damafum Papam, & Urficinum Anti-Papam.

Urficinus

Urſicinus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Diaconus, ægre ferens Damaſi electionem, collecta ſeditioſorum hominum manu, Pontificem ſe fieri extorquet: ſed tandem cædibus utrinque perpetratis, Urſicinus ex urbe expellitur, Romæ Damaſo pacifico Pontifice ſubſiſtente.

X. alias 40. S. Siricius Romanus, filius Tiburtii creatus anno 385. 12. Januarii, ſedit annis 13. menſe 1. diebus 9. obiit anno 398. 22. Februarii; a Benedicto XIV. inſertus eſt Martyrologio Romano. Videatur Bulla Benedictina, vel Epiſtola ad Regem Portugalliæ ſcripta, novæ editioni Martyrologii Romani præfixa.

XI. alias 41. S. Anaſtaſius I. Romanus, creatus anno 398. 14. Martii, ſedit annis 4. menſe 1. diebus 13. obiit anno 402. 27. Aprilis.

Paucæ Notæ Criticæ.

(A) Sandini in Vita S. Marcelli Annotat. 1. hæc ſcribit: Euſebius in Chronico in Marcelli locum ſubdit Euſebium, omiſſo Marcello. Hieronymus, ſeu alius, in Martyrologio, quod ejus nomen circumfert, Marcelli duntaxat meminit, prætermiſſo Marcellino. Unde quidam putant, Marcellinum non eſſe a Marcello diverſum. Huic errori occaſionem præbet nominum utriusque ſimilitudo. Verum ut notat Baronius ad annum 296. §. 4. non ſolum Tabulæ Eccleſiaſticæ, ſed etiam Optatus L. 2. §. 3. & S. Auguſtinus Epiſt. 53. alias 165. utrumque habent pro Pontifice diſtincto, quos & ego ſequendos exiſtimo.

(B) Theodoretus L. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 12. S. Marcum inter Pontifices Romanos recenſere omittit. Memoriane ipſum fugerit in Pontificibus recenſendis, an conſulto id fecerit, divinare non licet. Illud eſt certum, ab Optato L. 2. §. 3. Auguſtino Epiſt. 53. Hieronymo in Chronico, Ruffino L. 10. c. 22. Sozomeno L. 2. c. 20. Marcum Silveſtro ſubſtitui. Ita Sandini loquitur.

§. II.

Sæculi IV. Hæreſes.

I. *Ariani*, ab *Ario* Presbytero dicti, negabant Chriſtum eſſe Patri conſubſtantialem, ac eum eſſe Deum: ſunt damnati in Concilio Nicæno I. 257.

II. *Semi-Ariani*, qui negantes Chriſtum eſſe conſubſtantialem Patri, fatebantur eum eſſe ſimilem in natura, ſicut homo homini ſimilis eſt. Horum Duces fuere Aëtius, & Eunomius.

III. *Donatistæ* a *Donato*, qui primum propter Cæcilianum contra suam voluntatem electum, & consecratum Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis Schisma fecit, quod in hæresin verterunt Donatistæ, docentes: 1. hæreticos iterum baptizandos: 2. Solos, qui ex parte Donati remanserunt, esse de Ecclesia. Fuerunt damnati a Melchiade Papa.

IV. *Macedoniani*, dicti a *Macedonio*, Episcopo Constantinopolitano, tenebant, Spiritum S. esse puram creaturam. Damnati sunt in Concilio Constantinopolitano I.

§. III.

Concilia hujus Sæculi IV.

258. I. Generale fuit Nicænum I. cui adfuerunt 318. Patres anno Christi 325. sub Constantino Magno Imperatore a S. Sylvestro Papa convocatum, & indictum in Bithynia, cui & præsedit per suos Legatos, & acta ejus probavit, & confirmavit in Concilio Romano 280. Episcoporum, de quo Concilio agit Bartholomæus Carranza in Summa omnium Conciliorum fol. mihi 39. Fuit autem coactum 1. contra Arium Presbyterum Alexandrinum, qui Divinitatem Christi, Ejusque cum Patre Consubstantialitatem negabat: in quo proinde Ariana hæresis fuit damnata cum Ario, & ejus Sectatoribus, atque vox *Consubstantialis* Symbolo inserta, ut unico vocabulo omnium Arianorum cavilli interimerentur. 2. Contra Quartodecimanos, qui tenebant, Pascha debere celebrari more Judæorum Luna 14. Martii: ubi & hi fuere damnati cum sua doctrina, assignata, & determinata die, qua Pascha ubique terrarum a Christianis celebrari deberet. 3. Contra Meletium, qui ægre ferens, quod propter varia crimina a S. Petro Alexandrino ab Episcopatu fuerit dejectus, multos per Ægyptum creans Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, Ecclesiam pessimo divexavit Schismate: contra hunc statutum est, ut Meletius solo nomine Episcopi retento, omnibus functionibus privatus, in sua civitate Nicopolitana remaneret, atque ab eo ordinati Episcopo Alexandrino subjacerent, post alios Ecclesiæ Ministros. 4. In hoc Concilio etiam editi sunt canones 20. pro instauranda Disciplina Ecclesiastica.

Sub Sylvestro I. etiam Pontificatus ejus anno 1. Arelate est celebratum Concilium 200. circiter Episcoporum contra Donatistas, accepitque hic Pontifex Epistolam a Patribus, rogantibus, ut Decreta confirmaret, & toti Ecclesiæ servanda proponeret: ita Sandini.

dini. De hoc Carranza ita fcribit: Concilium Arelatenfe primum, tempore Conftantini Imperatoris, & Sylveftri Papæ I. in Galliis celebratum, eft Provinciale, fed, ut apparet in Præfatione, authoritate Pontificis Romani confirmatum.

Ad hæc tempora etiam refertur juxta Fleurium ad annum 305. Tom. 2. Hift. fol. in editione Latina mihi 793. Concilium Eliberitanum Provinciale, in Hifpania habitum Elviræ, vel Eliberi, feu Illiberi in Provincia Boëtica: Hæc urbs hodie non fupereft, & non procul Granada exftitiffe creditur. 19. ad hoc convenere Epifcopi circa Silveftri Papæ I. & Concilii Nicæni tempora. Subfcripfit etiam huic Concilio Ofius Epifcopus Cordubenfis, qui pariter fubfcripfit in Concilio Nicæno.

II. Concilium Sardicenfe convocatum eft ab Imperatoribus Conftantio, & Conftante hortatu Julii I. Pontificis anno 347. Convocationis caufam dederunt calumniæ Eufebianorum in S. Athanafium, Marcellum Ancyranum, & Afclepam Gazenfem. Interfuerunt Epifcopi circiter trecenti, præfidentibus Sedis Apoftolicæ Legatis Ofio Epifcopo Cordubenfi, & Achidamo, ac Philomeno Presbyteris. Hoc Concilium habetur velut appendix, & clarior explanatio Nicæni, ut fcribit Norifius fecutus Baronium, & Bellarminum, & ideo feparatim inter Concilia œcumenica a pluribus non folet referri, quamvis tam convocatione, quam celebratione fuerit vere œcumenicum, ut vetuftiffimus Codex canonum, qui eft in appendice ad opera Leonis Magni, Canones Nicænos ac Sardicenfes, qui funt fecundum Græcos viginti, fecundum Latinos viginti & unus, exhibet, difcrimine & delectu omni remoto. Ex hoc porro Concilio Sardicæ habito Ariani fugientes, & Philippopolim (quæ interjecto monte a Sardica feparatur) fe transferentes, ibi Conciliabulum celebrarunt, quod mendaciter nomine Concilii Sardicenfis appellari voluerunt, in quo fidem Nicænam damnarunt, atque in Julium Papam, & alios Epifcopos Catholicos fententiam excommunicationis injufte tulerunt. Hoc Concilium Arianum ab omnibus rejicitur. De hoc jam actum eft fuperius paulo ante N. 203. 259.

Præter hæc plura alia tum generalia, tum particularia Concilia habita funt in caufa Arianorum: ut Antiochenum III. anno 340. cui præfedit Eufebius Nicomedienfis, in quo ab Arianis damnatus eft Athanafius. De hoc Concilio Sozomenus L. 3. c. 8. & 10. Socrates L. 2. c. 8. 15. & 16. & utriusque verbis non nihil mutatis Epiphanius Scholafticus, in compendium redactus a Caffiodoro L. 4. c. 9. innuunt, effe irritum; *quia neque Julius interfuit maximæ Romæ Præful, neque in lo-* 260.

cum

cum suum aliquem destinavit, cum utique regula Ecclesiastica jubeat, non debere præter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari. Julius I. Epist. I. §. 22. Edit. Petri Constant. expostulat cum Eusebianis, quod se inscio damnassent Athanasium Episcopum Alexandrinum: *cur autem de Alexandrina Ecclesia nihil nobis scriptum est? an ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc, quod justum est, decernatur?*

Mediolanense 300. Episcoporum, anno 355. a Liberio quidem convocatum, in Conciliabulum abiit, cum Constantius coegit Episcopos ad subscribendum condemnationi Athanasii: cui iniquæ sententiæ cum plures subscribere detrectassent, ut Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis Sedis Apostolicæ Legati, in exilium pulsi sunt cum ipsomet Summo Pontifice Liberio translato in Thraciam.

Ariminense a Constantio anno 359. congregatum est annuente Liberio, qui ad illud misit Vincentium Capuæ Episcopum Legatum suum. Hoc Concilium in duas partes fuit divisum ab Imperatore, qui statuit, ut Episcopi Orientales 200. fere omnes Ariani Seleuciæ in Isauria convenirent, occidentales vero numero 400. Arimini, atque in his 80. Ariani. Pars Seleuciæ congregata statim in conciliabulum transiit, in quo Ariani damnati sunt a Semi-Arianis. Patres vero Arimini congregati, quamdiu fuerunt liberi, manserunt Catholici, Nicænam fidei professionem confirmarunt rejecta Sirmiensi, & Ursacium ac Valentem, sociosque Arianos anathemate confixerunt. Iidem postea fraudibus circumventi ab Episcopis Arianis, & tædio diuturnioris moræ in civitate Ariminensi, in qua a 7. mensibus jussu Imperatoris detinebantur, fracti, subscripserunt novæ fidei formulæ in conciliabulo Constantinopolitano cusæ, & jussu Imperatoris ad subscribendum allatæ. Fuere delusi maxime fraudibus Valentis & Ursacii, qui fingebant, se idem credere de Christo, quod Catholici, solumque esse quæstionem de voce *Usiæ* abjicienda, quæ in Scripturis non reperiebatur, & infirmis scandalo erat. Hoc Concilium fuit reprobatum a Liberio Papa, ut testatur S. Damasus Epist. ad Episcopos Illyrici, & ab ipso Damaso in suo Concilio Romano.

261. Concilium Constantinopolitanum I. generale anno 381. a Theodosio Magno annuente S. Damaso convocatum est: *Nam Constantinopolim conveneramus*, scribunt Patres hujus Concilii ad Damasum in Epistola Synodica apud Lab. t. 2. Concil. pag. 961. *mandato literarum vestrarum superiore anno post Concilium Aquileiense ad Dei amantissimum Imperatorem Theodosium missarum.* Convenere autem 150. vel ad summum 180. Patres, quibus præfuit, ut propius vero est, Timotheus Alexandrinus,

andrinus, non autem Achatius Thessalonicensis. Convocationis causa duplex erat, ut & Nicænum confirmaretur, & Constantinopoli ordinaretur Episcopus. Confirmanda autem erat Nicæna fides adversus Macedonium, qui Spiritum S. puram esse creaturam asserebat: deinde adversus Aetium, & Eunomium, eosque omnes, qui post Ariminense conciliabulum ex Decreto Constantii Imperatoris dicebant, Filium Dei in omnibus similem Patri, sed tamen Creaturam.

Quod attinet ad alteram causam, Maximus Cynicus, qui Constantinopolitanam Sedem usurpaverat, dejectus est, & jus Episcopale vindicatum Gregorio Nazianzeno; qui, cum studio pacis se abdicasset Episcopatu, in ejus locum suffectus est Nectarius, vir Senatorii Ordinis, adhuc Catechumenus. Fides Nicæna stabilita est Symbolo explicato, additisque verbis: *credimus in Spiritum Sanctum Dominum* ad confutandam impii Macedonii amentiam: Ecclesiæ Disciplina pariter tribus (alii numerant septem) canonibus est stabilita. Unus ex his simul *honoris primatum* post Romanum Episcopum, simulque Patriarchæ potestatem in Diæceses Thraciæ, Ponti, & Asiæ tribuit Episcopo Constantinopolitano. Sed neque hunc, neque alios canones, nisi quatenus confirmant Nicænam fidem, & damnant hæreses, recepit Damasus, neque ejus Successores usque ad Innocentium III., qui anno 1215. in Lateranensi IV. Concilio, Oecumenico XII. vel XIII. can. 5. pacis causa, usurpatum interea summum locum post Romanum Pontificem Constantinopolitano Antistiti adjudicavit. Contra vero Symbolum Constantinopolitanum semper ab Ecclesia Romana, & quidem veluti thessera Catholicæ fidei receptum est, & apud Græcos etiam in locum Nicæni, nomine haud mutato, suffectum.

Vox *Filioque* in Ecclesiis Hispaniarum Symbolo addita dicitur sexto labente sæculo, apud Gallos & Germanos octavo, ab Ecclesia Romana ad fidem eunte nono. Videatur Petavius Theol. dogmat. tom. 2. L. 7. c. 2. & 19. Bellarminus L. 2. de Christo, & alii de hoc tractantes.

De Concilio Constantinopolitano observes etiam, non fuisse generale tempore, quo celebrabatur, quia multi Occidentales non intererant: evasit tamen generale œcumenicum, quando Damasus Papa illius decreta ad se missa approbavit, ac ei cum suo Concilio Romano, cui ipse præsedit, accessit. Unde factum est, ut illa duo Concilia nationalia in unum Concilium œcumenicum coaluerint. Pro majore claritate

Notes

Notes etiam, quæ Cabaſſutius in notitia Eccleſiaſtica Conciliorum, titulo: *Synodus œcumenica ſecunda* mihi fol. 162. num. 4. ſcribit: *Continua, nec interrupta ſerie inita ſunt tria ſub Damaſo Concilia: primum Aquilejenſe, dein Romanum, poſtremo Conſtantinopolitanum. Triaque iſta Concilia pari authoritate edita in unum coaluere generale Concilium, conſpirantibus ſcilicet Occidentalibus, qui in Aquilejenſi, & in Romano convenerant, cum Orientalibus, qui Conſtantinopoli verſabantur.* N. 5. addit: Synodo quoque iſta Romana damnata eſt Apollinaris Laodiceni, ejusque Diſcipuli Timothei, quæ multis locis gliſcebat, hæreſis, animam abrogans rationalem Filio Dei Incarnato, ut, quemadmodum Ariani Dei Filio Divinitatem quamdam non niſi imperfectam, mutilam, & decurtatam attribuebant, ita Apollinariſtæ Eidem Humanitatem non niſi imperfectam, ſuique meliori parte diminutam, quippe mente, animaque rationali deſtitutam, aſſignabant, cujus vicem & defectum Perſona Verbi ſuppleret.

§. IV.

SS. Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici hujus ſæculi IV.

262. Conſtantinus S. Helenæ Filius, Imperator ſane Maximus, quamvis occupatiſſimus in Imperio gubernando, quod ſuſcepit anno Domini 306. & usque ad annum 337. tenuit, ſcripſit tamen multas latinas Orationes, earumque magnam partem recitavit. Una tantum, Euſebio teſte l. 4. de Vita Conſtantini, nunc ſupereſt, ſcripta ad Sanctorum cœtum, atque cum eodem excudi ſolet poſt ipſos libros de Vita Conſtantini. Oratio profecto elegans, & luculenta de Chriſti adventu, & Divinitate, ubi etiam c. 18. inſeruntur Carmina Sybillæ Erithrææ, quorum literæ capitales reddunt hunc ſenſum: *Jeſus Chriſtus, Dei Filius, Servator, Crux.* Pariter exſtant aliquæ ejusdem Epiſtolæ tum in hiſtoria Euſebii, tum in libris de Vita Conſtantini. Verum Epiſtolæ forte tribui poſſunt ipſius Secretariis, non autem Orationes, quas proprio ſtudio elaboraverit.

263. Euſebius Cæſarienſis, vel, ut alii ſcribunt, Cæſareenſis, dictus etiam cognomine Pamphili, ob initum ſtrictæ amicitiæ fœdus cum Pamphilo Cæſareenſis Eccleſiæ Presbytero, & poſtea ſub Diocletiano Martyre Sancto, & ipſe illius Eccleſiæ Presbyter ordinatus ab Agapio Præſule Cæſareæ Paleſtinæ, & deinde poſt Agapium electus Epiſcopus Cæſarienſis ſub Conſtantino Imperatore anno Chriſti circiter 313. inde Cæſarienſis vulgo nuncupatus eſt. De utroque, Euſebio & Pamphilo, loquitur laudabiliſſime S. Hieronymus in ſuo de Scri-

ptoribus

ptoribus Eccleſ. libro c. 81. dum ait: *Euſebius Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus, in Scripturis divinis ſtudioſiſſimus, & Bibliothecæ Divinæ cum Pamphilo Martyre diligentiſſimus perveſtigator, edidit infinita volumina.* Fuit quidem Euſebius vir ingenii ſummi, & eruditionis clariſſimæ, ſed ſectæ Arianorum fautor & defenſor, imo juxta S. Hieronymum Arianorum Signifer, & Princeps. Alexander Natalis diſſertat. XVII. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi IV. late defendit, & erudite, jure dici, eum non ſolum ante, ſed & poſt Concilium Nicænum fuiſſe, & permanſiſſe vere Arianum, & Arianorum Principem.

Scripſit plurima, ex quibus hæc nunc exſtant, teſte Bellarmino: 1. De Evangelica præparatione libri 14. 2. de Evangelica demonſtratione L. 10. 3. De Hiſtoria Eccleſiaſtica L. 10. 4. de Vita Conſtantini L. 4. 5. Adverſus hæreſin Hieroclis liber unus. Hierocles Nicomedienſis, cum ubique Chriſtianorum templa ſub perſecutionis Diocletianæ initium deſtruerentur, quaſi inſultans Chriſtianis, duos contra fidem Chriſti edidit libros, Philalethes inſcriptos, in quibus, ut Chriſtianam Religionem deprimeret, inter alia dixit, Apollonium Tyanæum æque, ac Chriſtum miracula feciſſe, ac ſicut illum cælos aſcendiſſe. Fuit autem Apollonius Tyanæus impoſtor, & deceptor maximus, qui ſuis præſtigiis egit, ut tanquam Numen haberetur: Epheſini eum ut Deum colebant ſub nomine Herculis Alexiani. Hujus famam ſuis mendaciis amplificare ſtuduit Hierocles. Contra hunc, & Apollonium citato libro agit Euſebius. 6. De Philoſophorum diſſenſione Liber unus. 7. Chronicon Interprete S. Hieronymo.

Quid de libris cenſendum ſit hujus viri, ſequentia dabunt: 1. in Synodo 7. act. 5. primum Legati Apoſtolici, deinde tota Synodus rejiciunt authoritatem Euſebii Pamphili, tanquam hæretici Ariani. 2. S. Gelaſius in Concilio Romano 70. Epiſcoporum, relato can. *S. Romana Eccleſia* 3. Diſt. 15. videtur paulo mitius ſentire, ita pronuncians: *Chronicon Euſebii Cæſarienſis, atque ejusdem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros, quamvis in primo ſuæ narrationis libro tepuerit, & poſtea in laudibus, atque excuſatione Origenis Schismatici unum conſcripſerit librum, propter rerum tamen notitiam ſingularem, quæ ad inſtructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos.*

Liceat in unum numerum colligĕre Juvencum Presbyterum, S. Antonium Abbatem, S. Pachomium, S. Oreſieſin, & S. Macarium Seniorem, quia de ſingulis his pauca dicenda ſunt. 264.

Juvencus Presbyter Conſtantino Imperatore ſcripſit libros quatuor Carminum, quibus complectitur Evangelicam Hiſtoriam: quos laudat S. Hieronymus in libro de Script. Eccleſ. in Epiſtola ad Magnum, & in Commentario ad caput 7. Matthæi. Exſtant hi libri teſte Bellarmino adhuc in 8. tomo Bibliothecæ SS. PP. Editionis ſecundæ.

S. Antonius Abbas floruit eodem Conſtantino imperante, & ſcripſit Epiſtolas ſeptem lingua ægyptiaca, ſenſu tamen & ſpiritu Apoſtolico, ut S. Hieronymus teſtis eſt L. de Script. Eccleſ. exſtant hæ literæ in Bibliotheca SS. PP. Perhibet inſuper Trithemius L. de Script. Eccleſ. duos etiam libros Sermonum, nunc exſtantes in Bibliotheca SS. PP., ab Antonio fuiſſe ſcriptos: ſed forte vir illuſtris non obſervavit, in ſermonibus illis allegari Baſilium, Gregorium Niſſenum, Chryſoſtomum, Nilum, Photium & alios, qui uno, vel pluribus ſæculis ferme poſteriores fuere S. Antonio Magno, de quo modo ſermo eſt.

S. Pachomius ex milite ethnico Monachus inſignis factus, S. Antonii æqualis, & forte Diſcipulus, ſcripſit regulam Monachorum, Angelo dictante, quæ reperitur inter opera Caſſiani Romæ excuſa.

S. Oreſieſis Monachus, S. Pachomii æqualis, ſcripſit (ut teſtatur Gennadius L. de Viris illuſtribus) librum divino ſale conditum de inſtructione vitæ monaſticæ: qui liber invenitur in Bibliotheca SS. Patrum tom. 4. Editionis ſecundæ.

S. Macarius Senior, S. Antonii Diſcipulus, & S. Pachomii atque Oreſieſis coævus, ſcripſit Homilias 50. ad Monachos, reperiendas in Bibliotheca SS. PP. tom. 2. Edit. 2.

265. S. Athanaſius Alexandriæ in Ægypto piis, & claris parentibus oriundus, ab Alexandro Alexandriæ Epiſcopo primum ordinatus Diaconus Alexandrinæ Eccleſiæ, eoque gradu in Nicæno Concilio Alexandri Epiſcopi ſui comes individuus, & poſt ipſum tandem communi Cleri, populique voce quartus a S. Petro Martyre Alexandrinus Epiſcopus, Arianorum hoſtis inviĉtiſſimus, fidei Catholicæ propugnator acerrimus, & Orientalis Eccleſiæ Doctor clariſſimus, fama, re, & vulgari nomine Magnus, variis certaminibus pro fide adverſus Arianos initis, horum fraudibus, calumniis, opprobriis, perſecutionibus, & exiliis variis ac magnis patienter toleratis, & glorioſe ſuperatis, exactis in Epiſcopatu 46. annis, meritis & miraculis illuſtris migravit ad Dominum Alexandriæ ſub Valente Imperato-

re die 2. Maii anno Chriſti 371. relinquens varia inſignia ſcripta, fere omnia contra Arianos, vel ipſorum occaſione edita.

Sunt autem hæc. 1.mo Oratio contra Idola. 2.do Liber de Incarnatione Verbi, ejusque ad nos adventu. Bellarmini opinio eſt, Orationem contra Idola, & librum de Incarnatione Verbi eſſe duos libros contra Gentes, quorum S. Hieronymus meminit. 3.tio Orationes quatuor contra Arianos, in quarum quarta explicat illud Chriſti: *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, quo abutebantur Ariani ad ſuam de Filio Dei roborandam hæreſin. 4.to Oratio, ſive Tractatus in hæc Domini verba: *omnia mihi tradita ſunt a Patre*, adverſus Euſebium, & reliquos ejus Sodales, eisdem impie abutentes. 5to Oratio de æterna ſubſtantia Filii & Spiritus S. cum Deo, adverſus Sabellianos. 6.to Oratio, quod unus ſit Deus, adverſus eos, qui duas in Chriſto Hypoſtaſes, ſeu Perſonas volebant. 7.mo Ad Serapionem Thmueos Ægypti Epiſcopum Epiſtola adverſus eos, qui Filium Dei, Chriſtum Dominum, meram creaturam eſſe dicunt. 8.vo Ad Serapionem eundem Epiſtola contra eos, qui Spiritum S. creaturam eſſe dicunt. 9.no Ad Jovinianum, ſeu Jovianum Imperatorem Juliani Apoſtatæ Succeſſorem de fide Epiſtola, in qua ei fidem Nicænam exponit. 10 mo De Synodi Nicænæ decretis contra Euſebium Epiſtola. 11.mo De ſententia Dionyſii Alexandrini Epiſcopi adverſus Arianos Epiſtola. 12.mo Ad Antiochenſes Epiſtola. 13.tio Ad Epictetum Corinthianum Epiſcopum Epiſtola adverſus hæreticos, in qua eum redarguit, quod in ſuis commentariis aſſeruiſſet, corpus ex Maria genitum eſſe cum Verbi Divinitate conſubſtantiale, quod ut impium, & nunquam in Eccleſia auditum fuſe reprobat. 14.to ad Adelphium Onupheos Epiſcopum, & Confeſſorem Epiſtola contra Arianos. 15.to ad Solitarios Epiſtola: cujus pars poſterior videtur eſſe fragmentum alterius operis cujusdam Authoris, quia cum priori nullatenus cohæret. Ita exiſtimat Cartier cum Annato. 16.to De Synodis Arimini, & Seleuciæ Epiſtola: de qua Bellarminus recte monet, quod S. Hieronymus L. de Script. Eccleſ. ſcribit, exſtare etiam librum Athanaſii contra Valentem & Urſacium, recte accipi poſſe de libro inſcripto de Synodis Arimini & Seleuciæ; in illis enim contra Valentem & Urſacium proprie ſcribitur. 17.mo Ad Africanos Epiſcopos Epiſtola pro Nicæna Synodo adverſus Arianos. 18.vo Ad omnes orthodoxos Epiſtola, in qua, deſcriptis iis, quæ per Arianos patiuntur orthodoxi, eos hortatur ad commiſerationem, & Zelum pro Eccleſiaſticis canonibus, & Eccleſiæ fide. 19.no ad Dracontium Epiſcopatum, ad quem electus fuerat, fugientem Epiſtola. 20.mo ad Conſtantium Imperatorem

rem Epiſtola, qua ſe purgat a falſis Arianorum calumniis. 21.mo De Fuga ſua Apologia. 22.do Apologia contra Arianos ſecunda. 23.tio Vita S. Antonii. Quod S. Athanaſius ſcripſerit vitam S. Antonii, teſtatur Hieronymus L. de Script. Eccleſ. in Antonio, Evagrio, & Athanaſio: teſtantur etiam S. Gregorius Nazianz. Oratione in laudem S. Athanaſii, & S. Auguſtinus L. 8. Confeſſ. c. 6. Hæc genuina S. Athanaſii creduntur ſcripta.

Modo autem controverſia reſtat de Symbolo S. Athanaſii, quod incipit: *Quicunque vult ſalvus eſſe &c.* Symbolum iſtud S. Athanaſii non eſſe, variis conjecturis contendunt Eruditi non pauci, quibus & Alexander Natalis tom. 4. Hiſt. Eccleſ. ſæculo IV. c. 6. fol. mihi 109. n. 9. accedit, ubi plura pro hac ſententia negativa affert argumenta. Sed communis, & veriſimilior eſt aliorum ſententia, illud vere eſſe S. Athanaſii; quam & ego amplector.

Aſſertio Unica de Symbolo Athanaſii.

266. Aſſero: Symbolum hoc recte tribuitur S. Athanaſio Authori. Probatur. Primo id ſuadet antiqua Traditio Eccleſiæ, quæ illud ſub nomine S. Athanaſii in Officio divino recitandum proponit.

2. Symbolum hoc velut genuinum Athanaſii ſcriptum agnoſcunt, & allegant SS. Patres antiqui, non multo poſteriores S. Athanaſio, ut S. Gregorius Nazianzenus, dum in Oratione de laudibus S. Athanaſii inter alia dicit: *Eum Imperatori donum vere regium, & magnificum obtuliſſe, ſcriptam nimirum fidei confeſſionem:* Per hanc intelligi Symbolum illud S. Athanaſii, notat expreſſe Genebrardus Facultatis Sacræ Pariſienſis Theologus, Hebraicæ Linguæ Profeſſor regius, & Aquenſis denique Archiepiſcopus, in Præfatione ad ſuum hujus Athanaſiani Symboli Commentarium. Notat idem Jacobus Billius in Eremo S. Michaelis Abbas, operum Gregorii ex græco in latinum translator, & brevibus, ac eruditis Notis Illuſtrator, vir Linguarum peritus, & in lectione SS. Patrum apprime verſatus, Pariſiis anno 1580. mortuus.

S. Auguſtinus Symbolum illud S. Athanaſii eſſe clariſſime teſtatur, dum Tract. in Pſal. 120. explicans illud: *per diem Sol non uret te*, ſic ait: *de hoc ſole Pater Athanaſius, Alexandrinus Epiſcopus ita pulchre locutus eſt: Filius, inquit, a Patre ſolo non eſt factus, nec creatus, ſed genitus.* quæ ſunt ipſiſſima Symboli hujus verba. Item dum L. 5. de Trinitate c. 8. pariter iſta ipſiſſima Symboli verba refert: *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus, non tamen tres omnipotentes,*

ſed

sed unus omnipotens. ficut & ifta, quibus utitur Sermone 195. *Rogo vos, & admoneo, Chariſſimi fratres, ut, quicunque vult ſalvus eſſe, fidem rectam & Catholicam diſcat, ut credat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Deus, non tamen tres Dii, ſed unus eſt Deus: qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. —— Filius æqualis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem, Spiritus vero ab utroque procedens.*

Hoc Symbolum ut S. Athanaſii allegat etiam D. Thomas p. 1. q. 10. art. 2. item ibidem p. 1 q. 36. art. 2. item eadem p. 1. q. 42. art. 1.

3. Symbolum hoc ſub nomine S. Athanaſii citatur a Synodo Auguſtodunenſi ſub Leodegario Epiſcopo, & Adeodato Romano Pontifice habitum anno Chriſti 670.

4. Symbolum iſtud S. Athanaſio tribuunt Summi Pontifices, ut Gregorius per ſuos Legatos ad Græcos, pro eorum cum Latinis unione miſſos anno Chriſti 1233. & Eugenius IV. anno Chriſti 1439. in Decreto de Armenorum unione, quibus Symbolum illud ſub nomine S. Athanaſii commendat: quod & idem longe prius in ſua Eccleſia commendaverat Hincmarus Epiſcopus Rhemenſis circa annum 850.

5. Si Symbolum hoc non eſſet Athanaſii, ſed authoris recentioris quinto ſæculo ſcribentis, ut prætendunt Adverſarii, illud non laudaſſet Gregorius Nazianzenus quarto tantum vivens ſæculo, nec illud Athanaſio tribuiſſet S. Auguſtinus antiquior: ſed neutrum poteſt dici, ut ex præcedentibus conſtat: ergo.

Aut ſi eſt alicujus alterius, vel eſt Vigilii Tapſenſis, ut cum Quenellio nonnulli volunt? Sed Vigilius ille eſt ſæculi quinti deſinentis author, proinde S. Auguſtino, & omnino Gregorio recentior. Vel eſt Anaſtaſii Sinaitæ, ut cum Miræo, decepti nominis affinitate, alii affirmant? Sed ille non ſolum Auguſtino, ſed & Vigilio Tapſenſi eſt recentior, cum obierit anno 608. Vel eſt Theologi Galli anonymi, ut in ſua diſſertatione de tribus Symbolis ſentire videtur Gerardus Voſſius? Verum iſte eſt omnibus illis longe poſterior, cum ponatur vixiſſe ſub Pipino, vel Carolo Magno. Vel Vincentii Lirinenſis, ut aliqui adſtruunt? at iſte, licet Auguſtino ſit coævus, tamen eo eſt paulo recentior, & Gregorio Nazianzeno multo poſterior. Vel S. Euſebii Vercellenſis, ut iterum aliis placet? Hic quidem erat S. Athanaſio contemporaneus, ac proinde non recentior, aut ſæculi quinti deſinentis author; at aliunde eſt minor ratio illud Symbolum Euſebio adſcribendi, quam Athanaſio, cui illud hucusque tribuit univerſa Eccleſia. Nihilominus

Objic.

267. Objic. 1. Symbolum iſtud fuiſſet magni ponderis ad refellendam hæreſin Eutychianam de una in Chriſto natura: per conſequens, ſi exſtitiſſet, fuiſſet allegatum a Leone Magno, & a Calcedonenſis Concilii Patribus: ſed ab his non fuit allegatum: ergo tunc necdum exſtitit, per conſequens non eſt S. Athanaſii anterioris.

℟. N. 2. memb. Maj. potuit tunc temporis hoc Symbolum fuiſſe incognitum Leoni, & Calcedonenſis Concilii Patribus, ſicut S. Auguſtino jam Epiſcopo Nicæni canones, cui iidem, quamvis a centum & pluribus retro annis editi, promulgatique, nondum fuere noti, ut ipſemet teſtatur Epiſt. 110. eo magis, quod Symbolum hoc privatim a S. Athanaſio ſcriptum fuiſſet. Inſuper ex hoc negativo argumento ſequeretur, epiſtolam ipſius ad Epictetum ſupra memoratam non illius eſſe, quia nec a Leone, nec a Patribus Synodi Calcedonenſis citata fuit, licet in ea non minus, quam iſto ſymbolo Eutychianæ hæreſis error rejiciatur: nihilo tamen ſecius nemo Eruditorum, eam eſſe genuinum partum S. Athanaſii, diffitetur.

Objic. 2. In hoc Symbolo refutantur duæ hæreſes, nondum tempore S. Athanaſii exortæ, nempe Neſtoriana de duplici Perſona, & Eutychiana de Chriſto: ergo hoc ſymbolum recentius eſt Athanaſio. ℟. N. c. Non enim illud Symbolum ſcripſit Athanaſius, ut jam ſuo tempore exortas hæreſes confutaret, ſed ut proponeret doctrinam Catholicam ad præcavendos errores etiam futuros: Et ſymbolum hoc non hæreſum eſt confutatio, ſed fidei confeſſio, & manifeſtatio. Nunquid ex antiquorum Patrum ſcriptis, qui præceſſerunt hæreſes recenter exurgentes, hæ convelluntur? Redit & prior reſponſio, ac exemplum de Epiſtola ejusdem Sancti ad Epictetum.

Objic. 3. Nullus author Athanaſio coævus, aut coævis vicinus unquam meminit hujus Symboli, & S. Hieronymus in Catal. Script. Eccleſ. ex propoſito recenſens opera S. Athanaſii, de hoc ſymbolo altum tacet: ergo. ℟. Tr. a. n. c. licet nullus Apoſtolis coævus, aut coævis vicinus meminerit Symboli Apoſtolorum, aut ſcripſerit, illud ab Apoſtolis editum, tamen non ſequitur, illud non eſſe Apoſtolicum. Sanctus autem Hieronymus l. cit. non recenſet omnia opera Athanaſii, ſed ſolum pleraque, quibus recenſitis ſic concludit: *& multa alia, quæ enumerare longum eſt* &c. Præterea falſum eſt, nullum coævum Athanaſio, vel ejus coævis vicinum memoriam feciſſe hujus ſymboli: etenim illud ſub nomine S. Athanaſii laudarunt S. Gregorius Nazianzenus, & S. Auguſtinus vicini coævis.

Objic. 4.

Objic. 4. Qui ſymbolum illud S. Athanaſio tribuunt, non conveniunt de loco, nec tempore, quibus illud ediderit: ergo id ei falſo tribuunt. ℞. N. c. Nec conveniunt Doctores de loco, nec de tempore, quibus Apoſtoli ſuum ſymbolum ediderunt, & tamen nemo Catholicorum negare audet, id eſſe vere Apoſtolorum. Nihil ergo confert ad rei veritatem locus vel tempus, quo doctrina aliqua ſcripta, vel edita fuerit, dummodo editam eſſe conveniant.

Objic. 5. In toto hoc Symbolo nulla fit mentio vocis *homouſios*, ſeu *conſubſtantialis*, quæ tamen tempore S. Athanaſii fuit quaſi theſſera Catholicorum contra Arianos: ergo hoc ſymbolum nec a S. Athanaſio, nec ejus ætate eſt editum. ℞. D. a. Non fit mentio expreſſa c. a. non fit mentio virtualis, & eminenter talis n. a. quid enim ſonant iſta: *neque ſubſtantiam ſeparantes* (in Perſonis) Item: *Patris & Filii & Spiritus S. una eſt Divinitas, æqualis gloria, coæterna Majeſtas &c.* quæ aperte exprimunt *conſubſtantialitatem Perſonarum.*

Objic. 6. Hoc Symbolum habetur tantum latine editum, & ſtylus ejus nullatenus videtur eſſe hominis græci, cum nullum græcismum redoleat: & S. Athanaſius fuit Scriptor Græcus Latinæ linguæ non peritus: ergo. ℞. interea N. a. Nunquam enim mihi oſtendet Alexander Natalis, qui huic argumento multum tribuit, S. Athanaſium fuiſſe ignarum linguæ Latinæ: fuit hic excultus omni doctrina, quidni & Latinis literis, ſicut olim multi Scriptores græci? vel potuit addidiciſſe eam linguam biennio illo, quo profugus vixit Treviris, item dum profugus Mediolani, Aquilejæ, & Romæ egit.

Cæterum, cujuscunque authoris hoc ſymbolum ſit, continet doctrinam fidei ſanam, & ſanctam, ab Eccleſia probatam, & in ſuis precibus publicis propoſitam.

Serapion Epiſcopus a S. Athanaſio conſecratus, vir fuit S. Antonio charus: ſcripſit librum adverſus Manichæos, qui exſtat apud Henricum Caniſium tomo 5. antiquæ lectionis: ſcripſit etiam de Pſalmorum titulis, & Epiſtolas ad diverſos teſte S. Hieronymo L. de Scriptoribus Eccleſ. ſed non videntur exſtare, ait Bellarminus. 268.

Julius Maternus Firmicus vixit tempore filiorum Conſtantini Magni, ad quos ſcripſit librum de Myſteriis, & erroribus profanarum Religionum. Teſte Bellarmino exſtat hic liber in Bibliotheca SS. PP. tom. 4.

Lucifer Calaritanus in Sardinia Epiſcopus, S. Athanaſio coævus, propter mundi contemptum, virtutis amorem, & fidei conſtantiam,

tiam, in quibus excelluit, illuſtris, cauſam S. Athanaſii conſtanter ſuſtinuit, ita, ut etiam poſt Schisma factum, & Sectam Luciferianam poſt ſe relictam, a SS. Patribus non niſi timide & dubitanter arguatur. Inſuper inſignem defenſionem Luciferi Calaritani publici juris fecit vir clariſſimus Ambroſius Machin ex ordine B. Virginis de mercede Archiepiſcopus Calaritanus Urbano VIII. dicatam, ubi & Luciferi ſanctitatem, & cultum Eccleſiaſticum plane Religioſum ſemper, & usque nunc eidem in Sardinia ut vere Sancto præſtitum oſtendit, & propugnat. Unde Sianda v. *Luciferiani* non audet Luciferum aſſerere Schismatis authorem, nec aſſertam authoritatem labefactare, quam plures alii defendunt non obſtante Schismate ei attributo, quaſi per ignorantiam, non malitioſe Schismaticus fuerit.

Libri ipſius, qui exſtant, ſequentes apud Bellarminum recenſentur. 1.mo Ad Conſtantium Imperatorem Libri 2. 2.do De Regibus Apoſtaticis 1. 3.tio De non conveniendo cum hæreticis 1. 4.to De non parcendo delinquentibus in Deum 1. 5.to Quod moriendum ſit pro Filio Dei 1. 6.to Epiſtola ad Florentium 1.

Errores Luciferianorum a Sianda cit. in Lexico Polemico hi recenſentur, quos hic refero, quia omiſi in Catalogo hæreticorum. 1. Animam credebant transfuſione eſſe genitam. 2. Negabant, cum honore Epiſcopali in Eccleſia recipiendos eſſe Epiſcopos ſemel in hæreſin lapſos, in quo eſt contrarium Concilium Nicænum III. 3. Solam ſuam, dicebant, veram eſſe Eccleſiam.

C. Marius Victorinus Afer floruit ætate Conſtantii Imperatoris, anno quadrageſimo, ut ipſe eſt teſtis, poſt Concilium Nicænum. Jam ſenex fidem amplexus eſt, ut teſtatur S. Auguſtinus. Poſt converſionem ſuam relictis libris gentilium ſcripſit, teſte S. Hieronymo L. de Scriptor. Eccleſ. contra Arianos, & in Epiſtolas B. Pauli: quem commentarium in Epiſtolas, idem Hieronymus in Proœmio Epiſtolæ ad Galatas ait, non eſſe valde probandum. Pariter Hymni tres de SS. Trinitate eodem authore, & carmen heroicum de Machabæis caute legenda ſunt, ſicut & alia ejus ſcripta, quia Author plus Rhetoricæ, quam Theologiæ & Sacris Literis operam impendit.

S. Hilarius natione Gallus, & juxta Fortunatum Libro 1. Vitæ S. Hilarii: *inter gallicanas familias lampade nobilitatis non obſcurus*, Pictavis in Aquitania oriundus, & in Patria ſua tandem Epiſcopus, S. Athanaſii ſynchronus. Hic ætate jam provecta ad Chriſtum converſus, brevi in eximium, & magnum Eccleſiæ Doctorem evaſit, ut de

269. illo

illo reperiatur hoc celebre elogium: *Pictavis Hilario multum radiata Magistro:* quem etiam S. Hieronymus nunc *latini sermonis tubam*, nunc *latinæ eloquentiæ Rhodanum*, modo *sui temporis Confessorem* salutat. Pro fide orthodoxa e Synodo Bitterensi factione Saturnini Arelatensis Episcopi Ariani anno Christi 356. in Phrygiam exul relegatus, & tandem ab exilio e multiplici cum Arianis prælio in Galliam reversus, Pictavii feliciter obiit, relictis egregiis scriptis.

Præcipua ejus opera sunc hæc: 1. Libri 12. de Trinitate adversus Arianos. 2. Liber de Synodis, seu de fide orientalium. 3. Duo libri adversus Constantium Augustum. 4. Adversus Auxentium liber 1. 5. Liber unus de Synodis. 6. Commentaria in Matthæum. 7. Explanatio in aliquot Psalmos. Et de his, teste Bellarmino, nulla dubitatio est; quia eorum meminit S. Hieronymus L. de Script. Eccles. & nemo illis unquam contradixit.

8. Epistola ad Abraham filiam, in qua illam ad ineundas nuptias cum cœlesti Sponso hortatur. 9. Ad eandem Hymnus. Quidquid obganniat Erasmus, tam Epistola, quam Hymnus ei adjunctus sunt S. Hilarii; quia de his testatur Fortunatus S. Hilarii Successor, totum argumentum Epistolæ referens, cui plus credendum, quam Erasmo.

10. Libri duo de unitate, & essentia Patris & Filii, Censore Bellarmino, certe graves sunt, & docti, & S. Hilarii Spiritu ac eloquentia non indigni: sed tamen non videtur eidem Cardinali omnino certum, eos esse Hilarii: forte sunt alterius, qui S. Hilarium imitari voluit.

11. Duæ ad Augustinum Epistolæ. Verum hæ extra dubium non sunt S. Hilarii Pictaviensis, sed alicujus Hilarii multo recentioris; etenim Pelagiani, de quibus in Epistolis illis agitur, post Hilarii obitum exorti sunt, & ipse Augustinus, ad quem scribuntur, post Hilarii obitum primum Christianus factus est.

12. Carmen in Genesin, Hilario tributum, ejus esse non potest; nam ad Leonem Papam scriptum est. Interim, ut observat Bellarminus, quamvis hoc carmen sit alterius, tamen constat ex Concilio Toletano 4. can. 12. Hymnos aliquot S. Hilarii cani in Officio Ecclesiastico.

270. Gregorius Beticus, & Sebadius, sive Phegadius, sive Phebadius Agennensis in Gallia, eodem tempore, quo S. Athanasius & Hilarius, contra Arianos suum quisque librum edidit. Exstant hi libri in Bibliotheca SS. PP. tom. 4. S. Hieronymus meminit etiam horum authorum, & librorum L. de Script. Eccles.

S. Pacianus Episcopus Barcinonensis obiit Theodosio imperante, & scripsit Epistolas tres contra Novatianos, quorum meminit S. Hieronymus de Script. Eccles. Præter has nunc exstant etiam Paciani Parenesis ad pœnitentiam, & libellus de Baptismo. Neque, teste Bellarmino de Script. Eccles. aliquid occurrit, unde de eorum librorum authoritate dubitari possit.

Didymus Alexandrinus cæcus a teneris annis dictavit opera plurima, & nobilissima teste S. Hieronymo L. de Script. Eccles. Nunc exstat solus liber de Spiritu Sancto inter opera S. Hieronymi, ab hoc in latinam linguam traductus. Exstat etiam liber contra Manichæos apud Henricum Canisium tom. 5. Lect. antiquæ. Reprehenditur tamen etiam ab Hieronymo illius admiratore, quod Origenis errores fuerit secutus.

S. Optatus Milévitanus Episcopus septem egregios contra Donatistas conscripsit libros. Meminit quidem S. Hieronymus de Script. Eccl. sex tantum librorum: sed septem nunc numerantur, neque septimus a reliquis discrepat, &, Judice Bellarmino, in Libros Hieronymi potuit facile error irrepere in numeris.

Titus Bostrenus, vel Bostrorum Episcopus vixit sub Juliano, & obiit sub Valente: scripsit egregios libros contra Manichæos: e quibus tres, cum argumento quarti anno 1604. edidi ab Henrico Canisio tomo 5. antiquæ lectionis: item commentaria ei adscripta in Matthæum & Lucam, non possunt esse hujus Titi; citat enim author eorum passim Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, & Pelusiotam, qui adhuc erant pueri, cum iste Titus moreretur.

S. Cyrillus, Hierosolymitanus sub Constantio Episcopus creatus, & sæpe de Sede ejectus, & eidem restitutus, Theodosio imperante obiit. In adolescentia scripsit Catecheses, quæ nunc græce & latine exstant. Ei etiam tribuitur Epistola ad Constantium de apparitione Crucis.

Apollinarius Laodicenus Episcopus vixit tempore Constantii usque ad Theodosium seniorem: fuit magis gnarus Poëseos & Rhetoricæ, quam Theologiæ, ideo in gravissimos errores lapsus, atque in eum præcipue, quod in Christo non sit anima rationalis. S. Basilius Epist. 72. dicit, Apollinarem fuisse nimis promptum ad scribendum, & mundum totum suis libris replevisse, sed libris parum considerate scriptis. Nunc solum exstant Psalmi Davidis ab ipso carmine heroico scripti.

271. S. Ephremus, vulgo Ephrem, nec græcus, nec latinus, sed Syrus Ecclesiæ Pater, & Scriptor Venerandus, Nisibi Christianis parentibus

rentibus sub Constantino Magno natus, fuit eremi cultor insignis, & Edessenæ Ecclesiæ Diaconus mirabilis, a Basilio Magno Cæsareæ Presbyter ordinatus, sed sacro Humilitatis Zelo ad celebranda S. mysteria accedere nec semel ausus, licet dignissimus coram Deo & hominibus; cœlestem enim, & morum sanctitate purissimam in terris degebat vitam. Obiit plenus meritis 1. Februarii anno Christi 378.

Scripsit hic vir vere doctus, & æque Sanctus varia opuscula de variis argumentis, quæ e Syro sermone, quo usus est, in græcum, e græco in latinum translata, & variis editionibus vulgata fuerunt. 1.mo est Tractatus in hæc Apostoli verba 1. Corinth. 7. ℣. 9. *Melius est nubere, quam uri.* Ubi expresse tenet, hanc Apostoli sententiam ad solos Sæculares, & liberos, non autem ad Religiosos, & castitatis voto ligatos spectare. 2.do Tractatus de Natura Dei, in quo realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia asserit his clarissimis verbis: *Esto fidelis, atque innocens participa immaculatum Corpus, & Sanguinem Domini tui fide plenissima, certus, quod Agnum ipsum integre commedes.* Et infra: *Ignem & Spiritum manducandum præstitit nobis, Corpus scilicet & Sanguinem suum.* 3.tio Exhortationes, seu Parænefes ad Monachos variæ. 4.to Nonnulli Sermones Ascetici. 5.to Encomia quædam Sanctorum, ut S. Basilii Magni, SS. quadraginta Martyrum, & SS. Martyrum omnium. 6.to Varii alii Sermones de variis Virtutibus, & Vitiis. 7.timo ac ultimo Testamentum ejus mirabile, hoc est, mirabilis & ultima ejus Oratio, quam dierum plenus, & mortis suæ præscius edidit, & Orbi Christiano testamenti loco reliquit, quo cunctis varia sanctæ vitæ, morumque documenta legavit. In hoc testamento inter alia, pro mortuis esse orandum, ac ipsis vivorum suffragia prodesse, fatetur his verbis: *Ex nunc volo fratres commonefacere, & rogare vos, ut post meum exitum, & transitum assidue memoriam mei in vestris precibus faciatis &c.* Et infra: *Mortui enim in precibus, atque oblationibus commemorationis Sanctorum viventium beneficio afficiuntur.* In eodem Testamento Christi Divinitatem pluribus adstruit.

Nec moveat aliquem, quod S. Ephrem in hoc testamento videatur contraria dicere, scilicet, quod nunquam in Deum contumeliosus fuerit, &, quod fuerit; Nam ℞. hæc non esse contraria, si de diverso tempore intelliguntur: nempe affirmatio, quod contumeliosus in Deum fuerit, ad tempus juventutis, quo non plene ad Deum fuit conversus, negatio vero ad tempus posterius, quo se plene Dei servitio consecraverat, reduci debet. Et sic nihil est contrarium.

272. D. Basilius Magnus, egregius Ecclesiæ Doctor, & Pater, natione Græcus, & regione Ponticus, ortus parentibus antiqua nobilitate celebribus anno circiter Christi 328. frater SS. Gregorii Nisseni, & Petri Sebastæ Præsulum, aliorumque duorum vitæ Monasticæ Sectatorum, quorum unus, maximus natu, *Naucratius* vocabatur, & S. Macrinæ Virginis, & Monasterii Virginum Præpositæ nominatissimæ: fuit S. Gregorii Nazianzeni Athenis, & in eremo socius individuus, & amicus, atque græcorum Monachorum in Oriente parens sanctissimus, non quidem ut Ordinis institutor, sed ut Rector, & moderator, tum, quia Cænobitis jam in Oriente florentibus regulam vitæ Monasticæ tradidit, tum quia illis in Ponticæ regionis eremo convixit aliquot annos, scilicet quinquennium, usque ad annum circiter 357. quo post Eusebii obitum, Cæsareæ Capadociæ ordinatus Episcopus erat, merito dictus *magnus*, imo *Maximi* nomine dignissimus: quem viri laudarunt multi & magni, ut S. Ephrem, S. Amphilochius, SS. Gregorii Nissenus & Nazianzenus, perpessus multa ab Imperatoribus, hæreticis, ac aliis, & a se ipso, suoque in corpore continuis ferme infirmitatibus, & doloribus afflictus: demum post labores innumeros, & multos libros editos pro Ecclesia, tam pro firmanda fide contra Sabellianos, Eunomianos, & Arianos, quam pro instruenda Clericorum, Monachorum, Virginum & Laicorum vita, morumque disciplina excolenda, e terris in cælum abiit 1. Januarii anno Christi 378. vel 379.

Scripta ejus hæc recensentur. 1. In Hexameron, seu opificium sex dierum Homiliæ 11. Scribit quidem S. Hieronymus L. de Script. Eccles. Homilias de hoc objecto esse novem: verum hoc dicit, quia Basilius tantum 9. ab initio scripsit: sed postea addidit alias duas, quarum initium est: *Veteris debiti solutionem &c.* Unde hæ duæ Homiliæ Gregorio Nisseno perperam, & sine causa adjudicantur. Liber plane Gregorii Nisseni de opere 6. dierum scriptus, diversus omnino est a duabus Homiliis S. Basilii.

2. Homiliæ 17. in aliquos Psalmos.

3. Variorum argumentorum Homiliæ.

4. Adversus Eunomium libri 5. quibus refellit hujus hæretici impias blasphemias, Filium in Divinis Patri esse æqualem, & consubstantialem probans: quamvis Erasmus ultimos duos libros, ut indignos Basilio, eidem abneget, alii tamen non indignos eodem æstimant.

5. Adversus Sabellianos, Arianos, & Anomæos liber unus, quo mira eruditione confutat horum hæreticorum errores, & contra

tra eos Deum unum in natura, & Trinum in Perſonis ex Scriptura probat.

6. Contra eos, qui calumniantur nos, quod tres Deos colamus, oratio, ſeu Homilia, qua calumniam rejicit, & calumniatores increpat.

7. De Baptiſmo Libri duo.

8. De Spiritu S. Liber, in quo fuſe 30. capitibus diſputat, & varias de Spiritu S. quæſtiones reſolvit; ubi & incidenter c. 27. egregie pro Traditione loquitur, dicens inter alia: *Dogmata, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus e doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum Traditione in Myſterio, id eſt, in occulto tradita recipimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem* &c.

9. Aſcetica Baſilii opera: ad quæ reducuntur regulæ fuſius diſputatæ, & regulæ breviores, ſeu compendioſe diſputatæ, id eſt, libri duo. In primo libro 55. ſunt reſolutiones prolixius datæ: in ſecundo exiſtunt 313. brevius diſſolutæ. Huc reducuntur & *Conſtitutiones Monaſticæ*, & *Sermones Aſcetici*, quoscunque ſcripſit. At vero Bellarminus ait: quæſtiones compendio explicatas, non eſſe indubitatas; quam q. 1. & 95. videtur damnare Traditiones, quas Baſilius acriter defendit L. de Spiritu Sancto c. 27. item q. 4. & 293. videtur tollere diſcrimen peccati mortalis & venialis, quod certe S. Baſilio tribui non poteſt. Unde Nicephorus L 9. c. 16. & L. 13. c. 29. ac Sozomenus L. 3. c. 13. dicunt, a multis Aſcetica Baſilii opera tribui Euſtathio Sebaſteno, quod putat Bellarminus de quæſtionibus compendio explicatis intelligendum. Interea Annatus quæſtiones has compendio explicatas egregie vindicat S. Baſilio, & ad primam objectionem Bellarmini reſpondens, eam ſic diluit: Dum S. Baſilius rejicere videtur Traditiones, non rejicit veras & Apoſtolicas, ſed illas, quæ introducuntur ab hæreticis, & Scripturæ ſunt contrariæ, ac ſunt de iis, quæ nec licent, nec expediunt, nec ædificant. Ad ſecundam objectionem ait: a Baſilio tantum negatur differentia ea peccatum inter mortale & veniale, quod illud ſit vitandum, & non negligendum, veniale vero non vitandum, ſed negligendum.

10. De vera Virginitate ad Letojum Mitilenſem Epiſcopum liber: qui licet laudetur a S. Suida ut germanus S. Baſilii partus, & contineat præcepta ſanctiſſima, Baſilii tamen eſſe non creditur a nonnullis; quia multa complectitur, quæ non conveniunt modeſtiæ & pudori S. Baſilii, & quia inſcribitur ad Letojum Mitilenſem Epiſcopum, qui jam deceſſerat e vita, antequam Baſilius creatus eſſet Epi-

ſcopus,

scopus, & Ottejus successor Letoji Mitilensem regebat Ecclesiam, dum Basilius Cæsareensem.

11. Canonicæ ad Amphilochium Epistolæ tres, canonicæ dictæ ob canones, quos continent.

12. Epistolæ aliæ multæ ad alios, nempe 212. quales sunt variæ præsertim ad S. Gregorium Nazianzenum, & ad S. Gregorium Nissenum fratrem, ad S. Athanasium magnum, ad S. Ambrosium Mediolanensem, ad Meletium, ad Julianum Imperatorem, & aliæ multæ, inter quas est una, n. 43., ad Gregorium fratrem Nissenum Episcopum, in qua differentiam explicat Basilius inter ἐσίαν & ὑπόστασιν contra eos, qui in suis dogmatibus enarrandis confundunt ἐσίαν, & ὑπόστασιν, seu essentiam & subsistentiam, seu personam.

13. Ethica, seu moralia ejus opera: ad quæ pertinent 8. moralium regulæ, quas conscripsit S. Basilius, ut doctrinam de moribus exponeret. In his afferuntur, quæcunque sparsim diversis in locis in novo Testamento jubentur, vel prohibentur. Ad ista etiam reducuntur plura opuscula moralia, quale est admonitio mirabilis ad filium spiritualem.

14. Liturgia, seu Sacra incruenti Christi Sacrificii celebrandi formula, quæ memoratur a S. Paulo Archi-Episcopo Constantinopolitano in Tractatu de Traditione D. Liturgiæ, qui est in tomo Bibliothecæ PP. Edit. Lugd. 1677. licet alias inter opera S. Basilii non reperiatur.

Præterea ait Bellarminus de Script. Ecclesiasticis in Basilio: *additur etiam in Editione Antverpiensi commentarius S. Basilii in 16. capita Isaiæ Prophetæ, & alia minutiora tum in ea Editione, tum in aliis adduntur.*

§. V.

Continuatur materia de Scriptoribus Ecclesiasticis hujus IV. Sæculi.

273. Andreas Cæsareæ in Cappadocia Episcopus post S. Basilium, quem sæpe citat, & ideo hic ponitur, licet non sit certum, quando vixerit: fuit vir doctus, & omnium consensu antiquus Scriptor habetur. Scripsit commentarios in Apocalypsin, qui exstant in Bibliotheca SS. PP. tom. 1. Edit. 2dæ.

S. Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus ob eminentem Theologiæ peritiam dictus, erat Nazianzi in Cappadocia, vel Arianzi prope Nazianzum e Gregorio Patre, & Nonna Matre genitus, Libanii Sophistæ Athenis Discipulus, S. Basilii Magni studiorum & virtutum comes, S. Hieronymi Præceptor, a Patre suo Gregorio Episcopo

Episcopo Nazianzeno Presbyter ordinatus, Sazimorum Episcopus postea a S. Basilio Cæsareensi Archiepiscopo designatus, sed ea relicta Ecclesia nomine Patris sui senio confecti Nazianzenam rexit Ecclesiam: Patre defuncto Constantinopolim profectus, ibi cum Arianis diu, multumque pugnans, hujus Sedis Episcopus eligitur a 150. Præsulibus ibidem contra Macedonium congregatis anno 381. qua dignitate statim abdicata, in Patriam suam Arianzum, vicinum Nazianzi pagum, rediit, ubi tandem post 8. vel 9. circiter annos obiit die 9. Maji anno Christi 389. vel 390.

Scripta ejus hæc numerantur. 1. Libri Apologetici, seu Orationes Apologeticæ quatuor, quibus se luculenter, & docte purgat a variis, quæ ei objiciebantur, vel objici poterant. 2. Orationes funebres, seu laudatoriæ octo. 3. Oratio in laudem Heronis Philosophi. Hic monet Bellarminus, hanc Orationem debere inscribi in laudem Maximi Philosophi, ut testatur S. Hieronymus L. de Script. Eccles. in Gregorio Nazianzeno: ubi & reprehendit eos, qui mutaverunt nomen Maximi in nomen Heronis. 4. Orationes de pace tres. 5. Orationes, seu Libri de Theologia quinque. 6. Orationes in Julianum Imperatorem duæ. 7. Orationes in dies festos septem. 8. Tractatus de fide unus. 9. Tractatus de fide Nicænæ Synodi unus. 10. Orationes variorum argumentorum septendecim. 11. Ad Virginem exhortatio una. 12. Metaphrasis in Ecclesiasten una: hanc tamen non esse Gregorii Nazianzeni, sed Thaumaturgi vult Bellarminus: de quo jam actum est in Gregorio Thaumaturgo.

Varia insuper edidit opuscula Poëtica, totque in extrema senectute scripsit carmina, ut dicat S. Hieronymus, eum ad 30. millia versuum cecinisse, quorum ne media quidem pars ad nos pervenit. Ex his supersunt 1mo Tragœdia inscripta: *Christus patiens.* Sed hæc a Bellarmino abjudicatur Nazianzeno, quia non videtur habere gravitatem consuetam huic Gregorio, maxime cum describitur ejulatus Matris Christi, quæ prudentissima, & constantissima erat. 2do. De rebus suis carmina, seu ad Christum Poëma. 3tio. De Virginitate carmen, quo eam mire laudat. 4to. De eodem argumento alterum Poëma. 5to Varia opuscula carmine descripta, ut de Miraculis Christi, Parabolis Christi, Genealogia Christi, Moysis Decalogo, undecim Patriarchis &c. & nonnulla alia pia.

S. Damasus Pontifex Romanus anno 6. Theodosii obiit. Scripsit de Virginitate, & alia, quorum meminit S. Hieronymus L. de Script. Eccles. At vera ejus scripta non exstant, demptis paucis Epistolis, quarum aliquæ sunt inter Epistolas S. Hieronymi, aliquæ in

274.

in historia Theodoreti L. 2. c. 22. & L. 5. c. 10. & 11. Tribuitur etiam S. Damaso liber de vitis Pontificum: sed est Anastasii Bibliothecarii. Exstat in tom. 1. Conciliorum.

Faustinus Diaconus vivens tempore Damasi Pontificis, bis Schismaticus, semel in Schismate Ursicini contra Damasum, & iterum in Schismate Luciferianorum, ut testes sunt Gennadius de Viris Illustr. & Card. Baronius tom. 4. Annal. ad annum Damasi 1. & Siricii quartum. Hic tamen ponitur, quia scripsit ad Flacillam Imperatricem septem sat eruditos libros adversus Arianos, qui exstant in Bibliotheca SS. PP. tom. 4. Edit. 2.

S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus floruit sub Valente, Gratiano, & Theodosio Augustis. Testatur S. Hieronymus L. de Script. Eccles. Epiphanium in extrema etiam senectute libros scripsisse.

Scripta ejus hæc sunt: 1. Opus Panarium adversus omnes hæreses, quæ tunc ad octoginta numerabantur. 2. Liber inscriptus: Ancoratus. 3. Anacephalæosis, sive Summa Panarii. 4. De Mensuris, & Ponderibus liber. 5. Historia brevis de Prophetarum vita. 6. Ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum Epistola, a S. Hieronymo latinitate donata, cui, teste Bellarmino, videtur ad finem aliquid additum de Iconoclastis: de qua re vide etiam Controversias ejusdem Bellarmini L. 2. de Sanctis c. 9. De his libris nulla dubitatio est. Dicitur quoque Epiphanius scripsisse vitam S. Hilarionis, sed ea non exstat.

Philo Carpathius a S. Epiphanio Episcopus ordinatus, scripsit commentaria in Cantica Canticorum. Exstant in 1. tom. Bibliothecæ SS. PP. 2. Edit.

S. Cyrillus Jerosolymitanus Patriarcha, insignis Apostolicæ doctrinæ propugnator, ad populum docendum facilis, magnæ sanctitatis vir, qui e celebri Jerosolymitano Catecheseon Magistro ab Acacio Cæsariensi, cæterisque Con - Provincialibus Episcopis post Maximum mortuum ad Patriarchalem Jerosolymæ Sedem rite promotus est sub Constantio Imperatore anno circiter 350. in qua varia pro fide Christi certamina contra Arianos subiit. In ea etiam sæpe Acacii dicti factione turbatus, & tandem inde ejectus, ac procul pulsus; sed postea honorifice restitutus, deinceps quiete vixit usque ad annum Christi 386. quo, die 18. Martii migravit in cœlum.

Hujus scripta ex pluribus adhuc supersunt ista: 1mo. Catecheses 18. extemporaneæ, ab ipso adhuc adolescente prolatæ: unde mirum haud est, si quædam in iis minus accurate exarata aliquibus eruditis

ditis deprehendi videantur. In his traduntur documenta apta ad erudiendos baptizandos, vel recenter baptizatos. 2do. Mystagogicæ Catecheses quinque ad recenter baptizatos. 3tio. Epistola ad Constantium Imperatorem de apparitione crucis Jerosolymis facta diebus Pentecostes circa horam tertiam supra Montem Golgotham usque ad Montem Olivarum universa civitate spectante. Contra opera hujus S. Cyrilli aliquas objectiones erudite diluit Annatus in Apparatu ad Theologiam positivam L 4. fol. mihi 456. quæ circa proprias materias a me dissolventur.

S. Gregorius Nyssenus, frater S. Basilii Magni, & aliorum Sanctorum, Nyssenæ urbis in Cappadocia Episcopus, ideo Nyssenus dictus, doctrina & eloquentia conspicuus, ob fidem Catholicam acriter contra Arianos defensam ab Ariano Imperatore Valente in exilium missus, ab ejus Successore Gratiano post 7. exilii annos revocatus, interfuit Synodo Constantinopolitanæ Oecumenicæ secundæ, vel tertiæ, si Sardicense etiam numeretur, atque nomine ejusdem Concilii Symbolum fidei condidit, quod vulgo Constantinopolitanum dicitur. Demum post varios pro Ecclesia Dei superatos labores feliciter mortuus est 9. Martii anno Christi circiter 393. vel, ut alii volunt, 396. 275.

Ejus opera ex Editione Basileensi anno 1562. ista sunt: 1mo. Epistola de Nomine Christiani. 2do. De Oratione Dominica liber unus. 3tio. De octo Beatitudinibus ex c. 5. Matthæi liber unus. 4to. Sermones de Nativitate: de S. Stephano: in 6tum Psalmum: de Octava: de Paschate: de Christi assumptione. 5to. De Trinitate, & quod Spiritus S. sit Deus. 6to. De eo, quod non sint tres Dii. 7mo. De differentia Essentiæ, & Hypostaseos. 8vo. De Fide Trinitatis. 9no. In dictum Apostoli 1. Corinth. 15. ℣. 18. *Tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi.* 10mo. De Dormientibus. 11mo. De Infantibus præmature raptis. 12mo. De Resurrectione Orationes quatuor. 13tio De Assumptione Domini. 14to. In dictum Domini: *quatenus fecistis uni ex minimis his, mihi fecistis.* 15to. De Anima, & Resurrectione Disputatio. 16to. De Trinitate contra Judæos. 17timo. De Sancto Baptismo. 18vo. Orationes laudatoriæ Basilii. 19no. In 40. Martyres. 20mo. In Pulcheriam. 21. In Placillam. 22. In Gregorium Neocæsariensem. 23. In Theodorum Martyrem. 24. In Meletium. 25. De Imagine, seu de Creatione Hominis supplementum Hexameron Basilii. 26. De Philosophia libri octo. 27. De Vita Moysis liber unus.

His addi debent merito libri duodecim contra Eunomium, quorum meminit S. Hieronymus L. de Script. Eccles. Hi recensiti itaque sunt libri, quos commemorat S. Hieronymus, & sibi ab ipso Gregorio lectos fuisse dicit. Excipe tamen libros 8. de Philosophia, quos in Gregorio Nysseno Observatione tertia V. Bellarminus de Script. Eccles. dicit, non videri esse hujus authoris; nam in libro 2. docet, animam non creari in corpore, sed ante corpus fuisse creatam: qui est error Origenis. Præterea hoc opus Philosophicum sapit Pelagianismum. Adde, hoc ipsum opus inveniri in Bibliotheca SS. PP. tom. 9. ex Editione secunda sub nomine cujusdam Nemesii Philosophi Christiani, eo solum excepto, quod apud Nyssenum dividatur in 8. libros, apud Nemesium sit unus liber divisus in capita 45. & inscribatur de Homine, sive de Anima. Hic Nemesius, quamvis ignoretur, quo tempore scripserit, tamen verisimile est, eum vixisse, & scripsisse tempore S. Gregorii Nysseni, aut certe non antea.

Ad hæc hæretici, qui peregrinationes ad loca sancta carpunt, nituntur maxime Oratione quadam valde prolixa S. Gregorii Nysseni, quam totam referunt Magdeburgenses Centuria 4. c. 10. Verum ea Oratio, ut testatur Bellarminus, non est reperta hucusque inter opera S. Gregorii Nysseni: Neque argumenta, quæ inde excerpunt hæretici, aliquid probant, ut ostendit idem Bellarminus in Controversiis L. 3. de SS. c. 8. & ostendam ego tom. 4. hujus operis L. 3. Sentent. de Invocatione, & cultu Sanctorum.

276. S. Philastrius Episcopus Brixiensis tempore S. Ambrosii vixit, ut S. Augustinus est testis initio libri de hæresibus ad Quodvultdeus. Scripsit librum de hæresibus usque ad sua tempora, qui liber exstat in Bibliotheca SS. PP. secundæ Edit. tom. 4. Sed notes velim, ut observat Bellarminus, multa a Philastrio hæresibus accenseri, quæ vere hæreses non sunt, proinde prudenter legendus est. Quod autem in hæresi 63. meminit anni Domini 430. mendum est typographicum; nam ad eum annum author hic non pervenit.

Idacius, seu Ithacius Clarus Episcopus Hispanus, de quo multa Sulpitius in Historia Sacra, agens de Priscilliano, scripsit libros tres contra Varimandum Arianum, qui exstant in Bibliotheca SS. PP. tom. 4. Edit. 2. Scripsit etiam Apologeticum contra hæreses Priscilliani, teste Isidoro de Viris Illustribus. In eo reprehensus fuit, & punitus ab Episcopis, quod Priscillianum apud Sæculares Judices accusari, & occidi fecerit.

S. Amphi-

S. Amphilochius Iconienſis in Lycaonia Epiſcopus, natione Cappadox, in juventute forenſem profeſſus Rhetoricam, ſed foro abdicato in eremum progreſſus, ibi Baſilii Magni, & Gregorii Nazianzeni Socius & amicus, ac hæreticorum omnium hoſtis, & fidei defenſor ſuo ævo clariſſimus, atque e Concilii œcumenici II. Patribus unus fuit, quem S. Hieronymus in Epiſt. ad Magnum parem doctrina ſacra & profana facere videtur Baſilio, & Gregorio Nazianzeno. Obiiſſe creditur anno Chriſti circiter 394. cujus memoria colitur 23. Novembris apud Latinos æque, ac Græcos.

Scripſit librum de Spiritu Sancto, & Homilias non paucas: de his teſtatur Theodoretus, qui eas in Dialogis frequenter allegat: de illo teſtis eſt S. Hieronymus L. de Script. Eccleſ.

Theophilus Epiſcopus Alexandrinus, S. Hieronymi æqualis, ſcripſit Epiſtolas tres Paſchales, ſatis utiles & doctas, quas S. Hieronymus latinas reddidit. Exſtant in Bibliotheca SS. PP. tom. 3. Inſuper ſcripſit contra Origenem, & alia, quorum meminit Gennadius L. de Viris Illuſtribus, quæ non exſtant.

Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus vixit tempore S. Hieronymi, ut liquet ex contentionibus inter eos non ſemel excitatis. Teſte Gennadio ſcripſit librum in obtrectatores ſtudii ſui, oſtendens, ſe non eſſe Origeniſtam. Liber ad Capraſium de inſtitutione Monachi, reperiendus in Bibliotheca SS. PP. tom. 9. Edit. 2. huic pariter Joanni tribuitur: ſed videtur eſſe authoris longe poſterioris, & ſtilus eſt hominis Latini & temporum poſteriorum.

Diadochus Epiſcopus Photices ſcripſit librum egregium de Perfectione, comprehendentem capita centum. Invenitur in Bibliotheca SS. PP. tom. 5. Edit. 2. Huic jungo Dorotheum Archimandritam, qui ſcripſit Sermones 24. reperiendos in Bibliotheca SS. PP. tom. 2. Edit. 2. Hi duo quando vixerint, non eſt in comperto, quamvis ſatis conſtet, eos fuiſſe antiquos.

Ruffinus Presbyter Aquilejenſis, S. Hieronymi quondam amicūs ſingularis, poſtea æmulus factus, ſcripſit libros duos Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quos addidit ad Hiſtoriam Euſebii Cæſarienſis a ſe ex græco translatam: ſcripſit etiam explanationem Symboli Apoſtolorum: item aliquot commentarios in Pſalmos: invectivas duas in S. Hieronymum, & Apologiam pro Origene, in qua multa mentitur, S. Hieronymo teſte in 2da Apologia: ſcripſit quoque multas Epiſtolas. Hæc omnia exſtant partim inter opera S. Hieronymi, partim in Hiſtoria Euſebii, partim ſeorſim. Vertit quasdam ſententias Sixti Philoſophi Pythagorici, quas falſo adſcribit Sixto Pontifici & Martyri,

277.

ut teftis eft S. Hieronymus in Epift. ad Ctefiphontem. Sanctus quoque Auguftinus ex verfione Ruffini deceptus, eas fententias cenfuit effe Sixti Pontificis: quod retarctat L. 2. Retract. c. 46. Hæ Sententiæ inveniuntur in tom. 5. Biblioth. SS. PP. Edit. 2. De his operibus hanc cenfuram fert Gelafius Papa relatus c. *Sancta Romana Ecclefia* 3. Dift. 15. ita pronuncians: *Ruffinus vir Religiofus plurimos Ecclefiaftici operis edidit libros: nonnullas etiam Scripturas interpretatus eft: fed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa fentimus, quæ prædictum B. Hieronymum fentire cognofcimus, & non folum de Ruffino, fed etiam de univerfis, quos vir fæpius memoratus Zelo Dei, & fidei Religione reprehendit.*

Palladius Galata Ruffini coævus, & amicus, ut ex operibus ejus cognofci poteft, fcripfit Hiftoriam Laufiacam, & Paradifum Heraclidis, in quibus defcribuntur breviter multorum Sanctorum Vitæ ad magnam legentium utilitatem. Nihilominus a S. Hieronymo Epift. ad Ctefiphontem, & a S. Epiphanio ad Joannem Hierofolymit. exftante in 2. tomo S. Hieronymi reprehenditur ut Origenifta. Reperitur etiam Dialogus quidam fub nomine Palladii tom. 1. operum S. Chryfoftomi Editionis Parifienfis.

S. Gaudentius Epifcopus Brixienfis, & Succeffor Philaftrii, fcripfit Tractatus utiliffimos de variis materiis, inveniendos tom. 2. Bibliothecæ SS. PP. Edit. 2. qui funt: 1. De Dedicatione Bafilicæ Tract. unus. 2. De Pafchate in Exodum Tract. feptem. 3. De Lectione Evangelii Tract. duo. 4. De Exodo iterum Tract. unus. 5. De Paralytico Tract. unus. 6. In illud: *Nunc judicium eft mundi* Tract. unus. 7. De Promiffione Paracleti Tract. unus. 8. De Machabæis Martyribus Tract. unus. 9. De Villico iniquitatis ad Germinium Tract. unus. 10. In illud: *Pater major me eft*, Tract. unus.

Aurelius Prudentius Poëta Chriftianus vixit fub Theodofio Seniore, & filiis ejus. Scripfit infignia Carmina, Pficomachiam de pugna fidei, & Idololatriæ: Pudicitiæ: & Libidinis: Patientiæ, & Iræ: Humilitatis, & Superbiæ: Sobrietatis, & Luxuriæ: Largitatis, & Avaritiæ: Concordiæ, & Difcordiæ. 2. Librum Catemerinon, id eft, de Coronis, in quo funt laudes multorum Martyrum. 3. Apotheofin, id eft, de Divinitate, ubi infectatur hæreticos Sabellianos, & Judæos: ubi etiam de natura animæ, & Refurrectione Carnis. 4. Amartingenia, id eft, de origine peccatorum contra Marcionem. 5. Libros duos contra Symmachum. Addit Gennadius Libro de Viris Illuftribus, fcriptum fuiffe ab eo Enchiridion Veteris, & novi Teftamenti, & de opere fex dierum.

D. Chro-

D. Chromatius Aquilejensis Episcopus Sanctissimus, & doctissimus testimonio S. Hieronymi in Præfat. in Librum Paralip. Scripsisse fertur Commentarios in Matthæum: sed nunc supersunt solum Homiliæ in cap. 5tum Matthæi de octo Beatitudinibus: & Tractatus in illud: *Ego debeo a te baptizari.* Videatur in Bibliotheca SS. PP. tom. 2. Reperitur etiam in 4. tomo operum S. Hieronymi Epistola sub nomine Chromatii, & Heliodori ad Hieronymum, & responsio istius, in quibus agitur de Nativitate B. Virginis: sed testibus Bellarmino L. de Script. Eccles. & Card. Baronio præfatione ad Martyrol. Romanum c. 5. & 7. utraque falsa, & suppositiția est.

S. Ambrosius ex Ambrosio Patre, Cive Romano, Galliarum Præfecto, in Galliis natus, Romæ liberalibus disciplinis instructus, Liguriæ postea & Æmiliæ Præfectus, ac denique post Auxentium Arianum Episcopus Mediolanensis, sanctitate, eruditione, & facundia magnus, fideique, & Ecclesiasticæ disciplinæ adversus Arianos, Imperatores, & Imperatrices Propugnator magnanimus, & fidelis &c. meritis clarus anno Christi circiter 397. mortuus est. Scripsit plurima, & utilissima. Ex his 278.

Scripta ejus sunt genuina: 1. Hexameron Libri sex. 2. De Paradiso liber unus. 3. Liber de Cain & Abel. 4. De Noe & Arca liber. 5. De Abraham & Isaac liber. 6. De Isaac & Anima liber. 7. De Bono mortis liber, quo ostendit, quæ sit mortis utilitas. 8. De fuga Sæculi liber. 9. De Jacob, & Vita beata libri duo. 10. Liber de Josepho Patriarcha. 11. Liber de Benedictionibus Patriarcharum. 12. De Ecclesia & jejunio liber unus. 13. De Naboth Israelita liber. 14. De Tobia liber. 15. Libri quatuor de Interpellatione, & querela Job & David: quibus examinat istorum sanctorum Virorum querelas, super hujus vitæ miseriis motas. 16. Apologia Prophetæ David. 17. Altera Apologia: quam non esse Ambrosii, tenent multi cum Bellarmino & Possevino tum ob styli diversitatem, tum quia in eo Davidis adulterium verum fuisse adulterium negat, & allegorice sumendum docet author, cum tamen Ambrosius in priori sua Davidis Apologia verum fuisse adulterium asserat, & ejus pœnitentiam laudat. 18. Enarrationes in Psalmos duodecim. 19. Expositio Psalmi 118. 20. Expositio Evangelii S. Lucæ decem libris comprehensa. 21. Libri tres de Officiis Ministrorum, in quibus quot periodi, tot sententiæ. 22. De Virginibus ad Marcellinam Sororem suam libri tres, in quibus virginitatis excellentia prædicatur. 23. De Viduis liber unus, quo extollit viduitatis dignitatem. 24. De Virginitate liber, ejusdem quidem argumenti, diversus ta-

men

men a libro de Virginibus. 25. Liber unus de Inftitutione virginis ad Eufebium. 26. Liber unus Exhortatio ad Virginitatem. 27. De Lapfu virginis confecratæ. 28. De Myfteriis Sacramentorum liber unus. 29. Libri fex de Sacramentis. 30. Libri duo contra Novatianos de Pœnitentia. 31. Libri quinque de fide ad Gratianum contra Arianos. 32. Libri tres ad eundem Gratianum de Spiritu Sancto, ejusque Divinitate. 33. Liber unus de Incarnationis Dominicæ Sacramento adverfus hæreticos, præfertim Arianos. 34. Fragmentum quoddam ex Theodoreto defumptum, in quo habetur quædam fidei expofitio, habens affinitatem cum libris de fide, & præcipue de Dominicæ Incarnationis Sacramento, ut notant eruditi Editores, & Cenfores Benedictini. 35. Epiftolæ variæ numero 91. in duas divifæ claffes: prior complectitur Epiftolas 63. fecundum ordinem temporum diftributas: pofterior reliquas. 36. Libri duo, feu Orationes funebres duæ de morte Satyri fratris fui. 37. De Obitu Valentini Imperatoris 20. ætatis anno mortui confolatoria, & funebris Oratio. 38. Item fimilis Oratio de morte Theodofii Magni. 39. Hymni aliqui Ambrofiani: ut *Æterne Rerum Conditor* &c. *Deus Creator omnium* &c. *Æterna Chrifti munera* &c. & alii. Reliqua opera fub nomine S. Ambrofii vulgata cenfent Eruditi fuppofititia.

Supereffent adhuc Illuftres Scriptores, & Patres, qui floruere hoc labente fæculo: quia tamen primum vita, & laboribus fuis pro Ecclefia, & Religione exantlatis defuncti, & propterea in cœlis coronati funt fæculo fequente, in illo recenfebuntur.

Sæculum V.

§. I.

Romani Pontifices.

279. I. alias 42. S. Innocentius I. Albanus, Innocentii filius, *in locum Anaftafii confentientibus Sanctis Sacerdotibus, omnique clero, ac populo ordinatus* eft anno 402. 17. Maji. Sedit annos quindecim, menfes duos, & dies decem; Obiit 417. 27. Julii. Defendit Authoritate Apoftolica S. Joannem Chryfoftomum vivum, & mortuum.

II. alias 43. S. Zofimus Græcus, creatus anno 417. 20. Augufti, fedit anno 1. menfibus 4. diebus 6. obiit anno 418. die 26. Decembris.

III. alias 44. S. Bonifacius Romanus, Jucundi Presbyteri filius, creatus anno 418. 28. Decembris, fedit annis 4. menfibus 9. diebus 26. mortuus anno 423. 27. Octobris.

Schifma

Schiſma IV.

Inter Bonifacium Papam, & Eulalium Antipapam.

Eulalius S. R. E. Archidiaconus poſt electum Bonifacium, in Baſilica Lateranenſi a Diaconis, & Presbyteris, qui electioni Bonifacii non conſenſerant, admodum paucis, nixus patrocinio Symmachi Præfecti Urbis, eligitur: Synodus vero Ravennæ juſſu Honorii Imperatoris coacta Eulalium eum depoſuit, offenſusque Imperator Honorius, quod Eulalius contra ſuum mandatum ingreſſus fuerit urbem, illum pelli ex urbe, & revocari Bonifacium juſſit, qui dein Pontifex in pace remanſit.

IV. alias 45. S. Cæleſtinus I. Romanus Priſci Filius anno 423. 5. Novembris creatus ſedit annos 8. menſes 5. & dies tres mortuus anno 432. 6. Aprilis.

V. alias 46. S. Sixtus III. Sixti filius, Presbyter Romanus, & acerrimus Pelagianorum adverſarius, *totius urbis pace, & conſenſione mirabili*, ut ſcribit S. Proſper in Chronico pag. 744. creatus anno 432. 28. Aprilis, ſedit annos 7. menſes 11. & dies 2. mortuus anno 440. 27. vel 28. Martii.

IV. alias 47. S. Leo Tuſcus, vere Magnus appellatus, Quintiani filius, creatus anno 440. 12. Maji, ſedit annis 21. menſibus 5. diebus 17. Meritis plenus mortuus eſt anno Chriſti 461. 29. Octobris, ut Quenellius apud Alexandrum Natalem, ut hic dicit, probat invictiſſime.

VII. alias 48. S. Hilarius Criſpini filius, Sardus, Romanæ Eccleſiæ Diaconus, & S. Leonis Papæ ad Synodum II. Epheſinam Legatus, creatus anno 461. pridie idus Novembris, ut ex Baronio & Pagio teſtatur Sandini, & apud Alexandrum Natalem ſcribit Marianus Scotus, ſedit annos 5. menſes 9. dies 29. obiit anno 467. 10. Septembris.

VIII. alias 49. S. Simplicius Caſtini filius, Tiburtinus, electus anno 467. 20. Septembris, ſedit annis 15. menſibus 5. diebus 10. obiit anno 483. 2. Martii.

IX. alias 50. S. Felix III. Felicis Presbyteri filius, S. Gregorii Magni Atavus, Romanus, creatus anno 483. 8. Martii ſedit annis 8. menſibus 11. diebus 17. obiit anno 492. die 25. Februarii.

X. alias 51. S. Gelaſius I. Valerii Filius, Afer, creatus anno 492. 2. Martii, ſedit annis 4. menſibus 8. diebus 19. mortuus anno 496. die 21. Novembris.

XI. alias 52. S. Anaſtaſius II. Romanus, Petri filius, creatus anno 496. 27. Novembris, ſedit annum unum, menſes undecim, dies 19. obiit anno 498. 16. Novembris.

XII. alias 53. S. Symmachus Sardus, Fortunati filius, creatus anno 498. 22. Novembris ſedit annos 15. menſes 7. dies 27. obiit anno 514. 19. Julii.

Schiſma V.

Inter Symmachum Papam, & Cælium Laurentium Antipapam, Archipresbyterum Tituli S. Praxedis, quem feſtus Romanus Senator, multis pecunia corruptis, eligendum curavit. Hujus tamen Schiſma Symmachus Romæ in 125. Epiſcoporum Concilio plene extinxit, Laurentio in exilium pulſo.

§. II.

De Hæreſibus hujus Sæculi V.

280. 1. *Pelagiani*, dicti a *Pelagio*, qui fuit natione Britannicus, inde vocatus *Britannicus Coluber*, circa finem ſæculi quarti exorti ſunt. Fuit hic Pelagianus Vir excellens ſubtili ingenio, & arte bene dicendi: non tamen erat Monachus cænobita, ſed veluti Monachus, ut eum appellat S. Auguſtinus; nam qui domi ſuæ ſæculi contemptum modeſtiore corporis habitu profitebantur, tanquam Monachi hominum opinione habebantur. Hujusmodi fuit Pelagius, qui dein, ſpiritu Vanitatis ſeductus, falſam cum Cæleſtio, ſuæ impietatis ſocio, cœpit promulgare doctrinam, aſſerens, ſolis naturæ viribus poſſe hominem vivere inculpabiliter ſine peccato, nec opus eſſe Dei gratia ad obtinendam Beatitudinem, quam ſolo operante libero arbitrio poſſe hominem acquirere affirmabat. Primo in Oriente Pelagii error eſt detectus. In Dioſpolitana Synodo ab Epiſcopis damnatus, æquivocatione verborum ſtuduit, a damnat[ione] ſe eximere, & his verborum ambagibus actu Patres decepit, ac hac fraude abſolutionem obtinuit. Sed in ſua impietate perſiſtens, contra D. Hieronymum impugnatorem ſuum perſecutione excitata, a Divo Auguſtino valide, & nervoſe fuit oppugnatus: & iterum falſa illius doctrina damnata fuit in Concilio Africano, Milevitano, & Carthaginenſi. Item confixa eſt a diverſis Pontificibus Innocentio, Zoſimo, & Cæleſtino.

Errores ejus, & Pelagianorum præcipui apud Siandam hi recenſentur.

1. Adam, ſive peccaret, ſive non, mortuus eſſet.
2. Peccatum Adæ hunc ſolum læſit, non vero reliquum genus humanum.

3. Infan-

3. Infantes recenter nati in iſto ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

4. Neque per mortem, neque per prævaricationem Adæ omne genus humanum moritur, neque per reſurrectionem Domini omne genus humanum reſurgit.

5. Infantes etiam non baptizati habent Vitam æternam.

6. Divites baptizati, niſi omnibus renuncient, ſi quid boni faciunt, non imputatur eis, nec poſſunt habere Regnum Dei.

7. Gratia Dei non datur ad ſingulos actus, ſed in libero arbitrio, in Lege, atque doctrina: unde gratiam internam a libero arbitrio diſtinctam, negabant, & ſolum externám in Lege, doctrina, exhortatione conſiſtentem admittebant.

8. Gratia Dei juxta merita noſtra (nempe naturalia) datur.

9. Filii Dei vocari nequeunt, niſi omnino absque peccato fuerint.

10. Non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio, quia in propria voluntate habet aliquis aliquid facere, vel non facere.

11. Victoria noſtra non eſt ex Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio.

12. Pœnitentibus venia non datur ſecundum gratiam, & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum (nempe naturale) & laborem, qui per pœnitentiam (nempe ex ſolis viribus naturalibus actam) digni fuerunt miſericordia.

Hos errores Sianda in Lexico Polem. tom. 2. pag. mihi 491. breviter, & docte more ſuo confutat. S. Auguſtinus vero de bono Perſeverantiæ c. 2. ait: *Tria ſunt, quæ maxime adverſus Pelagianos Catholica defendit Eccleſia: quorum eſt unum, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari; quoniam Dei dona ſunt, & Dei gratia conferuntur etiam merita univerſa juſtorum: alterum eſt, in quantacunque juſtitia ſine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: tertium eſt, obnoxium naſci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obſtrictum, niſi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione ſolvatur.* Uberius hi errores reprobabuntur in Tractatu de Gratia.

2. *Neſtoriani*, ſic dicti a *Neſtorio* Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui duas in Chriſto Perſonas admittens, unam Divinam, alteram Humanam, ſola morali unione unitas, B. Virginem negabat eſſe Theotocam, ſed ſolum Chriſtotocam, ſeu Chriſti, ut hominis, Genitricem, damnati ſunt in Concilio I. Epheſino.

3. *Eutychiani* dicti ab *Eutychete* Abbate Conſtantinopolitano, qui, ut contradiceret Neſtorio, docuit unam tantum naturam eſſe in Chriſto: damnati ſunt in Concilio Calcedonenſi.

4. *Priſcilliani*, vel *Priſcillianiſtæ*, dicti a *Priſcilliano*, qui natione Hiſpanus, nobili ſtemmate oriundus, eloquens & eruditus, ſed vanitatis, captandique honoris admodum avidus, magicis artibus ab adoleſcentia deditus, ac Gnoſticorum hæreſi imbutus, Hiſpaniam erroribus ſuis corrupit: damnatus in Synodo Cæſar-Auguſtana; nihilominus ab Epiſcopis ſuæ perfidiæ conſortibus Epiſcopus Abulenſis creatus: poſt ea damnatus in Synodo Burdigalenſi, tandem ob ſcelera, quorum convictus fuit, capite plexus eſt juſſu Maximi tunc Treviris commorantis. Plura alia contra Priſcillianiſtas Concilia ſunt coacta, ut Toletanum anno 400. Bracarenſe anno 569.

Eorum errores præcipue hi ſunt: 1. Mendacium etiam juncto perjurio non eſſe peccatum; unde eorum axioma: *jura, perjura, ſecretum prodere noli*. 2. Unam eſſe Patris, Filii, & Spiritus S. Perſonam. 3. Quasdam virtutes ex Deo procedere, quas Deus habere primum cœperit, & anteceſſerit per ſuam eſſentiam. 4. Chriſtum ideo dici unigenitum Dei, quia ſolus ſit natus ex Virgine, licet & alios filios Deus Pater genuerit. 5. Animam hominis eſſe Divinæ ſubſtantiæ, nec a natura Creatoris animarum diſtare naturam. 6. Animas, quæ informant corpora, olim in cœlis peccaſſe, & pro diverſitate peccatorum diverſa informare corpora. Credebant etiam, fatalibus ſtellis animas & corpora hominum eſſe adſtricta. 7. Animam eſſe diviſibilem in partes, & duodecim ſignis reſpondere corpora, & in capite eſſe arietem, taurum in cervice, geminos in humeris, cancrum in pectore &c. 8. Diabolum nunquam fuiſſe bonum, non eſſe a Deo creatum, ſed eſſe omnis mali principium. 9. Damnabant nuptias, & cum adoptivis fœminis habitabant: carnem ceu cibum immundum rejiciebant: in die Dominico, & Natali jejunabant &c. Hæc, & alia ſua commenta apocryphis ſcripturis ſtudebant probare. De his videri poteſt Sianda in Lexico Polemico v. Priſcillianus tom. 2. fol. 549.

Hoc ſæculo V. etiam exorti ſunt *Semi-Pelagiani*, ita dicti, quia dum Pelagii errores de gratia, & libero arbitrio condemnare voluerunt, in alios impegerunt. Ex libris, quos ſcripſit S. Auguſtinus de gratia, libero arbitrio, de correptione, & gratia, offenſi quidam Epiſcopi, & Presbyteri Galli, quia laudati S. Auguſtini libros non ſane juxta ſanam mentem S. Doctoris intellexerunt, Semi-Pelagianiſmum excitarunt: appellati etiam Maſſilienſes, quod Maſſiliæ præſertim

tim habitarent, qui Semipelagianismi ſigniferi ſunt facti. Inter hujus Sectæ Principes aliqui ſtatuunt Joannem Caſſianum, de quo in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum.

Hic natione Gallus ex Provincia oriundus, vitam monaſticam ab adoleſcentia profeſſus, variis itineribus in Ægyptum, & Romam perfunctus, Conſtantinopoli a S. Chryſoſtomo Diaconus, & Romæ ab Innocentio I. Presbyter ordinatus, Maſſiliam repetiit, ſcribens collationes Patrum: ſed his, maxime Collationi 13. Semipelagianos errores, magis ex inadvertentia, & ignorantia, quam malitia immiſcuit, quos S. Proſper Libro contra Collatorem egregie confutavit: Liber tamen Collationum ab illis erroribus purgatus, magnæ authoritatis, & utilitatis eſt, & teſte Sianda, a multis Sanctis eximie commendatur. Ex Caſſiani Collationibus Semipelagianismum hauſit Fauſtus Abbas Lirinenſis, poſtea Regienſis Epiſcopus.

Præcipuus Semipelagianorum error fuit, initium aliquod Juſtitiæ ac Salutis eſſe a nobis, nimirum voluntatem aliquam ſalutis obtinendæ: Itaque aſſerebant, bonæ voluntatis, mere naturalis, initiis promoveri hominem ad Chriſti gratiam, ſeu quod idem eſt, gratiam internam eſſe quidem neceſſariam ad conſummationem operis, non vero ad initium. Dabant ergo initium operis ſoli naturali hominis arbitrio, & in hoc cum Pelagianis ſentiebant: conſummationem tamen operis adſcribebant ſoli gratiæ, & in hoc diſſidebant a Pelagianis, ideo Semipelagiani vocati, quia partim Pelagianis conſentiebant, partim adverſabantur. Hæc falſa, & peſtifera doctrina reprobata fuit in Concilio Arauſicano ſecundo celebrato anno 529. can. 5. & 6. ubi: *Si quis ſicut & augmentum, ita & initium fidei non per gratiæ donum, ſed naturaliter in nobis eſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius probatur, B. Petro dicente, qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet*, & aliis pluribus canonibus. Verum de his in Tractatu de Gratia.

§. III.

De Conciliis hujus Sæculi V.

1. Concilium Epheſinum I. cui adfuerunt 200. Epiſcopi, a Theodoſio Juniore, annuente S. Pontifice Cæleſtino, congregatum eſt anno 431. contra Neſtorium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, docentem, in Chriſto duas eſſe Perſonas. Fuit perfecte œcumenicum; nam fuit convocatum de conſenſu Papæ, qui & præſedit per ſuos Legatos, illudque approbavit. In ipſo fuit definitum, unam tantum eſſe in Chriſto Perſonam divinam, & B. Virginem eſſe vere

Matrem Dei, seu Theotocam. Deinde pronunciata est sententia excommunicationis, ac depositionis adversus Nestorium. Est tertium œcumenicum, prout plerique numerant, non numerato Concilio Sardicensi ut peculiari distincto a Nicæno.

2. Concilium Ephesinum II. a Theodosio Juniore convocatum inscio Leone I. Papa, qui tamen vocatus Legatos misit, quibus denegata est præsidentia a Dioscoro Patriarcha Alexandrino, qui eam usurpavit. Vocatur merito *prædatoria Synodus*, & *Latrocinium Ephesinum*; nam in eo factione Dioscori occisus est S. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Apostolici fuerunt fugati: fuit proinde a S. Leone, & Concilio Calcedonensi, cui ejus acta inferuntur, prorsus reprobatum.

3. Concilium Calcedonense, œcumenicum IV. cui interfuere 636. Episcopi, a S. Leone convocatum sub Marciano Imperatore contra Eutychen, docentem, in Christo unam esse Naturam. In hoc 1. Dioscorus, quod Concilio, vel verius Latrocinio Ephesino præsidere fuerit ausus (quod nunquam factum esse, & nunquam licere, Patres conclamaverunt) fuit damnatus, & post trinam citationem depositus. 2. Latrocinii Ephesini acta fuerunt reprobata. 3. Definitum est, in eodem Christo *duas naturas inconfuse in unam Personam, atque subsistentiam concurrere*. 4. Theodoretus Cyrensis, & Ibas Edessenus, qui in Conciliabulo Ephesino a Dioscoro fuere depositi tanquam Nestoriani, fuerunt in suas Sedes restituti, postquam coram universa Synodo dixerunt anathema Nestorio, & subscripserunt definitioni fidei, atque Epistolæ S. Leonis. 5. Varii Canones editi sunt pro reformatione morum. Fuit hoc Concilium perfecte œcumenicum, utpote legitime convocatum, & rite celebratum ac a S. Leone approbatum, ut liquet ex ejus Epist. 59. ad Synodum.

Plura de Conciliis particularibus hujus sæculi dicenda essent: quia tamen eorum memoria in aliis hujus sæculi gestis jam facta hinc inde est, & adhuc fiet, hinc illis supersedetur.

§. IV.

De Scriptoribus Ecclesiasticis, & SS. Patribus Sæculi V.

282. S. Joannes, ob aureum eloquentiæ flumen *Chrysostomus* dictus, nobilibus & christianis parentibus Antiochiæ natus anno 354. Libanii Sophistæ in Rhetorica, & Andragathii Philosophi celeberrimi discipulus, post peracta junioris ætatis sæcularia studia, forum adire cœpit: ubi consideratis periculis, nuncio fori tumultibus misso ad eremi

eremi quietem se transtulit, inter Monachos solitariam vitam agens. Sed ex eremo ad Clerum vocatus, a S. Meletio Diaconus, & a Flaviano Meletii Successore omnino Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ ordinatus fuit. Cum igitur Antiochiæ 14. annis vitæ sanctitate, & variarum homiliarum, & sermonum prædicatione claruisset, ad Sedem Archi-Episcopalem Constantinopolitanam post Nectarium evehitur, atque Archipræsul consecratur. Sic elevatus, quæ muneris sui erant, strenue executus, Concusum Armeniæ in exilium est pulsus. Inde tamen ob querelas populi iterum revocatus, paulo post denuo sede sua pulsus, & in exilio post plurimas conversiones infidelium, & alia plurima in bonum Religionis orthodoxæ præclare gesta, Sol hic Ecclesiæ ærumnis confectus, feliciſſime extinctus est post 9. sui Episcopatus, & 52. vel 53. vitæ suæ annos, anno Christi 407. relictis radiis doctrinæ suæ eximiis in scriptis, quæ plurima recensentur.

Opera ejus genuina sequentia creduntur: 1. Homiliæ fere omnes, si aliquas inferius inter dubia scripta reponendas excipias. 2. De Sacerdotio libri sex. 3. De Compunctione cordis libri duo. 4. De Providentia Dei libri tres ad Stargyrium Monachum. 5. De orando Deum libri duo. 6. De Comparatione Regis & Monachi liber unus. 7. contra Vituperatores vitæ Monasticæ libri tres. 8. Adversus Gentiles, seu in Babylam Antiochenum Episcopum & Martyrem, liber unus. 9. Sermones de variis argumentis varii. 10. Epistolæ variæ; ut ad Innocentium S. Pontificem duæ: ad Cyprianum Episcopum exulem una: ad Episcopos & Presbyteros in carcere ob pietatem detentos una: ad Theodorum lapsum una: ad Eutropium Evnuchum, Præpositum Imperatoris, & Consulem, virum crudelem epistolaris Homilia una: ad Olympiam illustrem fœminam una. 11. Liturgia, seu Missa, vel formula celebrandi incruentum Missæ Sacrificium. 12. Commentaria in Matthæum, de quibus statim dicetur.

Dubia, vel Supposititia ejus opera censentur: 1. Sex ex Homiliis in Genesin: nempe Homilia 1. 2. & 3. in caput 2. Genesis: & tres homiliæ in 3. caput Genesis; hæ enim non redolent stylum & phrasin tanti Doctoris, & in 2da in caput 2. Genesis referuntur duo integra capita ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cujus author est Gennadius Massileensis Chrysostomo recentior. 2. Homiliæ 14. in Marcum, de quibus ita pronunciat Bellarminus: *quæ sine dubio Chrysostomi non sunt, sed alicujus simplicis Monachi, qui fratribus suis Evangelium explicabat, ut constat ex homil. 3. 4. 8. & 9. & aliis.* 3. Commentaria in Matthæum sine dubio Chrysostomi sunt: sed opus imperfectum in Mat-

Matthæum, fic dictum, quia non ad finem pervenit author, fed folum usque ad caput 25., non videtur effe Chryfoftomi; non enim erat ratio ulla, cur bis de eodem argumento idem author fcriberet. Verum, cujuscunque fit opus, aut ab hæreticis compofitum, aut ab hæreticis corruptum, liber tamen doctus, & minime fpernendus cenfetur. Hæc eft Crifis Bellarmini L. de Script. Ecclef. Cartier plures errores, qui illo libro continentur, recitat, qui non fapiunt Catholicam fidem.

283. Nec obftat operibus S. Chryfoftomi 1. dum homilia de anathemate videtur negare poteftatem anathematizandi: non enim loquitur de Prælatis Ecclefiæ, fed aliis de populo Antiocheno, qui eo tempore, quo poft obitum S. Meletii, Flaviani, & Paulini Schisma durabat, fibi mutuo anathema dixerunt.

2. S. Chryfoftomus non tenet contra communem, unicum effe cœlum; nam recte ait D. Th. p. 1. q. 68. art. 4. in corp. *S. Chryfoftomus unum cœlum nominat totum corpus, quod eft fupra terram & aquam; nam etiam aves, quæ volant in aëre, dicuntur propter hoc volucres cœli: fed quia in ifto corpore funt multæ diftinctiones, propter hoc Bafilius pofuit plures cœlos.*

3. S. Chryfoftomus non negat Homil. 14. in Joannem in illud c. 1. ℣. 18. *Deum nemo vidit unquam:* non negat, inquam, creaturæ poffibilem effe vifionem intuitivam, fed tantum comprehenfivam. Intuitivam fatis adftruit in Parænefi ad Theodorum lapfum c. 7. exponens illud Petri: *bonum eft, nos hic effe.*

4. Homilia 2. in Pfalm. 5. dum ait: *Non dico, ut confitearis confervo tuo, qui exprobret, dicito Deo:* non negavit neceffitatem Confeffionis auricularis, quæ non fit homini ut homini, & confervo, fed Sacerdoti, Dei locum tenenti, & confequenter ipfi Deo in fuo Miniftro, & Vicario.

5. Dum S. Chryfoftomus hom. 45. in Matthæum exponit c. 12. ℣. 47. *Ecce Mater tua, & fratres tui foris ftant, quærentes te,* videtur afferere, id B. Virginem dixiffe ex vana gloria, & Joan. c. 2. ℣. 3. exponens illud: *vinum non habent,* id dixiffe, ut fe clariorem faceret. In his vult S. Thomas 3. q. 27. art. 4. ad 3. S. Chryfoftomum exceffiffe: poffunt tamen benignius accipi, ut intelligantur, quod quidem fuerit in B. Virgine nullus vanæ gloriæ motus, fed tamen quod alii fic æftimare potuiffent: ideo ei refpondit Chriftus paulo feverius: *quid mihi, & tibi eft mulier? quæ eft mater mea, & fratres mei?* Videatur Annatus in S. Chryfoftomo.

S. Hiero-

S. Hieronymus Ecclesiæ Pater, & Doctor insignis Stridone, sito in Dalmatiæ & Pannoniæ finibus oppido, a Gothis quondam diruto, a Christianis & honestis parentibus natus, statim a tenera ætate pia parentum cura primis, & ætati congruis literis, piisque moribus imbutus, Romam ulterius instruendus est missus, ubi sub Donato Grammatico Magistro græcas, latinasque literas didicit. Sæcularibus disciplinis plene excultus, & Christo in fide renatus, ad Theologiam, altiora, & sacratiora studia adjiciens animum, varias Provincias peragravit. Primo perrexit in Galliam, & hujus oras, aliasque vicinas Provincias lustravit: Inde in Syriam secessit, & Jerosolymæ aliquamdiu mansit: Hinc in Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciamque transiit, utque Christo serviret securius, Monachi vitam exorsus est in vasta Syriæ solitudine, in qua Hebraicam cœpit discere linguam a quodam Monacho ex Hebræis Christi fidem amplexo. Ex hac eremo ejectus Arianorum persecutione, Antiochiam, Jerosolymamque rediit: Antiochiæ degens, & trigesimum jam ætatis annum percurrens, a Paulino Antiocheno Præsule Presbyter est ordinatus: inde pergens Constantinopolim S. Gregorium Nazianzenum aliquamdiu Præceptorem adhibuit: tunc Romam ad Damasum Papam accessit, quo e vivis sublato in Syriam rediit, ac ad selecta loca Bethlehemitica severiorem Monachi vitam agens, meritis plenus anno suæ ætatis 91. & Christi 420. ad cælestem gloriam abiit.

Scripta ejus sunt pæne innumera; quæ nunc exstant in Editione Romana anni 1565, & 1572. Mariani Victorii, quæ ab Erasmi erroribus purgata est, novem tomis comprehenduntur.

In primo Tomo, in quo, teste Bellarmino, nihil est, de quo merito dubitari possit, sunt maxime Epistolæ Hortatoriæ 42. ad Heliodorum, Rusticum, Lætam, Salvinam, Acheruchiam duæ, ad Paulinum, Paulam, & Eustochium nomine Marcellæ, ad Marcellam tres, ad Paulum Concordiensem, Theophilum Alexandrinum, Constantium, Exuperantium, Julianum Diaconum, ad Virgines Hetmonenses, Ruffinum, Chromatium & alios, Antonium, de suspecto vitando contubernio, ad Sabinianum Diaconum, Nepotianum, ad Florentium duæ, ad Demetriadem, Furiam, Gaudentium, Celantiam, ad Eustochium duæ, ad Lucinium, Abigaum, Julianum, Castorinam, Theodosium Monachum, ad Augustinum, Nicæam Diaconum, Chrysogonum, Rusticum. Eidem tomo adduntur Epistolæ laudatoriæ, sive funebres 11. nimirum in Nepotianum, Marcellam, Blesillam, Asellam, Paulam, Lucinium, S. Paulum, Malchum, Fabiolam,

lam, S. Hilarionem, in mulierem fepties ictam. Ad finem primi tomi accedit præftans liber de Scriptoribus Ecclefiafticis, feu de Viris Illuftribus.

In fecundo Tomo, in quo judicat Bellarminus nihil effe dubium, vel fuppofititium, continentur opera fequentia: Adverfus Helvidium liber unus. Adverfus Jovinianum libri duo. Apologia pro libris in Jovinianum. Apologeticum ad Domnionem. Ad Pammachium pro iisdem libris: Contra Vigilantium ad Riporium Epiftola. Contra Vigilantium liber unus: ad Marcellam contra Montanum Epiftola. Contra Luciferianos Dialogus. Ad Avitum contra Origenem: ad Joannem Hierofolymitanum Origeniftam: ad Pammachium de erroribus Joannis Hierofolymitani: ad Theophilum adverfus eundem Joannem. Apologiæ contra Ruffinum libri tres. Ad Ctefiphontem contra Pelagium: contra Pelagianos libri tres. Ad diverfos variorum argumentorum Epiftolæ 30. ficut & Epiftolæ Epiphanii, Theophili, & Auguftini ad Hieronymum Epiftolæ 8.

In tertio Tomo etiam nihil eft, de quo dubitetur, exceptis quæftionibus in Libros Regum, & in Libros Paralipomenon: de quibus memoratis, & in hoc tomo contentis, non tam meam, quam Bellarmini mentem, & crifin aperiam. Sunt autem in hoc tomo contentæ Præfationes, & Quæftionum explanationes ad Paulinum de libris S. Scripturæ in Pentateuchum: in Jofue: Libros Regum: in Librum Paralip. 2. in Efdram: Tobiam: Judith: Efther: Job: Proverbia: Ecclefiaften: Cantica: Ifaiam: Jeremiam: Ezechielem: Danielem: in 12. Prophetas: in quatuor Evangelia. Adduntur eidem Tomo explanationes quæftionum a variis propofitarum: ut a Damafo, Dardano, Vitali, Amando, Minerio & Alexandro, Cypriano, Paula Urbica, Evagrio, Marcella, Sophronio, Hedibia, Principia Virgine, Fabiola, Ruffino, Sunia & Fretella, Algofia, Paulino, Defiderio. Poftremo in ifto Tomo funt Traditiones, feu quæftiones Hebraicæ in Genefin, libros Regum, & libros Paralipomenon: itemque libri de locis Hebraicis, & nominibus Hebraicis, quæ in omnibus libris Teftamenti novi, & veteris occurrunt.

V. Bellarminus, licet de contentis reliquis in hoc tertio tomo nihil dubitet, excipit tamen non fine ratione quæftiones in libros Regum, & Paralipomenon; Sanctus enim Hieronymus extremo libro de Script. Ecclef. teftatur, fe fcripfiffe Traditiones, five quæftiones Hebraicas in Genefin, loca Hebraica, & nomina Hebraica: nihil autem dicit de quæftionibus hebraicis in libros Regum & Paralipome-

non. Inſuper in Geneſin adſcribit idem S. Doctor verba paſſim hebraica: quod non facit author, quiscunque ſit, in libros Regum & Paralipomenon, niſi ſemel, & iterum. Videtur etiam gravior ſcriptio in Geneſin, quam in allegato libro Regum, & Paralip.

In 4. Tomo ſunt Commentarii in quatuor Prophetas Majores, & Threnos Jeremiæ. Verum Bellarmino videtur Commentarius in Threnos potius eſſe Rabani, quam Hieronymi; habetur enim inter opera Rabani, & reperiuntur in eo ſententiæ aliquæ ex S. Gregorio deſumptæ.

In Tomo 5. ſunt Commentarii in Eccleſiaſten, & in duodecim Prophetas minores: in quo ſunt omnia legitima.

In Tomo 6. Commentarii in Matthæum, in Epiſtolas ad Galatas, ad Epheſios, ad Titum, ad Philemonem. Liber Didymi de Spiritu Sancto, a S. Hieronymo in latinum traductus. Commentarium in Matthæum ſequebatur alius in Marcum: ſed recte a Mariano eſt omiſſus; quia author oſtendit, ſe nec græcæ, nec Hebraicæ linguæ peritum, & in explanatione c. 14. & 15. multa ſcribit inepta, & falſa

In Tomo 7. Commentarii in Pſalmos omnes. Verſio S. Hieronymi ex Hebræo. Scripſit S. Hieronymus in Pſalmos 7. videlicet 14. 15. 16. 17. 18. 19 & 20.mum ut ipſe teſtatur L. de Script. Eccleſ. Sed certum eſt, Tractatus in iſtos 7. Pſalmos periiſſe. Adhæc ſcripſit in Pſalm. 44 89. & 126. & explicatio horum trium Pſalmorum eſt certo S. Hieronymi, ut liquet ex Epiſtolis ejus ad Principiam, Cyprianum, & Marcellam, exſtatque iſta expoſitio inter Epiſtolas ejus.

Commentariolos autem, vel commentaria, quæ exſtant in Tomo 7. non eſſe illos, qui ſcripti ſunt a S. Hieronymo, multi contendunt: quia in illis plura docet Author S. Hieronymo contraria, ut: quod Pſalmus 89. Moyſis non ſit, cujus tamen eſſe, aſſerit S. Hieronymus: præterea in Pſal. 16.tum author citat Eucherium S. Hieronymo longe poſteriorem: inſuper ſtylus eorum non ſapit S. Hieronymum. Bellarminus pro oppoſita opinione affert etiam momenta minime contemnenda: ipſe vero manet Problematicus. Videatur de Script. Eccleſ. in S. Hieronymo.

In Tomo 8. hæc ſunt: 1. In Job Commentaria, quæ Marianus Victorius non tribuit S. Hieronymo, ſed Bedæ; nam in ultimo Volumine ait author, ſe ſcripſiſſe in gratiam Vecterii: hunc autem in Anglia Epiſcopum fuiſſe tempore Bedæ, ex hiſtoria ejusdem Bedæ manifeſte claret. 2. Commentarii in Proverbia iterum recte adſcri-

buntur V. Bedæ; quippe c. 21. & 31. citatur S. Gregorius Papa, & c. 30. nominatim allegatur S. Hieronymus. 3. In Cantica Homiliæ Origenis. 4. Commentarii in omnes Epistolas D. Pauli: qui tamen non solum nullatenus sunt Hieronymi, sed Pelagii Hæresiarchæ: siquidem S. Augustinus L. 3. de Peccatorum meritis & Remiss. dicit, se legisse commentaria Pelagii brevia in omnes Epistolas Pauli: & infra c. 12. allegat quædam ex commentario in c 7. prioris ad Corinthios, quæ in his commentariis inveniuntur. Videatur author horum commentariorum in cap. 5. 6. 7. & 8. ac 11. ad Romanos: item in 1. ad Corinth. 4. Philippens. 1. & 3. & in c. 6. prioris ad Timotheum, & reperientur sententiæ evidenter Pelagianæ.

In Tomo 9. multa sunt aliorum, ut Eusebii Cæsariensis, Ruffini, Augustini, Gennadii & aliorum, de quibus nullum dubium.

Epistola ad Demetriadem Virginem, incipiens: *Si summo ingenio &c.* Pelagiana est, & a S. Augustino tribuitur ipsi Pelagio, ac refellitur L. de gratia Christi c. 22. 27. 37. 38. & 40.

Epistola ad Geruntii filias pariter pelagiana est, sicut & Epistola ad Amicum de cognitione Divinæ legis.

Iterum Epistola ad Desiderium de Scriptoribus Ecclesiasticis ponit inter Lumina Ecclesiæ Origenem, Jovinianum, Pelagium hæreticos: numerat etiam Hilarium Pontificem, qui diu post mortem S. Hieronymi florere cæpit.

Epistola de Filio luxurioso, & frugi pelagiana est, ac plurimum differt a vera Epistola S. Hieronymi de eodem argumento.

Symbolum ad Damasum incipiens: *credimus in Deum Patrem &c.* non est Hieronymi ad Damasum, sed Pelagii ad Innocentium, ut ostendit S. Augustinus L. de gratia Christi c. 30. 31. 32. & 33. ubi verba illius libelli allegat, quæ sunt ea ipsa, quæ in hoc Symbolo continentur.

Epistolæ S. Augustini ad Cyrillum Hierosolymitanum de obitu Hieronymi procul dubio supposititiæ sunt, cum Cyrillus iste obierit diu ante S. Hieronymum. Sunt & alia, quæ falsitatem harum Epistolarum patefaciunt, de quibus Bellarminus de Script. Eccles.

Ultimo S. Hieronymo tribuitur Liber de Vitis SS. Patrum. Verum iste liber non est unius authoris. S. Hieronymum authorem habent Vitæ S. Pauli primi Eremitæ, Hilarionis, & Malchi. Hæc de scriptis S. Hieronymi.

285. Sulpitius Severus Presbyter, & clarus Historiæ Sacræ Scriptor, a Gennadio Severus Sulpitius, ab aliis Sulpitius Severus, ab

Hieronymo, Paulino Nolano, Gregorio Turonenſi, & aliis *Severus* ſimpliciter vocatur, vir genere nobilis, Diſcipulus in Literis S. Martini Turonenſis, & Paulini Nolani, S. Hieronymi & Ruffini coævus, Patria Aquitanus. Obiiſſe creditur anno Chriſti 420.

Monendus eſt Lector, non eſſe hunc Sulpitium confundendum cum S. Sulpitio, etiam Severo cognomine appellato, Bituricum Archi-Epiſcopo, cujus memoria fit in Martyrologio Romano die 29 Januarii, a cujus proin elogio demptum eſt jam in correctione ſub Urbano VIII. illud: *Diſcipuli S. Martini*, perperam ei adjectum, & ſcopulus variarum criſium. Hic enim cum anno 585. Matiſconenſi ſecundo interfuerit Concilio, longe poſterior eſſe cognoſcitur Sulpitio Diſcipulo S. Martini. De hac re eruditiſſime pro more ſuo agit Sapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. in Bulla præfixa Editioni, & correctioni Martyrologii, ab Ipſo factæ, Editionis Romanæ anno 1749. adornatæ a pag. XXVII. & numero XXXVII. & ſequentibus pluribus, ubi inter alia pag. XXXIV. n. XLVII. ita egregie pronunciat: *Hoc unum —— juvat hic adnotare, duos nimirum Sulpitios Epiſcopos Bituricenſes exſtitiſſe, quibus nihil commune eſt cum Sulpitio Severo S. Martini Diſcipulo. Primus obiit anno 591. alter vita ceſſit anno 694. de priore* (cognomine etiam Severo) *loquitur Martyrologium 29. Januarii: poſteriorem* (cognomine Pium) *die 17. ejusdem menſis commemorat.* In hac ſententia etiam ſunt plures Critici alii, & Annatus, ac Cartier.

Scripſit hic Sulpitius Presbyter 1. de Hiſtoria Sacra libros duos, quam exorſus a mundi initio perduxit usque ad Stiliconis, & Aureliani Conſulatum, id eſt, ad annum usque Chriſti 400. in quorum primo immiſcet quædam abſurda, ut, quod Angeli ſpecioſarum mulierum forma capti, ſe illis miſcuerint, humanam corrumpentes progeniem, & quod ex eorum coitu progeniti ſint Gigantes. Item, quod Sacerdotes, qui habent poſſeſſiones, immemores ſint præcepti olim Levitis dati. Sed certum eſt ex Scriptura, Levitas habuiſſe poſſeſſiones, imo oppida, & ſuburbana Levit. c. 25. & Jerem. c. 32. Jeremias ex genere Sacerdotum agrum emiſſe legitur. Act. 4. ℣. 37. Barnabas Levita agrum, quem poſſidebat, vendidiſſe legitur.

Scripſit 2. de Vita S. Martini librum unum. 3. Dialogos tres, quorum primus eſt de converſatione, virtutibus, & miraculis Monachorum Orientalium in Ægypto, in quo inducitur loquens Gallus cum Poſthumiano amico. In duobus aliis poſterioribus exponit virtutes, & miracula B. Martini, de quibus nihil dixerat in libro de Vita ejus. In his pariter plura immiſcet erronea: ut, quod Eccleſia

auro non ſtruatur, ſed deſtruatur: reprehendit Epiſcopcs, qui li bros Origenis damnaverunt: in fine Dialogi ſecundi inquit, ex ſententia S. Martini Neronem ſimul cum Antichriſto venturum, & Neronem in Occidente, Antichriſtum in Oriente perſecuturum fideles: Poſtremo S. Hieronymus in Ezech. c. 36 affirmat, Sulpitium Severum in Dialogo Galli, & Poſthumiani ſecutum eſſe errorem Millenariorum: propterea forte hunc Dialogum S. Gelaſius inter ſcripta apocrypha refert.

Scripſit etiam Epiſtolas diverſas ad diverſos, ut vult Gennadius, ſed ex iis tres ſolum ſuperſunt: 1. Ad Euſebium Presbyterum contra æmulos virtutum S. Martini. 2. Ad Aurelium Diaconum de morte, & apparitione S. Martini. 3.tia Ad Baſſulam ſocrum ſuam, quomodo S. Martinus ex mortali ad immortalem vitam tranſierit.

286. S. Aurelius Auguſtinus Hipponenſis in Africa Epiſcopus, & Eccleſiæ Doctor maximus, æque ac ſanctiſſimus, natione Afer, Tagaſte in Numidia natus ex Patritio, & Monica honeſtis, & tunc ambobus Chriſtianis parentibus anno 354. ita ſtatim liberalibus diſciplinis imbutus fuit, ut Grammaticam prius Tagaſte, & Rhetoricam Carthagine poſtea magna cum laude docuerit: ubi adoleſcens adhuc in Manichæorum hæreſin incidit. Inde in Italiam profectus, Romæ primum, & poſtea Mediolani Rhetoricam iterato docuit, donec a S. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo ad fidem Chriſti converſus, & baptizatus eſt jam trigeſimo major anno Chriſti 387. atque in Africam, ac Patriam reverſus, cum amicis, Deo pariter ſervientibus, a ſæcularibus curis ſemotus, ſolitariam trienhio vitam egit; charitatis autem motivo impulſus Hipponem ſe contulit, ubi a Valerio Epiſcopo Presbyter anno 391. ordinatus, & poſtmodum vivo adhuc Valerio conſecratus eſt Epiſcopus. Denique poſt varia adverſus varios fidei hoſtes certamina, & prœlia cum Manichæis, Donatiſtis, & Pelagianis, Paganis, & aliis inita, poſt ſcripta, & innumera fere relicta volumina, quibus hæreſes profligavit, omnibus præfuit, & ubique gentium inclaruit, cælo maturiſſimus, & de Eccleſia meritiſſimus obiit anno Chriſti 430. ætatis vero 76.

In enumerandis, & diſcernendis tam multis ejus Scriptis diverſi diverſum ordinem ſervant. Mihi præplacet ille, quem ſibi poſuere Annatus, & Gallus Cartier. Unde ex Annato monitum prævie volo Lectorem: ut ſcripta Auguſtini erudite quis legat, tempora diſtinguat, oportet, quibus ea S. Doctor ſcripſit; alia enim ſcripſit Catechumenus, Sæcularium literarum inflatus conſuetudine: alia ſcripſit

pſit baptizatus, in Sacris literis adhuc Tyro: alia Presbyter exaravit erudita magis, & docta: aliqua demum ad Epiſcopatum promotus ſcripſit omnium eruditiſſima, & ſolidiſſima. Hunc ordinem igitur temporis ſcriptionis ſequor cum Annato: addo tamen Notam ex libris Retractationum, vel Indiculi Poſſidii, qui diligentiſſime in indiculum redegit omnes libros S. Auguſtini. Ubicunque ergo notatur liber Retract. vel Indiculi, is liber ſine dubio eſt Auguſtini.

Scripta S. Auguſtini adhuc Catechumeni.

287. 1. Contra Academicos liber unus, in tres alios diviſus L. 1. Retract. c. 1. De his libris S. Doctor etiam L. 15. de Trinitate c. 12. ait: *contra Academicos —— qui nihil ab homine ſciri poſſe contendunt, ſunt libri tres noſtri, primo noſtræ converſionis tempore conſcripti.*

2. De Beata vita L. 1. Retract. c. 7. 3. De Ordine Libri duo. L. 1. Retract. c. 3. Hi cum prioribus duobus reperiuntur in primo tomo operum Auguſtini Edit. ant. 4. Soliloquiorum libri duo. 1. Retract. c. 4. ſunt hi in eodem tomo Edit. antiquæ. Eſt adhuc alius liber Soliloquiorum animæ ad Deum in tom. 9. ejusdem Editionis, incipiens: *Agnoſcam Te Domine, Cognitor meus:* aſt hic non Auguſtini, ſed recentioris Auguſtino eſt; nam cap. 32. refert caput 1. Concilii Lateranenſis IV. quo exprimitur confeſſio fidei de SS. Trinitate. 5 De Immortalitate animæ liber unus. 1. Retract. c. 7. ubi eundem multum obſcurum nominat S. Doctor. 6. Libri Diſciplinarum. De quibus S. Auguſtinus L. 1. Retract. c. 6. Agit in iis de Grammatica, Muſica, Dialectica, Rhetorica, Geometria, Arithmetica, Philoſophia. Videatur S. Doctor citato Retract. loco.

Scripta S. Auguſtini jam baptizati.

288. 1. De Moribus Eccleſiæ Catholicæ, & de Moribus Manichæorum. De his S. Doctor L. 1. Retract. c. 7. Habentur in 1. tomo Edit. antiquæ.

2. De Quantitate animæ liber unus, ſeu Dialogus cum Evodio de quantitate animæ. Similiter in 1. tomo Edit. antiquæ. De hoc L. 1. Retract. c. 8.

3. De libero Arbitrio Libri tres, ſcripti contra Manichæos. De quibus L. 1. Retract. c. 9. habentur tom. 1. Edit. ant.

4. De Geneſi adverſus Manichæos Libri duo. Eodem 1. tom. Edit. ant. S. Doctor de iis agit L. 1. Retract. c. 10.

5. De Magiſtro liber unus. De quo S. Doctor L. 1. Retract. c. 12. exſtat in tomo 1. Edit. ant.

6. De

6. De vera Religione: cujus meminit S. Doctor L. 1. Retract. c. 13. invenitur in 1. tom. Edit. ant. Liber hic maxime loquitur contra naturas duas Manichæorum.

Scripta S. Augustini jam Presbyteri.

289. 1. De utilitate credendi ad Honoratum liber unus, in 6. tom. Edit. ant. de quo L. 1. Retract. c. 14. 2. De duabus animabus contra Manichæos liber, inveniendus tom. 6. Edit. ant. de quo 1. Retract. c. 15. 3. Contra Fortunatum Manichæum Liber, in eodem 6. tom. Edit. ant. de quo 1. Retract. c. 16. 4. De Genesi ad literam imperfectus, tom. 3. Edit. ant. de quo 1. Retract. c. 18.

5. De Symbolo, & fide liber unus, positus 3. tomo Edit. ant. de quo L. 1. Retract. c. 17. 6. De Sermone Domini in monte libri duo: habentur 4. tom. Edit. ant. de quibus 1. Retract. c. 19. 7. Psalmus contra partem Donati: exstat in 7. tom. Edit. ant. de quo 1. Retract. c. 20. 8. Contra Epistolam Donati hæretici liber unus, qui non habetur. De quo 1. Retract. c. 21. 9. Contra Adimantum Discipulum Manichæi liber unus: exstat in 6. tom. Edit. ant. de quo L. 1. Retract. c. 22. 10. Liber unus Expositionis quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos: exstat tom. 4. Edit. ant. de quo 1. Retract. c. 23.

11. Liber unus Expositionis Epistolæ ad Galatas, repertus tom. 4. Edit. ant. de quo 1. Retract. c. 24.

12. Inchoata Expositio Epistolæ ad Romanos: habetur tom. 4. Edit. ant. de qua 1. Retract. c. 21. 13. Liber unus de diversis quæstionibus octoginta tribus: in 4. tom. Edit. ant. de quo 1. Retract. c. 26. 14. Liber unus de Mendacio: tom. 4. Edit. ant. memoratur 1. Retract. c. 27.

Scripta S. Augustini jam Episcopi.

290. 1. Libri duo de diversis quæstionibus ad Simplicianum: exstant tom. 4. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 1. 2. Liber unus contra Epistolam Manichæi, quem vocant *Fundamenti*. 6. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 2. 3. De Agone Christiano liber unus: est in 3. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 3. 4. Libri 4. de Doctrina Christiana: sunt in 3. tom. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 4. 5. Libri 13. Confessionum: exstant 1. tom. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 6. 6. Grande opus contra Faustum Manichæum: est in 6. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 7. 7. Contra Felicem Manichæum libri duo: exstant eodem tom. 6. Edit. ant. de quibus L. 2. Retract. c. 8.

8. Liber unus de Natura boni adversus Manichæos: invenitur tom. 6. Edit. ant. de quo S. Augustinus 2. Retract. c. 9. 9. Liber unus contra Secundinum Manichæum: in 6. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 10.

10. Liber unus de Catechizandis rudibus: habetur tom. 4. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 14. 11. De SS. Trinitate Libri 15. habentur 3. tom. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 15. 12. Libri tres contra Epistolam Parmeniani Donatistarum Episcopi: sunt in 7. tom. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 17. 13. De Baptismo adversus Donatistas Libri septem in 7. tomo. de quibus 2. Retract. c. 18. 14. De opere Monachorum Liber unus: 3. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 21. 15. Liber de Bono Conjugii contra Jovinianum: de quo L. 2. Retract. c. 22. 16. De S. Virginitate Liber unus: tom. 3. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 23 17. De Genesi ad literam Libri 12. habentur tom. 3. Edit. ant. quos memorat S. Doctor 2. Retract. c. 24. 18. Libri tres contra literas Petiliani Donatistæ: tom. 7. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 25.

19. Libri 4. contra Cresconium Grammaticum Donatistam. 7. tom. Edit. ant. de quibus 2 Retract. c. 26. 20. De Divinatione Dæmonum libellus: 3. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 30. 21. Liber unus de unico Baptismo contra Petilianum ad Constantinum Donatistam: 7. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 34. 22. Libri tres de Peccatorum meritis, & remissione: 7. tom. Edit ant. de quibus 2. Retract. c. 33. 23. Liber unus ad Marcellinum de Spiritu & Litera: 3. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 37. 24. Liber unus de fide, & operibus: 4. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 38.

25. Liber de Natura & Gratia ad Timasium & Jacobum contra Pelagianos: tom. 7. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 42. 26. Liber de gestis Pelagii: eodem tom. 7. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 47. 27. Libri duo ad Albinam, Piniarum, & Melaniam de gratia Christi, & peccato originali contra Pelagium, & Cælestium: tom. 7. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 50. 28. Libri duo de Nuptiis, & Concupiscentia ad Valerium Comitem: tom. 7. Edit. ant. 2. Retract. c. 53.

29. Libri duo ad Pollentium de adulterinis conjugiis: 6. tom. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 57. 30. Libri quatuor contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Pontificem Romanum: 7. tom. Edit. ant. de quibus L. 2. Retract. c. 61. 31. Libri sex contra Julianum Pelagianum: tom. 7. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 62. 32. De Prædestinatione Sanctorum, & Bono Perseverantiæ: tom. 7. Edit. ant. Recensentur in appendiculo Possidii: proinde, licet non memo-

rentur in Retractationum libris, censentur tamen germani partus hujus S. Doctoris: qui ideo horum non facit memoriam in suis Retractationibus, quia primum eos conscripsit, postquam jam absolverat Retractationum libros, ut ipse S. Augustinus testatur libro 2. Videatur de his Annatus in S. Augustino fol. mihi 515. & Bellarminus eodem loco fol. 109. 33. Libri quatuor de Anima, & ejus origine: tom. 7. Edit. ant. de quibus L. 2. Retract. c. 56. 34. Libri duo de Origine animæ, & de sententia Jacobi: tom. 2. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 45. 35. Libri duo contra Adversarium Legis & Prophetarum: 6. tom. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 58. 36. Liber unus de videndo Deo ad Paulinam: de quo 2. Retract. c. 41. 37. Libri 4. de consensu Evangelistarum: tom. 4. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 16.

38. Libri 22. de Civitate Dei: tom. 5. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 43. 39. Liber unus de sex quæstionibus adversus Paganos expositis, per modum Epistolæ ad Deo gratias, quæ est 49. directus: tom. 2. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 31. 40. Libri 7. Locutionum Sacræ Scripturæ: tom. 3. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 54. 41. Liber unus contra Priscillianistas ad Orosium: 6. tom. Edit. ant. de quo L. 2. Retract. c. 44. 42. Liber unus contra Mendacium: 4. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 60. 43. Libri tres, Breviculus Collationum cum Donatistis: tom. 7. Edit. ant. de quibus 2. Retract. c. 39. 44. Liber unus de gestis cum Emerito Cæsariensi Donatistarum Episcopo: tom. 7. Edit. ant. de quo L. 2. Retract. c. 51. 45. Liber unus Enchiridion ad Laurentium: 3. tom. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 63. ubi juxta D. Augustinum hic liber sic incipit: *dici non potest.*

46. Liber unus de cura pro mortuis gerenda ad Paulinum Nolanum: 4. tom. Edit. ant. de quo L. 2. Retract. c. 64. 47. Liber unus de gratia, & libero arbitrio ad Valentinum, & Monachos Adrumetinos: tom. 7. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 66. 48. de Correptione & gratia ad eosdem Liber unus: tom. 7. Edit. ant. de quo 2. Retract. c. 67. 49. Libellus unus ad QuodvultDeum: 6. tom. Edit. ant. cujus non meminit S. Augustinus in suis Retractationibus, quibus absolutis primum hunc composuit: mentionem tamen facit ejus Possidius in Indiculo librorum Augustini.

50. Epistolæ plurimæ in secundo tomo, & Sermones multi, qui reperiuntur, inter genuina S. Doctoris opera numerari debent; ita enim colligitur ex ipso fine, quem S. Doctor suis Retractationibus posuit, in hæc verba pronuncians: *Hæc opera nonaginta tria, in libris*

bris ducentis triginta duobus me dictasse recolui, quando hæc retractavi, utrum aliquos adhuc essem dictaturus, ignorans: atque ipsam eorum retractationem in libris duobus edidi urgentibus fratribus, antequam Epistolas, ac Sermones ad populum, alios dictatos, alios a me dictos retractare cœpissem.

51. Libri duo Retractationum, de quibus loco mox citato. Tantum abest, ut de his duobus libris Eruditorum quis dubitet, ut potius Eruditi & Critici eos statuant pro regula critica præcipua plerorumque, & ferme omnium operum D. Augustini. 52. Enarrationes, seu Expositiones in omnes Davidis Psalmos Augustini vere esse censentur, licet harum in Retractationibus non meminerit S. Doctor: quia ab ipso memorantur in Præfatione Psalmi 118. & in Indiculo a Possidio Calamensi Episcopo, S. Augustini Discipulo, ejusque vitæ, ac gestorum fidelissimo Historico, qui omnium scriptorum S. Augustini texuit succinctum indiculum, seu catalogum.

Cæterum Supposititia, vel dubia censeri debent cætera, quæ Augustino tribui solent, opera, quæ nec in Retractationibus, nec in prædicto Possidii Indiculo indicantur, nec alibi a S. Augustino memorantur.

Ut autem aliqua referam de dubiis & supposititiis operibus, sequentia dicam: 291.

1. Oratio ad Catechumenos contra Judæos, Paganos, & Arianos. 2. Oratio adversus Judæos: hæc duo opuscula esse S. Augustini tenent nonnulli cum Bellarmino, quia reperiuntur in indiculo Possidii: verum alii dubitant, an per hæc verba in indiculo posita: *adversus Judæos Tractatus duo*, non intelligantur duo Sermones de Tempore, nempe 234. & 235.

3. Ad Demetriadem Epistola, quæ est in 2. tomo, non Augustini, sed Pelagii est, ut ipse Augustinus L. de gratia Christi c. 20. & seqq. observat.

4. Libri tres de mirabilibus S. Scripturæ, reperiendi in 3. tomo, S. Augustino merito abjudicantur, cum neque in indiculo, nec Retractationibus eorum mentio fiat, & S. Thomas p. 3. q. 45. art. 3. affirmet, eos falso D. Augustino adscribi.

5. Liber de fide ad Petrum Diaconum, seu Regula veræ fidei, reperienda in 3. tomo, similiter perperam S. Augustino tribuitur, utpote cujus mentio nulla fit in Retractationibus, & indiculo. Meliori jure a multis adscribitur S. Fulgentio, ob conformitatem styli cum illo Fulgentii, & mutuam Fulgentium inter, & Petrum Diaconum amicitiam. Insuper in Breviario Romano festo SS. Trinitatis legun-

 tur

tur Lectiones secundi Nocturni de fide ad Petrum sub nomine S. Fulgentii, ubi Rubrica addit: *inter opera Augustini, tom. 3.*

6. Liber de Spiritu, & anima S. Augustini non est, cum alleget Boëtium centum fere annis Augustino posteriorem.

7. Liber quæstionum veteris, & novi Testamenti in 4. tomo pariter non est Augustini, sed cujusdam hæretici; nam q. 2. dicit, mundum propter Diaboli præsumptionem factum esse: q. 21. docet, mulierem non ad Dei imaginem esse creatam: q. 80. homines non nasci filios Diaboli. q. 109. Melchisedech esse Spiritum Sanctum: & alia hujusmodi Sancto Doctore indigna, ac a fidelium mente aliena.

8. Libri duo de Incarnatione Verbi. 9. De Trinitate & unitate Dei liber. 10. Liber de essentia Divinitatis. 11. Liber de Substantia Dilectionis. 12. Liber de salutaribus Documentis. 13. De Amicitia liber. 14. Liber de vera & falsa Pœnitentia. Hi libri omnes non sunt Augustini, cum non recenseantur in Retractationibus, nec in Indiculo, & ille de vera & falsa pœnitentia S. Augustinum nominatim citet, & ab illo dissentiat.

15. Liber de altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ spurius Augustini partus reputatur ab omnibus; quia non indicatur in Retractationibus, aut Indiculo, neque stylum S. Augustini sapit.

16. Ex eadem causa idem judicium est de libro de Prædestinatione & gratia, contento in tom. 7. Accedit, Authorem hujus libri c. 16. docere, hominem, etsi non peccasset, potuisse juste a Deo damnari: quod repugnat doctrinæ S. Augustini, asserentis L. 3. contra Julianum c. 8. *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis operibus liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.*

17. Libri 6. Hypognosticon in 7. tomo, cæteroquin Catholici, utiles, eruditi, & satis antiqui authoris, non sunt tamen Augustini, quia in Retractationibus, & Indiculo non adducuntur, nec stilum S. Augustini sapiunt.

18. Liber de Speculo S. Augustini non est, quia c. 3. citat versus Boëtii Augustino recentioris, & c. 27. negat Spiritum S. a Patre procedere, cujus oppositum passim S. Augustinus asserit.

19. Liber de conflictu Virtutum & Vitiorum, qui etiam S. Leoni tribui solet, nec hujus, nec S. Augustini esse potest, cum ab utriusque stilo differat, & ad finem alleget Regulam S. Benedicti utroque, scilicet Augustino & Leone posterioris.

20. Liber de Antichristo pariter nequit esse S. Augustini, quia meminit Imperii a Græcis ad Gallos, seu Germanos translati, quod evenit longe post Augustinum, anno nimirum 800.

21. De Libro Soliloquiorum, incipiente: *agnoscam te Domine*, jam supra n. 287. ubi de Scriptis egi Augustini adhuc Catechumeni, dixi, eum esse spurium.

22. Liber Expositionis in Apocalypsin non potest esse Augustini, eoquod caput 21. de præsentis Ecclesiæ statu exponat, quod S. Augustinus L. 20. de Civitate c. 17. nimiæ esse impudentiæ dicit.

23. Liber de Ecclesiasticis dogmatibus non videtur esse S. Augustini, cum præcipue conflatus sit ex sententiis Concilii Arausicani, & SS. Pontificum Innocentii, Zosimi, & Cælestini: sed Concilium Arausicanum, & Epistolam Cælestini constat esse scripta post mortem Augustini. Præterea hunc librum Hadrianus Papa Epist. ad Carolum Magnum tom. 3. Epistolarum SS. Pontificum citat sub nomine Gennadii Massiliensis Episcopi. Pariter Algenus florens anno 1100. tribuit eundem Gennadio. Idem facit Platina in vita Simmachi. Videatur Bellarminus de S. Augustino mihi pag. 103.

292. Dubia, & incerta sunt sequentia opuscula, quia nullibi in Retractationibus, vel indiculo memorantur: referuntur in tomo 9.no

1. Meditationum Liber. 2. Liber de diligendo Deo. 3. De Manuele. 4. De triplici habitaculo liber. 5. De Scala Paradisi. 6. De duodecim gradibus abusionum. 7. De contritione cordis. 8. De cognitione veræ vitæ. 9. De vita Christiana. 10. De Assumptione B. Mariæ. 11. De Cantico novo. 12. De contemptu mundi. 13. De vanitate sæculi. 14. De Obedientia & humilitate. 15. De bono Disciplinæ. 16. De Visitatione infirmorum. 17. De Consolatione mortuorum. 18. De quarta Feria. 19. De Cataclysmo. 20. De tempore Barbarico. 21. De Sobrietate. 22. Speculum peccatoris. 23. De Laudibus charitatis. 24. De Honestate mulierum. 25. De Symbolo fidei. 26. De Rectitudine Catholicæ conversationis. 27. De utilitate Jejunii. 28. De creatione primi hominis. 29. De Arbore Scientiæ boni & mali. 30. De pugna Animæ. 31. Psalterium matri suæ. 32. Expositio super *Magnificat*.

Ita refert Annatus, addens: ea Augustini non esse, certo asserere non audemus, cum pii sint, & docti libri, & S. Augustini ingenio digni, ut etiam censet Bellarminus.

Objectiones, quæ contra doctrinam S. Augustini fieri possunt, sic dilue. 1. S. Augustinus videtur quidem dubius hæsisse, an animæ per traducem fiant, nec de hac re definitivam sententiam ausus fuit

 proferre,

proferre, ut ſcribit ad Optatum: ſed tunc nec hæreſis, nec error erat, cum de iſta re diverſæ illa ætate eſſent Catholicorum ſententiæ.

2. Idem reſponde ad illa loca, quibus videtur Angelis, & Dæmonibus tribuere corpora; variæ enim illo tempore de hoc erant Patrum ſententiæ.

3. Quid de pœna Parvulorum ſine baptiſmo decedentium ſenſerit, L. Sententiarum 2. tomo 3. hujus operis diſcutietur.

4. Dum Antipodas videtur negaſſe, nihil egit contra S. Scripturam, vel ſacram doctrinam, ex qua de eorum exiſtentia non conſtat: imo ea ætate nec ex profanis Scriptoribus res iſta adeo nota erat, ac hodie.

§. V.

Continuantur Patres & Scriptores Sæculi V.

293. S. Maximus Epiſcopus Taurinenſis, pietate & doctrinâ clarus, quo loco ortus ſit, ignoratur: annum mortis ejus aſſignat Bellarminus 420. Cartier tom. 1. Tract. 4. c. 1. mihi pag. 68. annum 465. & revera citius non fuit mortuus, ſi vera ſint, quæ de illo aſſerit idem Cartier: nempe eum interfuiſſe Mediolanenſi Concilio ſub S. Leone Romano Pontifice, & Euſebio Mediolanenſi Præſule anno 452. celebrato, ubi juxta formam famoſæ S. Leonis ad Flavianum Epiſtolæ Eutychiana hæreſis fuit proſcripta: iterum alteri Romano Concilio 48. Epiſcoporum ſub Hilario Papa anno Chriſti 465.

Ejus ſcripta ſunt elegantes Sermones, ſeu Homiliæ, quarum aliæ ſunt Hiemales de tempore, aliæ Æſtivales: item aliæ de diverſis argumentis, quas refert ſingulas Bellarminus in S. Maximo pag. mihi 114. ibi videndas, additque, multos Sermones tribui ſimul & S. Ambroſio, & S. Maximo: ſed credibilius eſt, S. Maximi eſſe etiam illos, qui adſcribuntur Ambroſio; Gennadius enim enumerat fere omnes Sermones S. Maximi, & inter illos ſunt aliqui, qui tribuuntur S. Ambroſio, quamvis non ſit error notabilis, cum uterque ſit author Sanctus, doctus & antiquus. Hoc eſt judicium Bellarmini.

Auſonius Poëta S. Maximi æqualis multa ſcripſit profana: ſcripſit etiam carmine Epiſtolas ad S. Paulinum Nolanum, & invenitur ſub ejus nomine apud Paulinum precatio matutina ad Deum, & inter opera Auſonii egregium carmen de Reſurrectione Dominica: ex quo liquet, eum fuiſſe Chriſtianum, licet aliqua de Diis gentium ſcripſerit more Poëtarum.

S. Syneſius Epiſcopus Ptolemaidis, vir ſpectatæ Sanctitatis & pietatis, mortuus 420. ſcripſit librum ad Theodoſium Juniorem, teſte

ſte Evagrio L. 1. Hiſt. c. 15. Scripſit etiam elegantiſſimas Epiſtolas: in 8. tomo Bibliothecæ SS. PP. Edit. 2. leguntur quoque Hymni decem S. Syneſii: & anno 1612. Pariſiis prodierunt omnia opera Syneſii.

294. S. Paulinus Nolanus, in Campania Italiæ Provincia Nolenſis Epiſcopus, S. Auguſtino æqualis, & Diſcipulus, vir juxta Trithemium de Scriptor. Eccleſ. in Scripturis ſanctis eruditiſſimus, & in ſæcularibus Literis nulli ſecundus, nec minus Sanctitate, quam eruditione præcellens, cujus tantus fuit erga egenos captivos redimendos ardor, ut cum jam cenſum in Chriſtianis redimendis conſumpſiſſet omnem, nec haberet aliunde, quo afflictæ cujusdam viduæ raptum filium redimeret, ſe ipſum ſponte loco captivi filii in captivitatem dederit: mortuus eſt anno Chriſti 431. variis relictis Eccleſiæ voluminibus, tam ſoluto, quam ligato ſermone conſcriptis.

Scripta ejus ſoluta ſunt: 1. Epiſtolæ 14. ad Sulpitium Severum Presbyterum, familiarem ſuum, & a teneris annis amicum. 2. Epiſtolæ 5. ad Delphinum Epiſcopum, a quo fuerat baptizatus. 3. Epiſtolæ 6. ad Amandum Epiſcopum Burdigalenſem, Delphini Succeſſorem. 4. Epiſtolæ duæ ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem. 5. Tres Epiſtolæ ad Aprum Tullenſem in Lotharingia Epiſcopum. 6. Epiſtola una ad Florentium Cadurcenſem Epiſcopum. 7. Epiſtola una ad Alithium, vel Alethium Cadurcenſem pariter Epiſcopum, Succeſſorem Florentii. 8. Ad Deſiderium, quem putat Annatus, fuiſſe S. Deſiderium Lingonenſem Epiſcopum. 9. Epiſtola una ad Macarium. 10. Una Epiſtola ad Pammachium virum Proconſularem. 11. Ad Jovium virum eruditum & eloquentem. 12. Epiſtola una ad Militem quemdam. 13. Epiſtola una ad Eremitam quemdam. 14. Epiſtolæ 3. ad Auguſtinum. 15. Ad Alipium Epiſtola una. 16. Epiſtola una ad Romanianum. 17. Epiſtola una ad Incertos de Gazophilatio. Has recenſet Bellarminus, quibus jungit Annatus alias ad Licentium, Ruffinum, Marcellam, Celantiam, Eucherium & Gallam.

Scripta ejus ligata, ſeu Poëmata ſunt: 1. ad Jovium Epiſtola carmine ſcripta. 2. Epiſtolæ 4. metrice ſcriptæ ad Auſonium. 3. Ad Citherium carmen. 4. De Natali S. Felicis carmina decem. 5. De Celſo puero ad Parentes carmen panegyricum. 6. De Reditu Nicetæ in Daciam unum carmen. 7. Pſalmi tres Davidis metrice decantati. Inveniuntur præterea Libri 6. de Vita S. Martini carmine conſcripti: & a nonnullis S. Paulino Nolano tribuitur Vita S. Ambroſii: ſed judice Bellarmino alterius Paulini, non hujus Nolani eſt.

S. Lucianus

295. S. Lucianus Presbyter vixit tempore Honorii, & Theodosii Junioris Imperatorum: scripsit librum de inventione S. Stephani, & aliorum SS. corporum, quæ ipse divina revelatione invenit. Liber iste legitur apud Lipomanum, & Surium die 3. Augusti. Eodem tempore scripti sunt libri duo de miraculis S. Stephani ad Evodium Uzalensem Episcopum; quia tamen nomen authoris ignoratur, dicuntur Evodii.

Paulus Orosius Presbyter Hispanus S. Augustini Discipulus scripsit ad ipsum Augustinum Libros septem Historiarum ab orbe condito, in quibus præcipue commemorat clades Romanorum, quibus afflicti sunt, dum Idola adorarent.

C. Cælius Sedulius Presbyter Scotus exaravit Theodosio Juniore expositionem in omnes Epistolas S. Pauli, excerptas ex Origene, Ambrosio, Hieronymo, & Augustino. Floruit, vel obiit juxta veriorem opinionem Trithemii anno Christi 430. Ad hæc Sedulius libros quinque edidit carminum de quinque mirabilibus operibus Dei, & Hymnos duos de Christo, quorum alter Alphabeticus est ab A. usque G. inclusive, & canitur in Ecclesia in Officio divino in festo Circumcisionis Domini ad Laudes: ejus initium est: *A Solis ortus cardine.*

Proclus Episcopus Constantinopolitanus S. Cyrilli æqualis. Mentionem hujus vere honorificam facit idem S. Cyrillus in Expositione Symboli Nicæni, & in Epistola 31 ad Joannem Antiochenum. Scripsit Epistolam admodum laudandam de fide ad Armenos, legendam in Bibliotheca SS. PP. tom. 3. excusam jam græce & latine 1. tomo Conciliorum Generalium Romæ impressorum: imo & fragmentum ejus recitatur in 5. Synodo Generali Act. 5. scripsit quoque de Traditione Divinæ Liturgiæ.

296. S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, ab illo Jerosolymitano diversus, atque posterior, decimus sextus a S. Marco post Theophilum avunculum, & ante Dioscorum Eutychianum ordinatus Alexandrinus Episcopus anno Christi 412. vel 413. vir fuit sanctissimus juxta ac doctissimus, hæreticorum omnium, præsertim Nestorianorum hostis, & Triumphator maximus, & gloriosissimus: e sua urbe Patriarchali Novatianos fugavit, Judæos debellatos expulit, & Nestorianos, prostrato per Ecclesiæ fulmen Nestorio, plene devicit. In Alexandrino primo, & subinde in Ephesino œcumenico Concilio Cælestini I. vices ut Legatus, & Præses egit: qui postquam diu indefesse pro fide catholica lingua, & calamo pugnavit, post superatos immensos pro Christo, & Ecclesia labores, & duos supra triginta, quos in Episcopatu

patu emensus est, annos feliciter & sancte in Christo obdormivit, imperante Theodosio Juniore, & sedente in Romana cathedra S. Leone Magno anno 444. die 28. Januarii. Scripta ejus omnia in Editione Parisiensi anno 1604 latine excusa sunt: postea græce & latine data sunt anno 1738. cura Joannis Auberti Laudunensis Ecclesiæ Canonici.

Præcipua ejus opera hic referuntur.

1. In Scripturam Sacram opera varia, ut in Genesin Libri 11. in Leviticum Libri 16. Sed testibus Bellarmino & Cartier videntur esse Origenis, tum, quia reperiuntur inter Origenis opera: tum, quia author sensum literalem ubique destruit. 2. Libri 5. in Isaiam. 3. Libri 5. in Evangelium S. Joannis. 4. Dicta veteris Testamenti anagogice, breviter & dilucide explicata. 5. Liber adversus Judæos, & breves Anagogæ de iis, qui floruerunt ante Legem: de his, etiam simul de libro adversus Judæos, Bellarminus: *Haud scio, an Cyrilli sint: sed res parvi momenti est, cum sint libelli brevissimi, & leves.* 6. Epistolæ variæ, e quibus 39. numerantur occasione impiæ Nestorii doctrinæ ad varios, & variæ ad ipsum, atque ad ipsum Nestorium aliquot, in quarum tertia, quæ ipse credere debeat, quæve anathematizare, exponit ei duodecim capitulis, adjuncto singulis anathemate, quæ ideo duodecim anathematismi Cyrilli vulgo vocantur.

7. Homiliæ 10. mirabiles & eruditæ, quæ sunt fere omnes de admiranda Verbi Incarnatione, & contra impia Nestorii dogmata, quarum septima & octava a Paulo Emeseno Episcopo coram Cyrillo Alexandrino Alexandriæ dictæ fuerunt. Refert etiam Annatus ex Gennadio, Homilias ejus tanto in pretio antiquitus fuisse habitas, ut illas memoriæ mandatas Episcopi Orienteles e suggestu populo prædicarent.

8. Apologia ad Theodosium Imperatorem, & Reginas Eudoxiam ejus uxorem, & Pulcheriam Sororem; quippe cum prius, ut ipsas in fide firmaret contra Nestorianam hæresim, scripsisset, accusabatur a Sectariis Nestorii quasi perturbator aulicæ quietis; a quo impacto crimine ut se purgaret, hanc scripsit apologiam. 9. Declaratio, seu 12. capitum, vel Anathematismorum fusior explicatio, in Ephesina Synodo prolata. 10. Liber Apologeticus pro 12. Capitibus ad Orientales Episcopos. 11. Alter Apologeticus ad Evaptium Episcopum pro iisdem adversus reprehensiones Theodoreti Cyrensis Episcopi. 12. Expositio Symboli Nicæni ad Anastasium, Alexandrum, Martinianum &c. Presbyteros. 13. Synodales Epistolæ duodecim,

decim, quæ non parum faciunt ad noſcenda geſta in Synodo Epheſina. 14. Theſaurus contra Hæreſes ad fratrem ſuum Nemeſſinum: opus prorſus inſigne continens libros quatuordecim contra hæreticos, videlicet Arianos, & Eunomianos de conſubſtantialitate Patris, Filii, & Spiritus S. De hoc opere hæc eſt Bellarmini ſententia: *Theſaurus creditur eſſe imperfectus; multa enim citantur a S. Thoma in opuſculo de erroribus Græcorum ex Theſauro Cyrilli, quæ in his libris non reperiuntur.*

15. Libri 7. Dialogorum cum Hermia viro doctiſſimo, & æquiſſimo de conſubſtantiali Trinitate. 16. Libri ſeptendecim ad Palladium de adoratione in ſpiritu & veritate. 17. Contra Julianum Apoſtatam, ſeu contra ejus libros tres, quos ipſe contra Religionem Chriſtianam ſcripſerat. 18. De recta in Chriſtum fide ad Theodoſium, & Reginas. 19. Liber unus contra Anthropomorphitas, ſeu illos, qui Deum forma humana præditum aſſerebant.

Ultra hos libros tribuitur S. Cyrillo Liber unus de SS. Trinitate: ſed Eruditi conveniunt, non eſſe ipſius, ſed recentioris Authoris, qui poſt exortam Monothelitarum hæreſin, quam copioſe impugnat, ſcripſerit. Præterea eidem adſcribuntur Commentarii in 12. Minores Prophetas, quos Bellarminus affirmat Ingolſtadii latine & græce eſſe excuſos. Iterum dicuntur exſtare in Bibliotheca Vaticana Romæ totidem Cyrilli manuſcriptæ Paſchales Epiſtolæ, quot fuerunt ejus in Epiſcopatu anni.

297. Theodoretus, ſeu Theodoritus Cyri Epiſcopus, Antiochiæ piis, & nobilibus parentibus genitus, matrique Sanctorum Syriæ Monachorum precibus a Deo conceſſus, unde Theodoreti nomen accepit, necdum ſeptimum vitæ annum exegerat, cum ad S. Eupreſpii Monaſterium Antiochiæ vicinum mittitur, inſtruendus tam moribus vere chriſtianis, quam bonis Literis, ubi brevi tantam virtutis & doctrinæ famam aſſecutus eſt, ut anno circiter 423. juvenis adhuc, & invitus fuerit Cyri Epiſcopus conſecratus, hoc eſt, in oppido Syriæ a Cyro Perſarum Rege condito, & ab eo ſuo nomine appellato: qua in Sede octingentarum Eccleſiarum (tot enim Parochias Cyrenſis Epiſcopus ſub ſe habebat) curam conſecutus eſt, & permulta prœlia contra Paganos, Judæos, Eunomianos, Arianos, & Marcionitas ſubiit, vir omnino Magnus, eloquio facilis, & ſtylo fluidus, ac amœnus, Orientalis Eccleſiæ Scriptor, & Doctor celeberrimus, S. Joannis Chryſoſtomi Diſcipulus, & Sectator fidelis, Cyrilli Alexandrini coævus, & aliquo tempore adverſarius pro Neſtorio ex Zelo Religionis, ſed tamen reſipiſcens, cum Cyrillo inita pace, Neſtorio lubente animo anathema dixit. In prædatoria quidem

dem Synodo Ephesina anno 449. præside Dioscoro Alexandrino Episcopo Eutychiano non vocatus, nec auditus ab hæreticis fuit condemnatus, & a sua sede injuste pulsus: sed a S. Leone Magno in Concilio IV. œcumenico Calcedonensi eidem sedi restitutus anno 451. pie in Domino tandem mortuus est anno Christi 460. vel, ut alii volunt, 470. Opera Theodoreti ex Editione Coloniensi 1573. duobus tomis comprehensa sunt hæc:

In Tomo 1mo. 1. De obscuris quæstionibus in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, Judices, Librum Ruth, Libros Regum, & Paralipomenon. 2. Commentarii in omnes Psalmos Davidis. 3. Commentarii in Cantica Canticorum Salomonis. 4 Commentarii in omnes Prophetas, excepto Isaia. 5. Commentarii in Cantica Moysis, Annæ, Habacuc. Isaiæ, Ezechiæ, trium puerorum, Virginis Mariæ, Zachariæ, & Simeonis.

In 2do *Tomo:* 1. Commentarii in omnes Epistolas S. Pauli. 2. Libri quinque Historiæ Ecclesiasticæ a Constantino usque ad Theodosium juniorem. 3. Addit Gennadius, eum continuasse Historiam Ecclesiasticam usque ad Leonem Imperatorem aliis adjectis quinque libris: sed hi posteriores libri interierunt, ut testatur Bellarminus. 4. Tres libri Dialogorum. 5. De hæreticis Fabulis libri quatuor, quibus adjungit Synopsin Divinorum Decretorum. 6. Historia SS. Patrum, quam Religiosam appellat. 7. Sermones decem de Providentia. 8. Libri duodecim de curandis Græcorum affectionibus. 9. Epistola ad S. Leonem Papam, & altera ad Sixtum Presbyterum Romanum, & oratio de Dilectione valde insignis. 10. Gennadius insuper Lib. de Viris Illustribus meminit Librorum fortissimorum contra Eutychen & Dioscorum. 11. Capita 12. in Cyrillum scripta, & ejus 12. Anathematismis contra Nestorium editis opposita: sed in V. Synodo Generali Act. 5. una cum scriptis Theodori Mopsvesteni, quem idem Theodoretus multum laudat L. 5. seu ultimo Historiæ, condemnata sunt. 12. In Synodo V. Act. 5. apparet Epistola Theodoreti ad Joannem Antiochenum de obitu Cyrilli: sed falsa est; quia constat, Joannem Antiochenum obiisse ante Cyrillum, & insuper indigna est, ut Theodoreto, vel alicui, cuicunque Christiano tribuatur.

De S Eucherio Episcopo Lugdunensi hic mentio esset facienda: sed eum transeo, quia de germanis ab ipso scriptis operibus nihil certi afferi potest, ut liquet ex iis, quæ affert Bellarminus de Script. Eccles. pag. mihi 122.

Claudianus Mamertus Episcopus Viennensis, æqualis S. Eucherii, scripsit insigne opus de statu animæ, reperiendum in Bibliotheca SS. PP. tomo 4to.

Sidonius Apollinaris, Episcopus Arvernensis, ut Gennadius de viris Illustr. refert, scripsit varia opera soluto, & ligato sermone. Nunc exstant libri Epistolarum ejus ad diversos, & carmina ejus simul edita.

Joannes Cassianus S. Joannis Chrysostomi Diaconus, postea profectus Massiliam in Gallia, ibi Presbyter factus scripsit latina lingua 1. Libros tres de Habitu Monachorum, & Canonico Orationum & Psalmorum modo. 2. Librum unum Institutionum. 3. Libros 8. de Origine & Remedio octo principalium vitiorum. 4 Septem libros de Incarnatione Verbi. 5. Quatuor & viginti Collationes. Hæc omnia exstant, & utiliter leguntur, excepta Collatione tertia decima, & paucis aliis, quæ in Editione Romana sunt notata: fuit enim Semipelagianorum, seu Massiliensium fautor, imo & Dux, utpote quibus lampadem prætulisse videtur: exstitit tamen hostis Pelagianorum acerrimus.

Vincentius Lirinensis in Monasterio Lirinensi Presbyter, æqualis Cassiani, scripsit libellum, mole parvum, sed virtute maximum de profanis vocum novitatibus. Exstat adhuc, & utilissime legitur; ita censet Bellarminus.

Socrates, & Sozomenus Historiam Ecclesiasticam conscripsere ab eo tempore, quo cessavit Eusebius scribere, usque ad ætatem Theodosii junioris. Plane dolendum est, utrumque erroribus Novatianis favisse.

Isidorus Pelusiota, Monachus doctissimus tempore Theodosii junioris, ad hunc scripsit Epistolam, quæ adhuc invenitur apud Baronium tom. 5. Annalium ad annum Domini 431. Epistolæ ejus plurimæ græce & latine impressæ sunt Parisiis opera Bilii anno 1585.

298. Sixtus III. de quo jam in Catalogo Pontificum, scripsit insignem Epistolam ad Joannem Antiochenum, cujus fragmentum legitur in libro Vincentii Lirinensis. 2. Aliam etiam Epistolam ad omnes Orientales, reperiendam tom. 1. Conciliorum. 3. Exstant etiam duæ in tertia parte Concilii Ephesini Edit. Romanæ. 4. Adhæc in Bibliotheca PP. tom. 5. secundæ Editionis reperitur sub nomine Sixti III. Pontificis liber de Divitiis, & alter de Castitate, & Epistola de malis Doctoribus. Verum hæc tria opera sunt alicujus Pelagiana hæresi infecti, non Sixti III. scatent enim erroribus Pelagianorum, quos Sixtus, cum adhuc esset Presbyter, acerrime insecutus est, ac primus

mus damnavit Pelagium, unde eſt Epiſt. 105 Auguſtini ad Sixtum: qui etiam deinceps magno Zelo Pelagianos impugnavit, ut teſtis eſt Proſper.

S. Petrus Chryſologus in foro Cornelii (Imolam vocant hodie) claris parentibus ortus, & a S. Cornelio Ravennæ Epiſcopo ſanctis moribus, & Diſciplinis imbutus, ac ſacris Ordinibus initiatus, tandem a Sixto III. Romano Pontifice Ravennatum cœleſti revelatione Epiſcopus creatus, fuit doctrina & ſanctitate celeberrimus. Scripſit 1. Homilias, ſive Sermones 176. in Evangelia de Dominicis, & Feſtis aliquot ſolemnioribus totius anni, breves quidem, ſed præclaras pietate, doctrina uberes, & eloquio facundas. 2. Scripſit etiam inſignem Epiſtolam ad Eutychen Presbyterum adverſus errores ejus, quam integram apud Annatum legere potes: ego unicum tantum, & parvum fragmentum ex ea hic recito. Scribit in ea inter alia: *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria ſede & vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Quam doctrinam ſi moderni Novatores, & hæretici cordi haberent, quam alia & meliora de rebus fidei ſenſa conciperent!

Alias fertur ſcripſiſſe Epiſtolas, quæ non exſtant. Videatur Baronius ad annum 502. Bibliotheca SS. PP. tom. 7. Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

299. S. Leo I. merito Magnus vocatus, de quo jam in Catalogo Pontificum, floruit tempore Theodoſii Junioris, Martiani, & Leonis Impp. Scripſit 1. Homilias eloquentiſſimas de præcipuis Solennitatibus Domini & Sanctorum, quarum aliquæ in divino officio leguntur. 2. Epiſtolas ad diverſos de rebus graviſſimis numero nonaginta octo: Ex quibus illa ad Flavianum, incipiens: *Lectis Dilectionis tuæ literis*, magna reverentia ab omnibus & ſingulis Patribus in Concilio Calcedonenſi Act. 4. fuit recepta: quam ob rem Gelaſius Papa in Decreto de Libris Doctorum dicit anathema his, qui Epiſtolam iſtam S. Leonis non recipiunt integram, & uſque ad unum jota. 3. Adſcribi ſolet S. Leoni Liber de conflictu Virtutum & Vitiorum: ſed ſupra jam in S. Auguſtino N. 291. dictum eſt, non eſſe Leonis, nec S. Auguſtini, cum in eo fiat mentio Regulæ S. Benedicti.

S. Nilus Patria Conſtantinopolitanus, nobilitate & divitiis illuſtris, urbis Conſtantinopolitanæ Præfectus, his omnibus contemptis cum filio Theodulo in monte Sinai Monachus factus, multorum in Oriente Monachorum Pater, & Abbas exſtitit: S. Joannis Chryſoſtomi Diſcipulus, Theodoreti contemporaneus, ſub Theodoſio

juniore ſanctitate, & eruditione claruit, mortuus circa annum 440. Multa ſcripſit de Inſtitutione Monachorum, ut refert Nicephorus L. 14. Hiſt. c. 53.. Nunc exſtant in Bibliotheca SS. PP. tom. 5. Edit. 2. Capita Paraenetica, ſeu hortatoria. 2. Liber Aſceticus. 3. adverſus Vitia. 4. De Oratione centum & quadraginta octo capita. 5. Separatim extſtat Liber S. Nili de Chriſtiana Philoſophia, id eſt, de vita Monaſtica. 6. Allegantur quoque Nili Epiſtolæ in ſeptima Synodo generali in confirmationem cultus SS. Imaginum: ſed, ut ait Bellarminus, in iis loci quidam ab hæreticis depravati eſſe dicuntur.

S. Simeon Stilita dictus, quia ſtetit in columna annis 81. vixit tempore S. Leonis Papæ, & Leonis Imperatoris: ſcripſit librum de morte aſſidue cogitanda, reperiendum in Bibliotheca SS. PP. 2. Edit. Tom. 2. ſcripſit etiam Epiſtolas pro Concilio Calcedonenſi, quæ an exſtent, ignorat Bellarminus: earum tamen meminit Cardinalis Baronius ad annum Domini 458.

Fuit etiam alius Simeon Stilita junior tempore Juſtiniani Imperatoris, cujus una Epiſtola recitatur in Concilio Nicæno II. Act. 5.

300. S. Proſper Aquitanus natione, Hilarii Arelatenſis æqualis, & S. Leonis quondam Notarius: tuentur bene multi, fuiſſe Epiſcopum Rhegienſem in Gallia, alii vero contendunt, eum Epiſcopali dignitate non fulſiſſe, quod ex Veteribus ante Honorium Auguſtodunenſem, primum circa annum Chriſti 1130. florentem, nemo eum alicubi Epiſcopum vocet. Vir fuit ſæcularibus literis multum verſatus, & in Divinis Scripturis admodum eruditus, ingenio ſubtilis, carmine & proſa excellens, vita & converſatione vere ſanctus, doctrinæ S. Auguſtini in Gallia adverſus Pelagianos, & Semipelagianos propugnator egregius: obiit circa annum 461.

Scripta ejus ſunt iſta: 1. Libri tres de Prædictionibus, & promiſſionibus Chriſti, quibus omnia Vaticinia, & promiſſiones de Chriſto & Eccleſia in Sacris Scripturis contentæ plurimum elucidantur. 2. Tres libri de Vita contemplativa, ſive de Virtutibus & Vitiis. Verum opus iſtud Juliano Pomerio ex Mauritania in Africa, Presbytero in Gallia ordinato, & Arelate degenti adſcribunt Gennadius, & Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus c. 12. de Script. Eccleſ. 3. Epiſtola de gratia, & libero arbitrio ad Ruffinum, in qua perverſum illud, & præcipuum Pelagianorum dogma: *Gratiam Dei ſecundum hominis merita dari*, convellit. 4. Reſponſiones ad capitula Gallorum, ad objectiones Vincentinas, id eſt, Vincentii Lirinenſis, qui juxta complures Eruditos ſcripſit objectiones pro Semipelagianis contra S. Auguſtini

ni doctrinam de Prædestinatione, & libero arbitrio, quas capitulis 16. summatim comprehensas exhibet S. Prosper, & refellit: item ad excepta Genuensium. 5. Liber de gratia Dei contra Collatorem, nempe Cassianum Collationum authorem, quo ejus ex tertia decima excerptos errores refellit.

6. Ex sententiis S. Augustini liber unus Epigrammatum, inter quæ, teste Bellarmino, est carmen contra ingratos. 7. Commentarii in Psalmos a centesimo usque ad centesimum quinquagesimum. 8. Ad S. Augustinum Epistola una, qua e Gallia ipsum monet de Pelagianorum reliquiis, sive de Massiliensium erroribus, & ejus contra illos implorat auxilium: ad quem etiam scripsit de eodem argumento & causa Hilarius Arelatensis: quibus satisfacturus S. Augustinus composuit duos libros, alterum de Prædestinatione Sanctorum, alterum de bono Perseverantiæ

9. Chronicon Eusebii, & S. Hieronymi continuavit, & perduxit usque ad annum 455. paulo post obiisse eum multi censent. 10. Libri duo de vocatione gentium, perperam S. Ambrosio adscripti teste Cartier: nec tribui possunt S. Ambrosio, eoquod ex cap. 22. constet, eos scriptos esse post damnatam Pelagii hæresin, quam S. Ambrosius non attigit: & deinde antiqui manuscripti Codices hos libros S. Prospero vindicant. 11. Epistola ad Demetriadem, scripta post damnatam Pelagii hæresin, & contra priorem Epistolam Pelagii ad eandem Virginem. 12. Sub hujus nomine etiam circumfertur Poëma de Providentia Dei: sed illud, ut patet, non est S. Prosperi, verum alicujus Pelagiani gratiam Christi non recte explicantis. 13. Gennadius L. de Viris Illustr. vult, illam Epistolam celebrem S. Leonis ad Flavianum contra Eutychen esse a S Prospero scriptam. At illa Epistola, si una, certe est S. Leonis, seu stylum, seu doctrinam S. Leonis consideremus.

301. S. Hilarius Arelatensis, natione Gallus, Illustribus parentibus progenitus, & Professione in Cænobio Lirinensis Insulæ sub S. Honorato Monachus, & post hunc Arelatensis Episcopus, SS. Leonis Magni, & Augustini coævus, vir juxta S. Eucherium clarus eloquio, & ingenio, annis Juvenem, moribus senem præseferens, obiit meritis plenus anno Christi 449. Ita Cartier. Sed Bellarminus vult anno 458.

Scripsit 1. Carmine heroico historico Historiam Geneseos usque ad septimum caput. 2. Vitam S. Honorati Lirinensis Insulæ primi Cultoris, Arelatensisque post Patroclum Episcopi, Prædecessoris sui, & aliqua alia brevia opuscula, teste Gennadio L. de Viris Illustr.

Illuftr. In Epifcopatu a S. Leone reprehenditur ut fuperbus in Epiftola ad Epifcopos per Viennenfem Provinciam conftitutos: poftea tamen refipuit, & multis virtutibus clarus fancto fine quievit.

Arnobius Junior, non ille, qui fub Diocletiano florens fcripfit contra gentes, fed alius junior, mortuus anno 445. Scripfit 1. Librum infcriptum: Conflictus Catholici cum Serapione de Deo uno & trino. 2. De duabus in Chrifto fubftantiis in unitate Perfonæ. 3. De gratia, & liberi arbitrii concordia: qui libri funt editi Coloniæ 1596. 4. Neque eft improbabile, Judice Bellarmino, hujus Arnobii Junioris effe Commentarios in Pfalmos, qui fub Arnobii nomine circumferuntur.

Salvianus Presbyter, ac poftea Epifcopus Maffilienfis, mortuus anno 460. fertur opera non pauca fcripfiffe: ex quibus folum exftant libri octo de Providentia, & Judicio Dei, & Libri quatuor de Ecclefia fub nomine Timothei.

Salonius S. Eucherii Lugdunenfis filius; Eucherius enim hic ex legitimo matrimonio ante Sacerdotium duos filios genuit, Veranium, & Salonium, qui ipfi quoque fuere Epifcopi creati, quorum unus Salonius Salviani Difcipulus fcripfit in Proverbia, & Ecclefiaften Dialogum.

Fauftus ex Monacho Lirinenfi Epifcopus Rhegienfis in Gallia, mortuus anno 480. fcripfit aliqua, quæ non exftant, contra Arianos, & Macedonianos. 2. Duos libros de gratia, & libero arbitrio, qui fuperfunt, & quos Gennadius L. de Viris Illuftr. nimium & perperam laudat; etenim eos Gelafius Decreto de libris apocryphis penitus rejicit, ut etiam alii multi refellunt. Audiatur Ado Viennenfis in Chronico ad annum 492. fic locutus: *Fauftus ex Abbate Monafterii Lirinenfis apud Rhegium Galliæ Epifcopus factus, Pelagianorum dogma deftruere conatus, in errorem labitur: unde, qui ejus fenfus in hac parte catholicos prædicant, ficut Gennadius de Viris Illuftribus fcribens, omnino errant.* Plura aliorum adverfus hunc Fauftum teftimonia legere poteris apud Bellarminum de Script. Ecclef. pag. mihi 129.

Æneas Gazæus vir doctiffimus mortuus 490. fcripfit infignem Dialogum, Theophraftum infcriptum, de animæ immortalitate, & Corporum refurrectione.

Cerealis Africanus fcripfit contra Maximium Epifcopum Arianum librum de fide, cujus meminit Gennadius Maffilienfis; exftat autem in Bibliotheca SS. PP. tom. 4. Edit. 2.

Gennadius

Gennadius Massiliensis Presbyter, & postmodum Episcopus vixit circa annum Domini 490. Scripsit 1. Librum de Ecclesiasticis Dogmatibus, inveniendum inter libros S. Augustini: atque hic creditur esse liber, quem ipse misit ad Gelasium. 2. Scripsit variâ, & multa alia, quæ ipse commemorat in extremo libro de Viris Illustribus. 3. Scripsit singulariter librum de Viris Illustribus, in quo tamen, licet cæterum egregio libro, suspicionem movet suæ non rectæ fidei; laudibus enim effert Cassianum, & Faustum, qui Semipelagiani erant, & S. Prosperum deprimit, qui pro gratia Dei contra Pelagium, & ejus Sectarios invictissime pugnavit. 302.

Julianus Pomerius Presbyter vivens circa annum 490. scripsit per modum Dialogi libros octo de Natura animæ, qui videntur excerpti ex libris octo Gregorii Nisseni de Philosophia, seu potius Nemesii Philosophi de anima. 2. Scripsit Prognosticon, tribus libris comprehensum, diversum ab eo, quod multo tempore postea scripserat S. Julianus Episcopus Toletanus.

S. Gelasius I. Papa (de quo in Catalogo Pontificum jam actum est) scripsit aliquot insignes Epistolas ad Imperatorem, & alios, quæ exstant. 2. Scripsit Tomum de Vinculo anathematis, reperitur inter Epistolas Decretales ejus. 3. Item librum contra Pelagianos, inveniendum inter Epistolas ejus Decretales quintam & sextam in Edit. Romana. 4. Hymnos Ecclesiasticos ad imitationem S. Ambrosii. 5. Libros quinque contra Nestorium, & Eutychen, teste Anastasio Bibliothecario in Vita S. Gelasii. De hoc opere dubitant Eruditi, an exstet, vel perierit. Varia eorum sensa late exponit Bellarminus in Gelasio, ubi vide pag. mihi 131.

Gelasius Cyzicenus mortuus anno 496. scripsit Historiam de actis Nicænæ Synodi, tribus libris contentam, quæ impressa est in 1. tomo Conciliorum generalium, græce & latine Romæ editorum. 2. Scripsisse etiam creditur librum de duabus Naturis Christi contra Eutychen, qui liber antea portavit nomen Gelasii Papæ: pro hoc asserto Bellarminus quinque conjecturas non contemnendas affert pag. 132.

Gilda, dictus Sapiens, mortuus anno 495. scripsit 1. de Excidio Britanniæ. 2. Reprehensionem acrem in Clerum Britanniæ, exstant in Bibliotheca Patrum tom. 5. Edit. 2.

Vigilius scripsit libros 5. valde eruditos contra Nestorium & Eutychen pro defensione Epistolæ S. Leonis, & Concilii Calcedonensis: quis autem fuerit iste Vigilius, non satis constat.

Paſchaſius Diaconus Cardinalis S. R. E. florens ſub Gelaſio, Anaſtaſio, & Symmacho Pontificibus Romanis vir magnæ ſanctitatis & doctrinæ: ſcripſit duos libros de Spiritu S. rectiſſimos, & luculentos; ita enim eos appellat S. Gregorius L. 4. Dialog. c. 40. Hi libri exſtant in Bibliotheca SS. PP. tom. 9. Edit. 2.

S. Cæſarius Arelatenſis, laude doctrinæ & ſanctitatis clarus, vixit tempore Symmachi Papæ, mortuus anno 499. Homiliæ ab ipſo ſcriptæ numero 46. reperiuntur in Bibliotheca SS. PP. tom. 2. Edit. 2.

Sæculum VI.

§. I.

Pontifices Romani hujus Sæculi.

303. I. alias 54. S. Hormisda Campanus, Patre Juſto Fruſcone natus, creatus anno 514. 26. Julii, ſedit annis 9. diebus 11. mortuus eſt anno 523. 6. Auguſti. Vide Notam (A)

II. alias 55. S. Joannes I. Tuſcus, Conſtantii filius, creatus anno 523. 12. Auguſti, ſedit annos duos, menſes 9. & dies 14. mortuus anno 526. die 27. Maji.

III. alias 56. S. Felix IV. Caſtorii filius, Beneventanus, Pontifex a Theodorico Rege deſignatus anno 526. cum in eum Clerus vitandi Schiſmatis cauſa conſenſiſſet, 24. Julii inauguratus eſt: ſedit annis 4. menſibus 2. diebus 18. obiit anno 530. die 12. Octobris.

IV. alias 57. Bonifacius II. Sigibuldi Filius, Romanus, creatus, anno 530. 16. Octobris. Vide Notam (B)

Schiſma VI.

Inter Bonifacium II. Papam, & Dioſcorum Diaconum Pſeudo Papam.

Eodem tempore, quo in Baſilica Julii electus eſt Bonifacius II. in æde Conſtantiniana pars Cleri Felici ſuffecit Dioſcorum, quo paucis diebus extincto, & ipſum Schiſma extinctum eſt. Bonifacius mortuum tanquam Simoniæ reum anathematizavit.

V. alias 58. Joannes II. cui Mercurio cognomen, Projecti filius, Romanus, creatus anno 531. ultimo Decembris: ſedit annis tribus, menſibus 5. diebus 25. obiit anno 535. 26. Junii. Vide Notam (C)

VI. alias

VI. alias 59. S. Agapetus, Gordiani Presbyteri filius, Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ, creatus anno 535. 2. Julii, anno sequente 536. obiit Constantinopoli, quo autem mense vel die, quia non conveniunt authores, affirmari nil certi potest.

VII. alias 60. S. Silverius, Campanus, S. Hormisdæ ex legitimo thoro filius, creatus anno 536. 20. Julii, sedit annis tribus, mensibus 11. Obiit Martyr in Insula Pontia anno 540. 2. Junii.

Schisma VII.

Inter Silverium Papam, & Vigilium Antipapam.

Cum Silverius Anthimum Episcopum Constantinopolitanum, ab Agapeto depositum, restituere nollet, a Belisario jussu Theodoræ Imperatricis, Justini uxoris, fuit in exilium missus: Interim Vigilius Agapeti Diaconus, qui Constantinopoli adhuc morabatur, motus cupiditate Pontificatus, qua jam usque a Bonifacio II. flagrabat, promittit Theodoræ Augustæ, Eutychianæ hæresi addictæ, se abrogaturum Concilium Calcedonense, & Anthimum Severum, aliosque Acephalos restituturum communioni Ecclesiæ, si opera ejus constitueretur Pontifex Romanus. Igitur in locum Silverii opera Theodoræ, & Belisarii non solum mandatis Imperatoris, sed & pecunia a Vigilio promissa corrupti intrusus est, & Schisma fecit usque ad mortem Silverii duobus annis. 304.

VIII. alias 61. Vigilius, Joannis filius, Romanus, creatus anno 540. 26. Junii a Clero Romano, partim potentia Belisarii, partim studio pacis ducto. Verum hic ut legitimus Pontifex statim mutavit animum, Anthimum restituere recusavit, imo illum cum Theodora excommunicavit: propterea, & ob negatum consensum in damnationem *trium Capitulorum* multa passus, & a Justiniano in exilium missus, postea tamen, ubi in eam consensit, Romam dimissus, ubi in Siciliam venit, mortuus est anno Christi juxta Sandini 555. vel juxta alios 556. postquam sedecim annis pro legitimo Pontifice habitus fuit.

IX. alias 62. Pelagius I. Joannis Vicariani filius, Agapeti, Silverii, & etiam Vigilii Constantinopoli apud Cæsarem Apocrisiarius, creatus juxta Sandini anno 555. 11. Aprilis assentiente Justiniano, (E) mortuus est juxta eundum 2. Martii anno 560. postquam Pontificatum tenuit annos 4. menses 10. & dies duodeviginti. Scio, alios circa computum annorum, maxime hoc sæculo, aliter sentire: verum non existimo, multum ideo esse disceptandum, cum hæc diversitas parum ad substantiam rei faciat.

X. alias 63. Joannes III. alio nomine Catelinus vocatus, Anaſtaſii filius, Romanus, creatus anno 560. 18. Julii: ſedit annos 12. menſes 11. dies 26. mortuus anno 573. 13. Julii.

XI. alias 64. Benedictus I. Bonifacii filius, Romanus, ab Evagrio L. 5. c. 16. Bonoſus appellatus, juxta Sandini creatus eſt anno 574. 3. Junii. Interregni tam diuturni cauſa fuere Longobardi totam Italiam perturbantes: ſedit annos quatuor, menſem unum, & dies duodeviginti: mortuus anno 578. 29. Julii.

XII. alias 65. Pelagius II. Vinigildi filius, Romanus, creatus anno 578. 30. Novembris: ordinatur absque juſſione Principis, Longobardis Romam obſidentibus. Sedit annos 11. menſes 2. & dies 10. mortuus anno 590. 8. Februarii.

XIII. alias 66. S. Gregorius I. Patris Gordiani Senatorii generis filius, ob maxima ſua geſta vere Magnus appellatus, Ordinis S. Benedicti, vel, ut aliis arridet, S. Equitii antea Monachus, laudibus nunquam ſatis celebrandus, tum ob facta egregia, tum etiam ob eruditionis & ſanctitatis gloriam, creatus eſt invitiſſimus anno 490. die 3. Septembris. Quatuor habuit Romæ Synodos: ſedit annis 13. menſibus 6. & diebus 10. mortuus anno 604. 12. Martii.

§. II.

Notæ quædam criticæ in dicta, ubi etiam de hæreſi una tantum, & altera, & uno Concilio œcumenico hujus Sæculi.

305. (A) S. Hormisdæ, & Juſtini Imperatoris opera ſublatum eſt Acacianum Schiſma, quod propter retentum in Sacris Diptychis nomen Acacii, a Felice III. damnati, annos ferme quinque & triginta Romanam Eccleſiam ſeparaverat ab Orientali.

Verum non nihil turbavit nova Controverſia de hac propoſitione: *unus e Trinitate carne paſſus eſt*, quæ a paucis Monachis in angulo Scythiæ Europææ apud Tomos excitata, & non ſolum Conſtantinopoli, ſed etiam Romæ magno animorum ardore fuit diſputata: de qua juxta varios ſenſus expoſita Catholici per quinque luſtra acerrimas ſecum invicem contentiones exercuerunt. Monachos hoſce Hormisda Epiſt. 70. redarguit tanquam *contemptores authoritatum veterum, novarum cupidos quæſtionum, & eo uſque tumoris elatos, ut ad arbitrium ſuum utriuſque Orbis putarent inclinandum eſſe judicium;* propugnatamque propoſitionem: *unus de Trinitate crucifixus eſt carne*, reprobavit tanquam novam, & ambiguam, quæ ab hæreticis trahi poſſet in malam partem. De hac altercatione plura ſcribit Petavius Theologic. Dogmat. tom. 4.

L. 1.

L. 1. c. 18. Mihi adducere ſat eſt ea, quæ Sandini recitat ex Mopinot in Opuſculo de nova editione Epiſtolarum Summ. Pont. a P. Couſtant adornata apud Blanchinum in notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium tom 3. pag. 229. *Neque prætermiſit ſedulus editor* (Hormisdæ) *literas de Monachorum Scytharum contentione ſcriptas vindicare: cui defenſioni non plures modo notas, ſed bifariam, eamque late fuſam diſſertationem impendit. Priori parte explanat intricatiora quædam Hiſtoriæ capita, probatque, nihil a ſanctiſſimo Papa aſſertum, quod a Catholica Fide abhorreat: nihil repudiatum, aut certe ſilentio prætermiſſum, quod non Eccleſiaſticæ pacis amor, & Chriſtianæ prudentiæ ratio repudiari, aut certe ſilentio premi juberet.* De hac re neceſſario redibit ſermo Nota C. ubi vide.

(B) Bonifacius II. ut occurreret Gothorum Regum licentiæ, uſurpatæ in deſignandis Pontificibus, habita Romæ Synodo delegit Vigilium Diaconum futurum ſuum Succeſſorem, conſentiente, & conſenſum ſuum jurejurando confirmante Clero: quod factum, utique contrarium SS. Legibus, ita poſtmodum Bonifacio, & Clero diſplicuit, ut ipſe Pontifex alia coacta Synodo decretum prius aboleret, & igni traderet. Circa iſtam rem Sandini in prima annotatione recte loquitur: *Vides, ne Pontifici quidem, nedum Epiſcopis licere deſignare ſucceſſorem ſuum. Sunt tamen, ut legere eſt apud Vincentium Cardinalem Petram tom. 4. Comment. ad Conſtitut. Apoſtol. pag.* 119. *num.* 10. *qui putent, id facere poſſe Pontificem, ſi* Eccleſiæ neceſſitas, vel evidens utilitas *poſtulet. Cum autem hæc eligendi ratio periculo non careat, plerique concludunt, eam ne a Romanis quidem Pontificibus eſſe uſurpandam.*

Inſuper hic Bonifacius II. rem egregiam præſtitit, dum approbato Concilio Arauſicano II. finem impoſuit tricis Semipelagianorum, quæ Galliam divexabant annis fere centum, & *ad aſſequendam perfectiorem divinæ gratiæ intelligentiam* præ cæteris D. Auguſtinum Epiſcopum *tanquam magiſtrum optimum propoſuit, laudavitque.*

(C) Joannes II. propoſitionem illam, de qua Nota A. eſt actum: *unus de Trinitate crucifixus eſt carne*, a Monachis Scythis acriter defenſam, & a S. Hormisda rejectam tanquam novam & ambiguam, ratam ſua authoritate habuit veluti conſentientem (ſi nempe recte & ſane intelligatur) rectæ fidei: & Monachos Acœmetas, qui eam damnabant quaſi hæreticam, *ab omni Eccleſia Catholica juſſit eſſe alienos, niſi errore damnato doctrinam ſuam quantocyus ſequi ſignificaſſent. Acœmetæ*, græce Ἀκοιμηταί, latine *Inſomnes* ideo dicti ſunt, quia ex inſtituto ſuo, ut refert Nicephorus l. 15. c. 23. in tres partes diviſi Dei laudibus in Eccleſia alternis vicibus dicendis diu noctuque ſine intermiſſione vacabant.

306.

307.

Ex hoc facto aliqui arbitrantur, Joannem approbasse sententiam ab Hormisda damnatam, atque adeo Pontificem in decidendis rebus fidei falli posse. Verum hos refellit Baronius ad annum 533. §. 26. scribens: *Nunquam eam sententiam ab ipso Hormisda fuisse rejectam tanquam hæreticam, sed proscriptam ut novam, atque suspectam, ne sub ea Eutychianorum fallaciæ occultarentur.*

Huc quoque facit illud Cardinalis Norisii in Vindiciis Augustinianis c. 3. §. 2. pag. 924. ibi: *Sciendum est, aliquas propositiones æquivocas modo ab Ecclesia rejici, modo approbari. Hoc ostendimus* lib. 2. Hist. Pelagianæ c. 20. *de illa propositione:* Unus e Trinitate passus est, *quam Hormisda rejecit; at Joannes II. Vigilius, ac Synodus V. uti Catholicam definiverunt. Etenim in sensu Eutychianorum damnata fuit, quasi Verbum in natura divina passum diceretur, & licet alii adderent passum* carne, *attamen cum ob affinitatem cum hæresi Eutychetis suspecta esset, jure S. Hormisda eandem approbare recusavit.* Videatur Sandini in vita Joannis II. præsertim Annotatione 3. ubi plura etiam ex S. Hilario adducit. Sic etiam ante Synodum V. hæc vox *Christipara* de B. Virgine fuit vere Catholica habita: oriente autem hæresi Nestoriana, cum posset in hæreticum sensum accipi, ac si Christus, filius B. Virginis, Deus non esset, in ea Synodo can. 6. proscripta est, & vox *Deipara* ei substituta.

308. (D) S. Agapetus rescidit etiam acta Concilii, in quo Bonifacius constituerat Vigilium successorem suum, jam antea a Bonifacio revocata. Licet a Theodato Gothorum Rege coactus iter suscipere Constantinopolim, non impetrarit apud Justinianum, quæ nomine Regis petierat, tamen in utilitatem Ecclesiæ curam suam convertit, & Anthimum Episcopum Trapezuntinum, latenter Concilium Calcedonense non suscipientem, ac proinde occultum Eutychianum hæreticum, qui mortuo Epiphanio Constantinopolitanam Sedem, adjuvante Theodora & ipsa Eutychiana, uxore Justiniani Imperatoris, occupavit, a Sacerdotio, & Fidelium communione removit: Mennam vero virum *fidei integritate* (ut scribit Liberatus c. 21. & 22.) *& sacrarum Scripturarum studio clarum pro eo ordinavit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica S. Mariæ.* Hoc factum plane fuit insolitum; nam ipse Agapitus apud Baronium ad annum 536. & apud Labbeum tom. 5. Concil. pag. 47. ait: *A temporibus Petri Apostoli nullum alium unquam orientalem Ecclesiam suscepisse Episcopum, manibus Apostolicæ Sedis ordinatum.*

309. (E.) Pelagius I. quintum Concilium œcumenicum confirmavit, & curas suas omnes convertit in sedando tumultu, quem propter *tria capitula* in illo Concilio damnata Episcopi Occidentis excitarunt, ut

ut non Africanos modo, & Illyricos Epiſcopos, ſed Italos quoque, exceptis paucis, ad damnationem eorundem Capitulorum impulerit. Venit quidem inde in ſuſpicionem hæreſeos Gallis: ſed purgavit ſe, miſſa ad Childebertum Regem Catholicæ Fidei profeſſione, damnatis iis, qui deſciſcerent a doctrina Epiſtolæ S. Leonis, & Concilii Calcedonenſis.

310. Inter hæreſes 1.mo venit illa *Acephalorum*, exortorum circa finem ſæculi quinti. Hi ex nomine ſuo dicti, Viri ſine capite, in Eccleſia Alexandrina ſchisma ſuſcitarunt, recedentes a communione Petri Maygi Patriarchæ Alexandrini, qui Concilium Calcedonenſe receperat: quod ægre ferentes plures Alexandrini, Concilii Calcedonenſis hoſtes infenſiſſimi, ab eodem Petro Maygo ſe ſegregarunt, inde dicti Acephali, quia nullum caput, vel Patriarcham haberent: fuerunt autem Sectæ Eutychianæ portio. Ex hac Acephalorum ſecta aliæ prodierunt, ſcilicet Jacobitæ, & Theopaſchitæ. Plures SS. Doctores, & inter hos S. Leo Acephalorum hæreſin impugnabant, cujus author communiter cenſetur Severus, Antiochenæ Sedis invaſor. Errores hujus Sectæ præcipui ſunt ſequentes: 1. Apud Acephalos ab Epiſcopis & Sacerdotibus nullum eſt amplius ſacrificium peractum: ſed Sacramenta ex antiquis temporibus aſſervabant, ex quibus exiguas particulas abraſas Paſchatis tempore diſpenſabant ad Communionem. 2. Duas naturas in Chriſto cum Eutychianis negabant. Hæreſis hujus mentio jam debuiſſet fieri ſæculo præterito; cum tamen ibi fuerit omiſſa ex aliqua incuria, ad initium hujus ſæculi, quo adhuc viguit, fuit relata.

2. *Monothelitæ*, qui authore Cyro Patriarcha Alexandrino, quem ſecutus eſt Sergius Conſtantinopolitanus, unam tantum in Chriſto voluntatem & operationem aſſerebant. De hac hæreſi jam multa dixi a N. 180. damnati ſunt in VI. Synodo.

311. Hoc ſæculo etiam celebratum eſt Concilium œcumenicum V. ſeu Conſtantinopolitanum II. convocatum a Juſtiniano Seniore, annuente Summo Pontifice Vigilio. Cauſæ convocandi erant 1. ut damnarentur Origenis errores: 2. pro lite *de tribus capitulis* finienda, quæ jam ferme centum annis Eccleſiam turbaverat. De hac ſequentia ſunt notanda:

Tria Capitula, de quibus frequens in Hiſtoria Eccleſiaſtica fit mentio, & præcipua hoc in Concilio œcumenico fuit controverſia, erant hæc: primum erat de Theodori Mopsveſteni libris: alterum de Theodoreti anathematismis, oppoſitis doctrinæ & Anathematismis S. Cyrilli in Concilio Epheſino approbatis: tertium de Ibæ Edeſſeni

ad

ad Marim Perſam Epiſtola. Iſta tria probabantur a multis: e contrario ut impia & Neſtorio faventia reprobabantur ab aliis: Theodorus enim Mopsveſtenus contra Eunomium & Apollinarem aſſertores unius naturæ in Chriſto ante Epheſinam Synodum ita ſcripſerat, ut unam tantum Perſonam, Deumque carne indutum, & Mariam Dei Matrem fuiſſe negaret. Theodoretus vero Cyrenſis Epiſcopus duodecim Anathematismos alios, tot Anathematismis S. Cyrilli objecerat. Ibas denique Edeſſenus Epiſcopus in ſua ad Marim Perſam Epiſtola redarguit Rabulam Prædeceſſorem ſuum, quod immerito anathema dixiſſet Theodoro Mopsveſteno, quem de Eccleſia bene meritum, doctoremque egregium fuiſſe ſcribebat. Hæc Epiſtola multis erat offendiculo, trahebatque rudiores in partes Theodori Mopsveſteni, cujus dogmata complectebatur.

Ob hæc tria Capitula non damnata in Concilio Calcedonenſi, licet multum conſona Neſtorii doctrinæ, cœpit Neſtoriana reviviſcere hæreſis: acceſſit, quod duo adhuc vivi Authores illorum Ibas, & Theodoretus ab eodem Concilio ſint in communionem recepti, & ſuis Sedibus, a quibus in Latrocinio Epheſino per Dioſcorum pulſi fuerant, reſtituti. Ex quibus Neſtoriani male inferebant, Neſtorium in Synodo Epheſina eſſe injuſte damnatum: quod tamen minime ſequebatur; ſiquidem Concilium Calcedonenſe non prius hos admiſit, quam anathema dicerent Neſtorio, & doctrinæ ejus, ſicque implicite revocarent ſua in favorem Neſtorii ſcripta. Hoc præſtito, ipſi reſipiſcentes ſunt agniti, & ut orthodoxi recepti, ſcripta vero eorum nec amplius examinata, nec probata, neque explicite ſunt reprobata.

Interea Eutychiani inſtabant, ut damnarentur tria Capitula; ſperabant enim inde futurum, ut Concilii Calcedonenſis, quo ipſi fuerunt damnati, authoritas minueretur. Inter Neſtorianos & Eutychianos medii, & dubii Orthodoxi, quid facerent, hærebant, neſcii, quo ſe verterent; ſi enim probarent, timebant, ne Neſtorianis: ſi reprobarent, ne Eutychianis faverent, & Concilio Calcedonenſi contrairent. His tricis, centum fere annis vexantibus Eccleſiam, eamque non parum ſcandalizantibus, ut finem faceret Juſtinianus Imperator, edicto ſuo hæc tria Capitula rejecit. Sed transgreſſo hoc pacto imperii & poteſtatis ſuæ limites, obſtitit Vigilius tunc jam legitimus Pontifex, quem propterea ira ſuccenſus Cæſar variis laboribus, & contumeliis vexavit. Tandem conſtantia Vigilii devictus Imperator edictum ſuſtulit, quo ſublato de Pontificis, & Imperatoris conſenſu integra deciſio cauſæ ſuſpenſa eſt, & ad univerſale Concilium remiſſa.

Unde

Unde coactum eſt Concilium Oecumenicum V. ſeu Conſtantinopolitanum II. Vigilio ſaltem conſentiente; cui tamen Concilio ipſe Vigilius intereſſe noluit, tum, ut a Majorum ſuorum conſuetudine non recederet, tum, quia pauci nimis erant præſentes Occidentales Epiſcopi, & Orientales longe plures, contra pactum antea conventum cum Cæſare, ut tot ex Occidente, quot ex Oriente apparent, adeſſent ad dirimendam iſtam controverſiam. Præſedit tamen, annuente Vigilio, non Mennas (ut falſo ſcribit Calvinus) utpote jam mortuus, ſed ejus ſucceſſor Eutychius, ad quem ita ſcripſit Vigilius, Conſtantinopoli tunc degens: *Veſtrum deſiderium cognoſcentes, annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, facto regulari conventu, ſervata æquitate, mediis Sacroſanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conveniens iis, quæ a SS. quatuor ſunt definita Conciliis.*

Illud hic etiam obſervandum eſt, quod inimicis Sedis Apoſtolicæ, & negantibus infallibilitatem Summi Pontificis, anſam obloquendi tribuit, Vigilium 7. annis Conſtantinopoli agentem, jam ante Concilium Conſtantinopolitanum edidiſſe aliquod *Judicatum*, ſic ab ipſo nominatum, quo tria illa Capitula damnaverat: cum vero exinde Schisma in Africa fuerit ortum, illud revocaſſe, & dediſſe aliud ſcriptum, dictum *Conſtitutum*, quo quidem nihil ait poſſe agi contra Perſonam Theodori Mopsveſteni, neque Theodoreti, aut Ibæ: *Verumtamen ſalvo ipſius Perſonæ debito honore*, inquit, *qui ejus* (Theodori) *aut cujuſcunque alterius nomen præferunt, & aliqua Neſtorii, aut cujuscunque alterius hæretici erroribus conſentanea continent, damnamus.* Tum Papa quinque Anathematismos pronunciat contra errores, qui in libro Theodoreti hæreſin olere dicebantur: ubi licet faveat Perſonis, earum tamen erroneam doctrinam non probat in illis Capitulis aſſertam: revocat tamen Judicatum ſuum ſub his limitationibus. Ita ex Fleurio tom. 7. Edit. Lat. Auguſtanæ, a pag. mihi 724. & ſeqq. ubi etiam exemplum adducit Patrum Concilii Epheſini, ita loquens: *Patres Concilii Epheſini Symbolum Theodoro (Mopsveſteno) attributum damnantes, pro ſua diſcretione de ipſius Perſona mentionem non feciſſe: quod ut certo ſciremus, Concilii acta inſpeximus.*

In hoc Concilio itaque 1. damnata ſunt tria Capitula. 2. Origenes, cujus hæreſis tunc temporis iterum invaleſcere cœperat, eſt anathematizatus. Obſervandi itaque ſunt ſequentes hujus Synodi canones: Canon XI. *Anathematizat* (Concilium) *eum, qui non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, Eutychen, & Origenem cum impiis eorum ſcriptis, hæreticosque alios a ſancta Dei Eccleſia,*

vel a præcedentibus quatuor Conciliis anathematizatos. Canon XII. *Anathematizat eum, qui impium Theodorum Mopsvestenum defendit.* Canon XIII. *Anathematizat eum, qui impia Theodoreti scripta propugnat, ea videlicet, quæ contra Ephesinam primam Synodum, S. Cyrillum, & contra 12. Cyrilli Capitula, quæve pro Theodoro & Nestorio conscripsit.* Canon XIV. *Anathematizat eum, qui epistolam, quæ ab Iba ad Marim Persam dicitur scripta, defendit.*

312. Ista Synodus est recepta ut œcumenica, quia convocata consentiente Summo Pontifice Vigilio; & quamvis in ejus celebratione aliqua intervenerint, in Conciliis alias non usitata, tamen omnes nævos, si qui forte irrepsissent, sanavit approbatio SS. Pontificum, & Ecclesiæ acceptatio. Primo Vigilius consensit tandem huic Concilio per literas, ut notant Binius, Evagrius, & alii: Illud etiam confirmarunt Successores Vigilii Pelagius I. Joannes III. Benedictus I. Pelagius II. & Gregorius Magnus, uti videre est apud Petrum de Marca in Differt. de Vigilii Decreto pro Confirmatione V. Synodi. Item Leo II. ut testatur Annatus. S. Gregorius Magnus Pelagii II. Successor L. 1. Epist. 24. quæ est ad Joan. Constant. sic ait: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur, & in quo scripta quoque Theodoreti, per quæ Beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata reperiuntur; cuncta vero, quæ præfata Concilia prorsus respuunt, respuo, quæ venerantur, complector.* Omnia insuper Concilia Oecumenica, post hanc quintam Synodum celebrata, eandem ut œcumenicam agnoverunt, & approbarunt: & ab universa Ecclesia ut œcumenica est recepta, & habetur.

313. Objic. 1. Ecclesia Hispana non recepit olim multis annis quintam istam Synodum, ut constat, præsertim ex Concilio 14. Toletano, in quo ista Synodus omittitur: ergo nequit dici œcumenica. ℞. Tr. a. N. c. Si aliquo tempore non recepere, id est ex errore factum, quia credebant hoc esse oppositum Concilio Calcedonensi: dein etiamsi aliquod Regnum vel Provincia nolit recipere aliquod Concilium, illud tamen œcumenicum est, si a tota Ecclesia reliqua recipiatur: sed: ergo.

Objic. 2. Ex hoc Concilio redarguitur infallibilitas S. Pontificis, qui in Concilio reprobabat tria Capitula, ante a se probata: ergo vel ante, vel in Concilio erravit, & sic fallibilis fuit. ℞. N. a. Nam in iis, & quando variavit Vigilius, non fuit de rebus Fidei quæstio, sed tantum de Personis, & quidem jam mortuis, damnandis, nec ne: ita testatur S. Gregorius L. 2. Epist. 51. alias 36. Jam vero de Perso-

nis

nis pro circumſtantiarum variatione, variæ potuerunt eſſe S. Pontificis ſententiæ. Petrus de Marca apud Sandini in Vita Vigilii Papæ Annotat. 12. ita eleganter diſcurrit: *qui rerum Eccleſiaſticarum ſunt periti, non ignorant, duobus modis olim verſari ſolitos fuiſſe Summos Pontifices in quæſtionibus propoſitis, quæ Diſciplinam reſpiciebant, vel ſummo jure, vel remiſſo. Huic temperamento, & remiſſioni locus erat, quando ob bonum unitatis pro reſarcienda Eccleſiæ pace neceſſarium videbatur, ea clementia uti. Eam clementiam Græci οἰκονομίαν vocant, Latini eorum exemplo dicunt Diſpenſationem, ut alibi oſtendi adductis veterum Patrum & Conciliorum teſtimoniis.* Et pergit laudatiſſimus, & Eruditiſſimus vir: *utroque agendi modo uſus eſt in hac controverſia Vigilius, nunc juris & canonum rigore, nunc eorum remiſſione, fidei & pacis Eccleſiæ ſe ſtudioſiſſimum præbens. Obſervatum quidem eſt ab Eruditis, Vigilii, quæ videbatur, inconſtantiam prudentiæ & maturo conſilio eſſe tribuendam: ſed non docuerunt, eum agendi modum a canonica Diſciplina pependiſſe.*

In Africa, cum Vigilius Judicatum vulgaret, quo tria Capitula damnabantur, erat Schisma ortum: Ne ergo Orientalis & Occidentalis Eccleſia ſcinderetur, aliquid indulſit Occidentalibus, & Conſtituto ſuo nihil ſtatuit in tres Authores Capitulorum, licet omnes doctrinas eorum, & aliorum male ſanas rejecerit, ut ex modicis fragmentis ex Fleurio recitatis eſt in liquido. Ex quibus etiam patet, litem fuiſſe unicam ante Concilium Conſtantinopolitanum de Perſonis & Authoribus, in qualibus quæſtionibus SS. Pontifices ſæpius variant circa ſuas ſententias exigentibus circumſtantiis, in quibus etiam non ſunt immunes a periculo errandi, ut alibi dictum eſt. Unde Vigilius nec ſuo Conſtituto contrarius eſt Concilio Conſtantinopolitano, qui nihil voluit approbare ſuo Conſtituto ex doctrina eorum, quod non ſanum, quod fidei eſſet contrarium: quod contra Perſonas jam mortuas ſtrictius proceſſerit, id tempus, & alia tunc occurrentia petebant.

Neque hoc Concilium contravenit Calcedonenſi, in quo tria Capitula nec approbata, nec reprobata fuerunt, ſed ea ſaltem implicite rejicientes, & reſipiſcentes in unionem a Patribus Concilii ſunt recepti, & in ſuas Sedes repoſiti, ex quibus injuſte depulſi erant. Nec obſtat, quod in Concilio Calcedonenſi unus vel alter Epiſcopus pro Iba Epiſcopo & ejus Epiſtola defendenda locutus fuerit. Nam egregie id dilucidavit Theodorus Cappadox collat. 6. Concilii Conſtant. ubi præter alia præmiſſa, ita perrexit loqui: *Eſt igitur, cur miremur, quod aliqui Epiſtolam Ibæ nomine Concilii Calcedonenſis tueri velint, nullo alio fundamento nixi, quam verbis unius duorumve Epiſcoporum, quibus*

hæc Epiſtola probari videbatur. Certa enim eſt, & conſtans regula, in Conciliis non ad ea eſſe attendenda, quæ unus alterve dixerit, ſed quæ omnes Patres, vel eorum major pars deciderint. Imo ſi res attente conſideretur, quod hi privati pro Epiſtola dixiſſe videntur, ad eam rejiciendam manifeſte tendit; ipſi enim omnino approbarunt Judicium Photii & Euſtachii, qui Ibam ad recipiendum Concilium Epheſinum, quod in ſua Epiſtola rejiciebat, & ad Neſtorium anathematizandum, quem ipſius Epiſtola tuebatur, compulerunt. Hoc judicium ſecuti ſunt omnes Epiſcopi, & denique Ibam pœnitentem, venerabilem viri caniciem miſerati, receperunt.

Hoc etiam obſerves, Theodoretum accuſatam eſſe in Synodo hac Conſtantinopolitana, quod etiam poſt reconciliationem in Concilio Calcedonenſi obtentam affirmarit, duodecim Capitula S. Cyrilli Calcedone approbata, erroribus ſcatere: quæ, & plura alia legi poterunt apud Fleurium tom. 7. a fol. 734. Unde mirum non eſt, eum, etſi Calcedone ad communionem receptum, in hoc Concilio damnatum fuiſſe, non ideo, quaſi hæc damnatio aliquid in altero mundo mali inferret, ſed ad terrorem aliorum, ut maculetur ſic memoria ejus, & illius ſcripta caute legantur. Cæterum hoc in Concilio etiam determinatum eſt, mortuis poſſe anathema dici: quod & variis exemplis probari poteſt.

Alia objectio de Vigilio Papa jam ſoluta eſt ſuperius de Infallibilitate S. Pontificis N. 171. Hoc ſæculo plura quoque Concilia particularia in bonum Religionis Catholicæ ſunt celebrata: verum de his ſingulis ſpeciatim dicere nimis prolixum foret.

§. III.

De SS. Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis hujus VI. Sæculi.

314. S. Fulgentius natione Afer, patria Carthaginenſis, claris natalibus ortus, mortuo Patre, & abſolutis magno cum fructu ſtudiis, primo efficitur Monachus, ex Monacho Abbas, & tandem ex Abbate ſub Traſimundo Vandalorum Rege Eccleſiæ Ruſpenſis Epiſcopus, vir græcæ & latinæ linguæ peritus, in Scripturis Sacris verſatiſſimus, ac eloquio & arte bene dicendi ad populum clariſſimus, propugnavit ſtrenue D. Auguſtini doctrinam contra Fauſtum Rhegienſem, & alios Semipelagianos: unde & ſui temporis alter Auguſtinus meruit appellari. Dicitur a Traſimundo in Sardiniam relegatus ob impugnatam Arianam perfidiam: ſed poſt obitum ejuſdem Regis, a Succeſſore illius Hilderico reddita pace Africanis Eccleſiis ad ſuam Eccleſiam redux obiit

obiit Calendis Januarii anno Chriſti 529. vel ut aliqui volunt 533. Epiſcopatus 25. ætatis 65.

Scripſit plurima teſte Iſidoro de Viris Illuſtribus, de quibus tamen multa perierunt. Superſunt nunc in Editione Antverpienſi anni 1554. ſequentia opera: 1. Libri tres ad Traſimundum Regem. 2. Liber unus de Incarnatione, & gratia Chriſti. 3. Unus ad Maximium. 4. Unus contra Objectiones Arianorum. 5. Unus ad Donatum. 6. Duo ad Eutymium. 7. Duo ad Ferrandi quæſtiones. 8. Unus de fide ad Petrum, qui inter libros D. Auguſtini habetur. 9. Septem Epiſtolæ ſatis longæ inſtar librorum. 10. Sermones decem diverſorum argumentorum, qui ſoli exſtant ex multis, quos ſcripſit, & habuit.

Petrus Diaconus æqualis S. Fulgentii ſcripſit librum de Incarnatione, & gratia Chriſti ad S. Fulgentium, & alios Epiſcopos Africanos. Hic liber exſtat inter opera S. Fulgentii proxime ante librum S. Fulgentii de eodem argumento.

Ferrandus Diaconus Carthaginenſis ea ætate ſcripſit 1. Paræneticum ad Reginum comitem, inveniendum in Bibliotheca SS. Patrum tom. 5. Edit. 2. 2. Epiſtolas Romæ impreſſas. 3. Breve compendium SS. Canonum.

Eugippius Abbas Africanus, vivens eodem tempore S. Fulgentii, ſcripſit magno labore tomos duos Theſaurorum S. Auguſtini. Editum eſt hoc opus Baſileæ anno 1542. & Venetiis anno 1543. Sed (ita recte monet Bellarminus) cavendæ ſunt inſidiæ hæreticorum, qui hoc opus in lucem miſerunt.

Ennodius Diaconus, & poſtea Epiſcopus Ticinenſis, floruit tempore Symmachi, & Hormiſdæ Pontificum Romanorum: ſcripſit Librum Apologeticum pro quarta Synodo, qui receptus fuit, & probatus a quinta Synodo: ſcripſit etiam Epiſtolas, & alia, quæ exſtant excuſa Pariſiis.

Dionyſius exiguus, ſed probitate & doctrina magnus, ex Scythia oriundus, & Abbas alicujus Monaſterii Romani, hucusque tamen haud cogniti, relictis variis eruditionis ſuæ monumentis obiit circa annum Chriſti 540. vel, ut aliis arridet, paulo ſerius. Multa vel ipſe latine ſcripſit, vel e græca in latinam Linguam tranſtulit: ex quibus hæc ſunt: 1.mo Collectio SS. Canonum e variis Eccleſiæ Conciliis, & Romanorum Pontificum Decretis, duobus libris diſtincta. 2.do Epiſtola Synodica S. Cyrilli, & Concilii Alexandrini contra Neſtorium latine verſa. 3.tio Epiſtola S. Protherii Epiſcopi Alexandrini ad S. Leonem Papam latine verſa. 4.to Vita S. Pachomii Abbatis

315.

in latinum traducta. 5.to Oratio S. Procli ex Cyziceno Episcopo Patriarchæ Constantinopolitani de laudibus Sanctæ Dei Genitricis contra Nestorii blasphemias, cum Epistola ejusdem Procli de fide ad Armenos, & altera ad Domnum pro causa Athanasii Perrhenorum Episcopi. 6.to Gregorii Nysseni de opificio hominis liber in duas Homilias divisus. 7.mo Cyclus Paschalis annorum 97. ab anno 527. ducens initium, in quo relicta profana Olympiadum, Consulum & Imperatorum æra, omnium primus annos numerare cœpit a nato in carne humana Filio Dei, seu a momento Nativitatis ejus. Hæc æra passim *Vulgaris*, seu *Communis* dicitur, quia communiter in Ecclesia Romana ejus est usus: appellatur etiam *Dionysiana* a suo Authore. Scio quidem juxta Criticos, hanc æram a vera æra Christi aberrare pluribus annis, & ipsus tenui in Defensione justa Revelationum Agredanarum, & continuatione hujus Defensionis, illam uno vel altero anno posteriorem esse vero anno Christi nati: sed hoc non attento, tamen communiter & vulgariter ab omnibus usurpatur in Ecclesia Romana.

S. Cæsarius Arelatensis, natione Gallus, patria Cabillonensis, & S. Porcarii Abbatis Lirinensis in prima Religionis & morum doctrina Discipulus, a S. Æonio Arelatensi Antistite Diaconus, & postmodum Presbyter ordinatus, tandem defuncto Æonio in sua Sede successit, qui nulli sui sæculi Episcopo cessit sanctitate, eloquentia, & eruditione. Pluribus in Gallia præsedit Conciliis, ut Agathensi anno 506. Carpentoratensi anno 527. Vasionensi, & Arausicano II. anno 529. & Provinciali uni contra Contumeliosum Rhegiensis Ecclesiæ Episcopum anno 534. qui ob varia crimina accusatus, sede sua privatus est. Cæsarius vero obiit anno 544. vel 542. ætatis suæ anno 73.

Scripta ejus hæc numerantur: 1. Homiliæ variæ ad populum, numero 461. Ex iis tamen 42 da ei perperam adscribitur, cum in ea citentur SS. Gregorius Papa, & Isidorus ipso longe posteriores: nec etiam tres sequentes ipsius sunt, scilicet 43. 44. & 45. hæc enim 45 ta Macario inscribitur, duæ priores Augustino. 2. Exhortatio ad charitatem custodiendam. 3. Epistola ad quosdam Germanos adolescentes, vitam Monasticam agentes, qua eos maxime hortatur ad pudice & caste vivendum. 4. Homilia de decem Virginibus, in qua hortatur ad bona opera. 5. Regula Sancti-Monialium, in gratiam Sororis suæ S. Cæsariæ Monialium Antistitis. 6. Regula Monachorum: quæ tamen Terridii, seu Terriadi Nepotis sui creditur. 7. Aliæ 14. Homiliæ opera Stephani Baluzii Tutelensis editæ. 8. Epistola mirabilis ad Cæsariam Sororem suam Abbatissam. 9. Alia Epistola eidem Sorori,

rori, & toti Monialium congregationi scripta. 10. Iterum alia Epistola ad Virginem Deo dicatam data.

Joannes Climacus Monachus Religiosissimus scripsit librum triginta graduum, quibus ascenditur ad perfectionem. Obiit verisimilius anno 532. ut refert Baronius tom. 6. Annalium.

316. Aurelius Cassiodorus cognomine Senator, origine Romanus, e Senatoria familia oriundus, Theodorico Regi ab Epistolis fuit. Scripsit eo tempore libros 12. Epistolarum variarum, & Chronicon breve ab exordio mundi usque ad tempora Theodorici Regis Italiæ: scripsit insuper libros 12. de gestis Gothorum, quos in compendium redegit Jordanus Episcopus Ravennæ: & hoc compendium cum libris Epistolarum impressum reperitur. Subinde mundo, & mundanis nuncium mittens, Monachum induit, & rebus Divinis se totum addixit. Atque tum primum scripsit ista: 1. Libros duos institutionum Divinarum lectionum. 2. Commentarios in omnes Psalmos, & Cantica Canticorum. 3. Historiam tripartitam ex libris Socratis, Theodoreti, & Sozomeni per Epichorum Scholasticum in latinum traductis, quæ omnia exstant. Trithemius plura ab ipso scripta commemorat, quæ tamen, an exstent, ignorantur, & ideo hic omittuntur.

S. Gregorius Turonicus, vel Turonensis, vir magnæ sanctitatis & modestiæ, ac humilitatis excellentis, Trithemio teste Ord. S. Benedicti in Monasterio S. Martini Turonensis Monachus, ac post S. Euphronium Ecclesiæ S. Martini Turonensis Episcopus decimus nonus anno Christi 574. factus, obiit meritis plenus anno 596.

Scripsit 1. de Historia Francorum libros 10. 2. Librum unum de gloria Martyrum. 3. Libros duos de gloria Confessorum. 4. Librum unum de miraculis S. Juliani. 5. Libros quatuor de miraculis S. Martini. 6. Librum unum, seu Epitomen Historiæ Francorum. Alia adhuc scripsisse dicitur, quæ credibiliter non exstant. Cæterum tremente manu scribo, quæ P. Gallus Cartier de isto sancto & docto viro tom. 1. Theolog. univers. tract. 4. pag. mihi 73. adjungit his verbis: *Cæterum nonnullis Eruditis videtur fuisse vir pro sæculo, quo vixit, non ineruditus: magis tamen pietate ac zelo, quam judicio commendandus.*

De S. Gregorio Magno, quia primum sæculo VII. est mortuus, in eo agetur, & quidem loco primo.

Sæculum VII.

§. I.

Series Pontificum Romanorum.

317. I. Alias 67. Sabinianus Boni filius, Volaterranus, S. Gregorii Diaconus, & apud Mauritium Imperatorem Apocrisiarius (A.) creatus anno 604. 13. Septembris, ſedit annum 1. menſes 5. & dies 9. mortuus eſt anno Chriſti 606. 22. Februarii. vide notam (B.)

II. Alias 68. Bonifacius III. Romanus, Cataaudiocis filius, creatus anno 607. 19. Februarii, ſedit menſes 8. dies 22. mortuus eodem anno die 10. Novembris. vide notam (C.)

III. Alias 69. S. Bonifacius IV. Joannis Medici filius ex Valeria civitate Marſorum, creatus anno 608. 1. Septembris, ſedit annos 6. menſes 8. dies 12. mortuus 7. Maji anno 615. (D.)

IV. Alias 70. S. Deus dedit Romanus, creatus anno 615. 19. Octobris, ſedit annos tres, dies 20. mortuus anno 618. 9. Novembris.

V. Alias 71. Bonifacius V. Neapolitanus, Joannis filius, creatus anno 619. 23. Decembris, ſedit annos 5. menſes 10. Obiit anno 625. 21. Octobris. vide notam (E.)

VI. Alias 72. Honorius I. Petronii viri Conſularis filius, creatus anno 625. 27. Octobris: ſedit annos 12. menſes 11. dies 16. obiit anno 638. 12. Octobris. De hoc jam egi ſuperius N.

VII. Alias 73. Severinus Romanus Abieni filius, creatus anno 640. 28. Maij: ſedit menſes duos & dies quatuor. Multum fuit vexatus ab Heraclio. vide notam (F)

VIII. Alias 74. Joannes IV. Venantii Scholaſtici filius, Dalmata, creatus anno 640. 24. Decembris: ſedit annum unum, menſes 9. dies 18. mortuus anno 642. 11. Octobris. vide notam (G)

IX. Alias 75. Theodorus Græcus, Theodori Epiſcopi filius, creatus anno 642. 23. Novembris: ſedit annis 6. menſibus 5. diebus 18. obiit anno 649. 13. Maji. vide notam (H)

X. Alias 76. S. Martinus I. Fabritii filius, Tuders, creatus anno 649. 5. Julii: ſedit annos 6. menſes duos, & dies duodecim. Varias ærumnas, contumelias, & exilium fidei cauſa conſtantiſſime perpeſſus, in Cherſoneſo, loco exilii ſanctiſſime obiit anno 655. 16. Septembris. (I)

XI. Alias 77. S. Eugenius I. Rufiniani filius, Romanus, vivente adhuc, & in exilium deportato S. Martino ejus Vicarius electus eſt anno

anno 654. 8. Septembris: factum eſt autem hoc, ut notat Sandini, quia timebat Clerus Romanus, ne ab Imperatore Monothelitarum fautore alius intruderetur. Mortuo poſtmodum Martino Eugenius verus creatus Pontifex, & legitimus ejus Succeſſor fuit, vir omni laude dignus. Sedit a die electionis ſuæ annos duos, menſes 8. dies 24. a morte autem S. Martini annum unum, menſes 8. dies 15. mortuus eſt anno 657. 2. Junii.

XII. Alias 78. S. Vitalianus Signiæ in Campania Anaſtaſio Pontratio Patre natus, creatus eſt anno 657. 11. Auguſti. Hic, ut Platina ſcribit, organis in Eccleſia cœpit uti. Sedit annis 14. menſibus 5. diebus 16. obiit 672. 27. Januarii.

XIII. Alias 79. Adeodatus Jobiani filius, Romanus, Monachus, creatus anno 672. 22. Aprilis, ſedit annos 4. menſes 2. & dies 5. obiit anno 676. 26. Junii.

XIV. Alias 80. Donus I. Romanus, Mauritii filius, creatus anno 676. 1. Novembris, ſedit annum 1. menſes 5. dies 10. mortuus anno 678. 11. Aprilis.

XV. Alias 81. S. Agatho Siculus Monachus, vir inſignis ſanctimoniæ, creatus anno 678. 26. Junii, ſedit annos tres, menſes 6. & dies 14. de hoc vide notam (K) mortuus eſt anno 682. 10. Januarii.

XVI. Alias 82. S. Leo II. Siculus, Pauli filius, creatus anno 682. 17. Auguſti, vir diſertus, græce & latine doctus, ac Divinarum Scripturarum peritus, ſedit menſes 10. & dies 17. obiit anno 683. 3. Julii. Nota (L).

XVII. Alias 83. S. Benedictus II. Romanus, Joannis filius, creatus anno 684. 26. Junii, ſedit menſes 10. & dies 12. mortuus anno 685. 7. Maji.

XVIII. Alias 84. Joannes V. Cyriaci filius, natione Syrus, patria Antiochenus, creatus anno 685. 23. Julii, ſedit annum unum, & dies 9. mortuus eſt poſt diutinum morbum anno 686. 1. Auguſti. Ob has circumſtantias licet nullam rem magnam tam brevi tempore ſui Pontificatus geſſerit, tamen primus inexſpectata Conſtantinopolitani Imperatoris authoritate in Romanum Pontificem conſecratus eſt. Binius apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1286.

XIX. Alias 85. Conon genere Thrax, in Sicilia educatus, & Romanæ Eccleſiæ Presbyter, vir moribus, eruditione, & ætate jam provecta venerandus, electus eſt anno 686. 21. Octobris. Sedit tantum menſes 11. adverſa afflictus valetudine anno inſequente electionem 21. Septembris mortem oppetiit.

XX. alias 86. S. Sergius I. Tiberii filius Antiochenus, Panormi in Sicilia educatus, S. R. E. Presbyter, creatus anno 687. 20. Decembris, sedit annos 13. menses 8. dies 23. mortuus anno 701. 7. Septembris. Vide Notam (M)

§. II.

Notæ Criticæ & eruditæ de his Pontificibus.

318. (A) *Apocrisiarii*, seu *Responsales* vocabantur Legati a SS. Pontificibus illo tempore apud Aulam Cæsaream relicti, quia mandata seu responsa exequebantur eorum, a quibus missi erant. Ἀπόκρισις enim responsio est. Ita Marca L. 5. de Concordia Sacerdotii & Imperii c. 16. §. 2. apud Sandini in Vita S. Agapeti annot. 5.

(B) Sigebertus in Chronico narrat, Sabinianum a Prædecessore suo Gregorio per nocturnum visum ob illiberalitatem & avaritiam ter frustra objurgatum, quarta demum vice graviter in capite percussum, haud ita multo post exspirasse. De qua tamen verius fabula quam historia in vita Sabiniani Sandini annot. 3 hæc dicit: *Nihil tale quisquam antiquorum de vita, & miraculis S. Gregorii scribentium, ne quidem Joannes Diaconus, qui tamen finem libri 4. ejusmodi vindictæ exemplis per 12. capita deductis implevit. Mirum proinde est, fabulæ isti a Sigeberto temere relatæ fidem adhibuisse Baronium.* Ita allegans Papebrochium Sandinius, qui etiam credit, Sabinianum naturali morte defunctum esse.

(C) Bonifacius III. duo memoranda præstitit. Primum est: habito in æde S. Petri duorum & septuaginta Episcoporum Concilio sub anathematis pœna statuit, ne agi liceret de Successore Pontificis Romani, & cujusvis Episcopi, nisi post diem tertium ab ejus morte. Alterum est: obtinuit a Phoca Imperatore, ut nomen Episcopi Oecumenici, seu universalis esset unius Pontificis Romani. Atque hac ratione fracta est turbulenta Cyriaci Episcopi Constantinopolitani temeritas, qui sibi tale nomen arrogabat. De hac re ita loquitur Baronius ad annum 606. *Infensus Cyriaco Phocas imperiali edicto sancivit, — quod ergo expetiit a Mauricio Gregorius, & non obtinuit, ut vanum hominem titulum sibi indebitum usurpantem compesceret, hoc a Phoca obtinuit Bonifacius, ut coërceret Cyriacum sibi inconcessa sumentem. Sic igitur edictum Phocæ non dedit Primatum Ecclesiæ Romanæ, sed illi tantum jure competere nomen Oecumenici declaravit.* Bene ergo dicit Bellarminus L. 2. de Rom. Pont. c. 17. Phocas id sanxit declarando, & asserendo, non instituendo aliquid novi.

(D) Boni-

(D) Bonifacius IV. Pantheon in cultum Deorum omnium a M. Agrippa Augusti genero exstructum, Phoca concedente, in honorem B. Virginis, & omnium Martyrum uni Deo consecravit, ut, ubi quondam non Deorum, sed dæmonum cultus erat, ibi deinceps fieret omnium memoria Sanctorum.

(E) Bonifacius V. ab Acatholicis reprehenditur, quod in Epistola ad Eduinum Regem Anglorum, qua eum hortabatur ad fidem Christi suscipiendam, docuerit, Christum a *solo* originali peccato nos redemisse. Exstat Epistola apud Labbeum tom. V. Nego autem 1. vocem illam *solo* in ea Epistola esse contentam. Nego 2. esse reprehendendam, si ibi legeretur; quod enim Bonifacius meminerit *solius originalis peccati*, & non aliorum peccatorum, causa fuit, quia originale est principale, propter quod delendum principaliter Christus mortuus est: unde Joan. c. 1. ℣. 29. legimus: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* in textu vero græco: τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, id est, peccatum mundi, hoc est, peccatum originale, quod solum est commune toti mundo; nam plurimi nullum aliud habent, ut omnes pueri.

(F) Usque ad Severinum fuit longum interregnum propterea, quia Heraclius Severini electionem ratam habere non voluit, donec ille *Ecthesin* a se promulgatam, & ad Isacium Exarcham transmissam approbaret. Legati Severini simulate polliciti sunt petitam approbationem. Verum Pontifex edictum, & Ecthesin Cæsaream, faventem Monothelismo nullatenus probavit, imo anathemate confixit, ideo plurima passus. Pro hujus rei intelligentia notes, quæ Sandini in Severini vita annot. 1. adducit ex Petavio tom. 4. Theol Dogmat. L. 1. de Incarnat. c. 19. § 5. his verbis: *Heraclius Imperator authore Sergio fidei Ecthesin, id est, expositionem promulgavit anno Christi 639. qua unicam Christi operationem & voluntatem asseveravit quidem, sed quasi aliud agendo, cum diserte ac palam constitueret, ne quis tam unam, quam duas operationes & voluntates nominaret in Christo.*

(G) Joannes IV. Pontificatu inito habuit Romæ Concilium, quo errorem Monothelitarum, atque errori faventem *Ecthesin* Heraclii proscripsit anathemate; scriptaque ad Constantinum Heraclii filium Epistola, a Constante Heraclii nepote, & Constantini mortui filio impetravit, ut *Ecthesin* igni tradiderit.

(H) Theodorus de Ecthesi penitus tollenda, datis ad Episcopum Constantinopolitanum synodicis literis laboravit plurimum. Pyrrhum Romam profectum, ejurata hæresi Monothelitarum Catholicam fidem profitentem, in communionem recepit: postea reversum

ad vomitum, convocato Romæ Concilio anathematizavit, fententiam autem anathematis fcripfit intincto in Chrifti Sanguine calamo. Eodem Concilio damnavit etiam Paulum Epifcopum Monothelitam, quo inftigante Conftans Imperator edictum vulgavit, *Typum* alias dictum, quo per fpeciem conciliandæ pacis inter Orthodoxos & Monothelitas filentium indixit & iis, qui unam, & aliis, qui duplicem in Chrifto voluntatem & operationem afferérent.

(I) S. Martinus I. congregavit ad initium Pontificatus in Lateranenfi Ecclefia centum & quinque Epifcoporum Concilium, in quo Monothelitas cum fuo dogmate, atque Ecthefin Heraclii, & Typum Conftantis damnavit; qua de caufa Conftantis indignationem incurrit.

(K) S. Agatho, poftquam egit de indicendo univerfali Concilio cum Imperatore Conftantino Pogonato, Romæ centum viginti quinque Epifcoporum Conventu habito contra Monothelitas, & electis in eo Legatis Conftantinopolim mittendis ad generale Concilium, fcripfit ad Conftantinum, & ejus fratres Auguftos Epiftolam duplicem, unam fuo, alteram & fuo & Concilii Romani nomine, quibus veram, fanamque Orthodoxorum adverfus errorem Monothelitarum expofuit doctrinam. Rejecta Romano hoc Concilio, aliisque alibi celebratis Monothelitica hærefi, quæ ultra annos quadraginta Orientalem Ecclefiam afflixit, a generali demum Synodo fortiori fulmine percuffa eft. Præterea & illud infigne hujus Papæ factum: namque illo petente Conftantinus per *Divalem juffionem*, ut ait Anaftafius, remifit pecuniæ fummam a Pontificibus recenter electis folvi folitam ad impetrandam confirmationem electionis.

(L) Leo II. *Sanctum VI. Concilium*, cujus acta Legati Romam detulerant, prioribus quinque Synodis *digne connumerari, tanquam una & æquali Dei gratia congregatum*, decrevit, atque de græco in latinum transtulit. Ita Leo ipfe Epift. ad Conftantinum Imperatorem apud Labbeum tom. 6. Concil. pag. 1116. Hujus exemplar mifit in Hifpaniam, atque ea de re ad Hifpaniarum Epifcopos, Regemque Eruigium Epiftolas dedit. Putant quidam, utramque hanc Epiftolam fuppofititiam effe, quod in utraque Honorius Pontifex cum Monothelitis anathemate fuerit percuffus: verum Honorius non damnatur propter hærefin, fed propter negligentiam extinguendi hærefin in ortu fuo: de quo jam fupra a N. 180. & feqq. actum eft.

(M) Sergius I. nullis Juftiniani precibus, nullis minis adduci potuit, ut Canonibus Synodi Conftantinopolitanæ in Trullo habitæ præberet affenfum fuum. De qua §. fequenti.

§. III.

§. III.

De Hæreſibus, vel Sectis hujus ſæculi: Item de Conciliis.

Exortus eſt hoc ſæculo Mahometiſmus, ab immani illo monſtro Mahomete dictus, cujus vitam bifariam ſcripſit S. Petrus Paſchaſius Epiſcopus ex Ordine B. V. Mariæ de Mercede, qui ſub Mahometanis Granatæ anno 1300. paſſus eſt, ubi & conſignavit vitam hujus Nebulonis, prout eam in libris Sectariorum Mahometis invenerat: ex quo & Sianda illam deſumpſit, & ego do, prout in Sianda lego: ſic habet tom. 2. Lexici Polemici ℣. Mahometes pag. mihi 337. 319.

„Monſtrum hoc peperit Oriens in Arabia felice anno 570.
„die 5. Maji, ex Patre Pagano, nomine Abdala, & ex Matre Ju-
„dæa, Hemina nuncupata, quam gentiliſmo addictam fuiſſe aſſerit
„prælaudatus S. Paſchaſius, ambo viles & pauperes; quapropter
„Mahometes, ut victitaret, coactus fuit operam ſuam mercede lo-
„care, adhæſitque ſervitio cujusdam potentis viduæ, cui nomen Ja-
„dicha, ſive Jadiga, cujus paſcendos ſuſcepit Camelos, & ita ſe do-
„minæ ſuæ paulatim gratiæ inſinuavit, ut eam ſibi conjunxerit in
„uxorem. Palæſtinam profectus, honoris ſibi captandi avidiſſimus,
„cum Batira hæretico Jacobita, ſive, ut aliis placet, Batirſa, & Ser-
„gio Neſtoriano, aliisque Judæis amicitiam contraxit. Batirſam
„iſtum venerantur Mauri, ut primum Mahometis magiſtrum: du-
„bium eſt, an confundant cum Sergio, cujus opera uſus eſt Maho-
„metes in conficiendo Alcorano, & a quo artibus etiam dæmonia-
„cis abunde fuit inſtructus. Comitiali morbo laborans, ſive, ut
„memoratus S. Paſchaſius aſſerit, oppreſſus a Dæmone, a quo fre-
„quenter arripiebatur, hinc occaſionem nactus, uxorem ſeduxit, ut
„ſpargeret, virum ſuum prophetiæ dono excellere, & Angelum
„Gabrielem alloqui, cum morbo exagitaretur, enutrita ad hunc finem
„columba, quæ tempore comitialis, ſeu dæmoniacæ exagitationis,
„auribus Mahometis, quaſi eundem allocutura, ſeſe approximabat.
„Plebs ignara facile ad hunc, aliorumque figmentorum aſpectum,
„Mahometem Prophetam credidit, licet non ſine multis contradi-
„ctionibus & rixis; non enim omnes æquali erant amentia decepti.
„Statim plures habuit ſequaces, quibus plenum vanis figmentis vo-
„lumen conſcripſit, quod e cœlo delatum mentiens, ſuis tradidit ſe-
„ctatoribus obſervandum; quibus armis ſtipatus per vim & metum,
„ſed maxime conceſſis carnis illecebris, & data ampliſſima omnium
„ſcelerum patrandi facultate, ſectatorum numerum auxit, ita, ut
„paulatim ſibi conciliaverit Arabum regnum, cui præfuit pene an-

„ nis novem: in Mecha deceſſit, pluralitate mulierum, & omni im-
„ pudicitiæ inquinamento turpiſſimus, a Judæa quadam, apud quam
„ diverſabatur, veneno extinctus, cui ſucceſſit *Abunquerquer*, & poſt
„ duos annos *Homar*, ſive *Homure*, utroque impietatis, & tyranni-
„ dis ſucceſſore. Ad Mecham falſi prophetæ honoris cauſa quot an-
„ nis & plures Turcæ, ſummo licet cum labore, peregrinantur.
„ Quoniam Mahometes, ſe hominum ſalvatorem eſſe, in ſuo Alco-
„ rano aſſeruit, Mahometis cadaveri, quantumvis jam a canibus ſe-
„ mieſo, mirificum a Succeſſore in Mecha erectum eſt ſepulchrum,
„ pretioſis ornatum lapidibus. Excogitavit autem ad ſectam propa-
„ gandam verſutus nebulo illecebras ex voluptatibus carnalibus com-
„ paratas, fœminarum multitudinem ſuis concedens in hac vita, &
„ in futura promittens Paradiſum, in quo ipſis omnia ad cibum &
„ potum laute, abundeque ſuppeterent, ubi præſto eſſet pulcherri-
„ marum multitudo fœminarum; his vero potiſſimum potituros fore,
„ qui fortius pro ſua ſecta ſuſtinenda pugnarent: hæc ſatis aſtute pro-
„ ponens, quo ſuos in bello fortes efficeret. Ut vero populos
„ omnes alliceret, ex cunctis ſectis & religionibus aliqua miſcuit, &
„ de traditis a ſe inſtitutis vetuit diſputari, cum ſatis intelligeret,
„ cuncta, quæ propoſuit, faciliter deſtruenda fore, ſi vel leviter
„ illa permiſiſſet examinari. Potiores ejus errores, quos tanquam
„ dogmata in Alcorano exhibuit, ſunt ſequentes:

„ 1. Admittit Circumciſionem ſervandam. 2. Negat Myſte-
„ rium Sanctiſſimæ Trinitatis. 3. Chriſtum creaturam eſſe conten-
„ dit. 4. Chriſtum non eſſe Deum, ſed Prophetam. 5. Chriſtum
„ eſſe Dei Verbum, ſed creatum. 6. Negat, Chriſtum crucifixum
„ fuiſſe, ſed alium ſibi ſimilem, id eſt, tantum apparenter. 7. Ne-
„ gat cuncta Eccleſiæ Sacramenta. 8. Dæmones ſub fine mundi eſſe
„ ſalvandos. 9. Prohibuit vini uſum. 10. Fatum aſſeruit, dicens,
„ ſive ad bonum ſive ad malum homines deſtinari. 11. Uxorum
„ pluralitatem admittit. 12. Cultum aſtri (quod Lubar vocant Tur-
„ cæ) ſive lunæ propoſuit, ut etiam aliquid gentilitatis ſaperet ſua
„ ſecta, quam veram eſſe blaterabat, ſibique, tanquam veræ Religio-
„ nis cultori, dandas in extrema die cœli claves, cum pluribus fabel-
„ lis confixit; de quibus omnibus agit inter alios Scriptores Ricoldus
„ in libro inſcripto: *Confutatio legis Mahometicæ*, quæ in Azoaras, ſeu
„ capita 124. eſt compartita, & confutata a pluribus Scriptoribus,
„ quos recenſet Natalis Alexander ſæculo 7. cap. 2.“ Hæc ex Sian-
da relata ſufficiant.

Concilium

320. Concilium VI. Oecumenicum hortatu, consilio, & opera Imperatoris Constantini Pogonati, annuente Papa S. Agathone convocatum est anno 681. contra Monothelitas, quorum fautor erat Heraclius Imperator a Cyro Alexandrino, & Sergio Constantinopolitano deceptus. In hoc damnati sunt Monothelitæ cum sua hæresi. Præsedit S. Agatho per suos Legatos, & approbavit non solum ipse, sed & Leo II. Interfuit quoque Constantinus Pogonatus, non ut Judex & Suffragator, sed ut Defensor, & Moderator. Episcopi adfuere juxta aliquos 289. licet Act. ultima non plures, quam 166. reperiantur subscripti, ut Photius L. de Synodis vult.

Anno 692. convocante, & præsidente Justiniano Imperatore soli Orientales Episcopi in Trullo celebrarunt Concilium, vel verius conciliabulum *Quinisextum* dictum, & in eo condiderunt 102. Canones Trullanos vocatos. Reprobatum est a Sergio Papa, qui illud appellat *Synodum erraticam*.

§. IV.

De SS. Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis Sæculi VII.

321. S. Gregorius Magnus Papa, Sanctissimus, ac in paucis egregius Ecclesiæ Doctor, & Pater, mortuus est anno 604. de quo jam præcedente sæculo ad finem in Catalogo Pontificum. Scripsit

1. Expositionem moralem, distinctam in 35. Libros, in Job, quam teste Ven. Beda in Vita S. Gregorii L. 2. c. 1. Histor. Anglic. rogatus a fratribus, cogente S. Leandro Hispalensi Episcopo, Constantinopoli, dum Apocrisiarius, seu Sedis Apostolicæ nuncius esset, cœpit & Romæ electus Pontifex complevit. 2. Librum unum de cura Pastorali in partes tres divisum. 3. Libros quatuor Dialogorum cum Petro. 4. Librum unum Expositionis in Cantica. 5. Homilias 22. in Ezechielem. 6. Quadraginta Homilias in Evangelia. 7. Expositionem in 7. Psalmos Pœnitentiales. 8. Libros sex in primum Regum. 9. Duodecim libros Epistolarum. 10. Decreta nonnulla. 11. Responsiones ad undecim interrogationes Augustini Episcopi Anglorum.

Hesychius, seu Isychius Episcopus Jerosolymitanus floruit tempore S. Gregorii, ad quem est Epistola 40. libri 9. ex Registro S. Gregorii. Scripsit in Leontium libros septem, & exponit versionem S. Hieronymi: ergo & hoc, & Augustino est posterior; non enim cœpit versio hæc esse in usu Ecclesiarum, nisi satis diu post obitum S. Hieronymi.

S. Sophro-

S. Sophronius ex Monacho Epiſcopus Jeroſolymitanus vixit tempore Honorii I. & Heraclii Imperatoris, & ad initium hæreſis Monothelitarum, contra quam acerrime defendit fidem Catholicam: obiit anno 634. Scripſit Epiſtolam ad Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ poſtulante Theodoro Jeroſolymitano lecta eſt in Synodo VI. Act. 11. & omnium judicio probata, ut refert Annatus L. 5. pag. mihi 75. Exſtant quoque in Bibliotheca PP. tom. 2. Edit. 2. duo Sermones ejus, unus de Natali Domini, alter de Angelis.

Joannes Moſchus, alias Eviratus, mortuus anno 630. ad S. Sophronium Epiſcopum Jeroſolymitanum ſcripſit librum, inſcriptum: *Pratum ſpirituale:* unde factum, ut ipſi Sophronio a multis hic liber tribueretur. Invenitur tomo 7. Bibliothecæ SS. PP. Edit. 2. citatur in Synodo VII.

Leontius, mortuus anno 630. ſcripſit mirabilem vitam S. Joannis Epiſcopi, cognomine Eleemoſynarii, æqualis ſui, & anno 620. defuncti. Liber iſte lectu digniſſimus teſtimonium habet a Synodo Nicæna II.

Jonas Anglus, ſeu Hibernus, mortuus anno 630. ſcripſit res geſtas S. Columbani. Exſtat hoc opus apud Surium die 21. Novembris.

Antiochus Monachus, mortuus anno 630. centum viginti novem Homiliis, reperiendis in Bibliotheca SS. PP. tom. 2. Edit. 2. deflevit enormem illam calamitatem, quæ accidit anno 14. Heraclii, dum Jeroſolyma a Perſis capta, & lignum S. Crucis in Perſidem deportatum fuit: quo tempore nonaginta millia Chriſtianorum Judæis viliſſimo pretio vendita, ab eis crudeli morte affecta dicuntur.

322. S. Iſidorus, Severiani Carthaginenſis Provinciæ Ducis, ut multi credunt, filius, Leandri, Fulgentii, & Florentiæ Virginis frater germanus natu minimus, Hiſpaniæ, & totius Eccleſiæ Sydus clariſſimum, & poſt S. Leandrum Hiſpalenſis Eccleſiæ Antiſtes meritiſſimus, poſt 40. ſui Epiſcopatus annos, & varia relicta ſuæ ſcientiæ & eruditionis monumenta, ad cœlos abiit anno Chriſti 636. Scripſit multa, de quibus ſequentia recenſet S. Ildephonſus libro de Viris Illuſtribus.

1. Liber de genere Officiorum. 2. Liber Prœmiorum. 3. Liber de ortu & obitu Patrum. 4. Liber Commentariorum, quem Synonima appellavit. 5. Libelli duo ad Florentiam contra nequitias Judæorum. 6. Liber de Natura rerum ad Siſebutum Principem. 7. Liber Differentiarum. 8. Liber Sententiarum. 9. Liber Quæſtionum,

ftum, five Expofitionis Sacramentorum. 10. Liber Etymologiarum, quem non complevit. Hæc S. Ildephonfus recenfet opera: verum in Editione Parifienfi anno 1601. adduntur plures alii libri; cum autem horum non meminerit S. Ildephonfus fynchronus, ideo fufpicatur, & non abs re Bellarminus, eos non effe ab Ifidoro fcriptos, fed ab alio fuperadditos. His ea de caufa fuperfedeo, fi tamen placet & eorum Catalogum videre, fubminiftrat illum Bellarminus de Script. Ecclef. in S. Ifidoro hoc fæculo pag. mihi 144.

S. Eligius Epifcopus Noviomenfis, mortuus anno 665. fcripfit Homilias fedecim, legendas in Bibliotheca SS. PP. tom. 2. Edit. 2. Hujus autem SanBi Vita habetur apud Surium 1. Decembris.

Berengafius Abbas, quo tempore vixerit, ignoratur: fcripta vero ejus, nempe liber de Myfterio ligni S. Crucis, item de Inventione S. Crucis, item Sermones variorum argumentorum, exftant in Bibliotheca SS. PP. tom. 2. Edit. 2.

Efaias Abbas, de quo iterum non conftat, quo tempore vixerit, fcripfit Homilias 29. admodum utiles, præcipue Monachis ad perfectionem tendentibus, reperiendas in Bibliotheca SS. PP. tom. 2. Edit. 2.

S. Maximus, Monachus, Abbas & Martyr, natus Conftantinopoli piis & nobilibus parentibus, pietate ac fcientia, fingulariter Philofophi nomine clarus, fuit primo Heraclio a fecretis. Eo in Monothelitarum hærefin lapfo, aulam reliquit, & Monachus factus, paulo poft Abbas electus eft. Diverfa & gravia prœlia cum Monothelitis geffit, inter quæ memoratu digna eft difputatio, quam habuit anno 645. in Africa cum Pyrrho Patriarcha Conftantinopolitano Monothelita, tunc ibi degente. Conftantis Monothelitarum Patroni juffu captus, in exilium pulfus, atque in eo variis ærumnis confectus, Martyr obiit anno circiter 662. 323.

Scripta ejus hæc numerantur: 1. Liber de diverfis S. Scripturæ quæftionibus. 2. Liber Dialogorum Afceticorum. 3. Liber de Charitate, quadringenta capita comprehendens. 4. Liber de Theologia, Deique Filio &c. atque de Virtutibus & vitiis, in quadringenta quoque capita divifus. 5. Varia opufcula Theologica, ac Polemica, pleraque adverfus Monothelitas. 6. Difputatio cum Pyrrho Monothelita, Sergii in fede Conftantinopolitana Succeffore. 7. Dialogi quinque de SS. Trinitate contra Arianos, Macedonianos, Apollinariftas. 8. Orationis Dominicæ brevis expofitio. Oportet hic, alicujus monere lectorem ex Bellarmino; dicit enim hic, extare in Bibliotheca SS. PP. Centurias S. Maximi de charitate, quæ forte funt

liber ſupra laudatus de charitate, in quatuor centurias capitum diſſectus: his autem, dicit Cardinalis laudatus, non eſſe multum fidendum, cum ſint translatæ e lingua græca in latinam ab hæreticis; *ſolent enim* (ut recte pro ratione ſui moniti addit) *hæretici in authoribus bonis transferendis ſæpe ad ſuos errores ſententias authorum bonorum accommodare.*

324. S. Ildephonſus Toletanus, Hiſpanus, ex nobilibus parentibus oriundus, S. Iſidori Hiſpalenſis Diſcipulus, Monaſterii Agalienſis Abbas, & ex Abbate Toleti Archiepiſcopus, vir inſignis pietate, eloquentia, & rerum ſacrarum ſcientia, B. Virgini Mariæ devotiſſimus, ac perpetuæ Ejusdem Virginitatis Defenſor ſane inclytus, obiit anno 662. Scripſit 1. Inſignem Tractatum de Virginitate B. V. Mariæ. 2. Alium de perpetua Virginitate Ejusdem. 3. Sermones duodecim de Ea: quæ omnia ſunt excuſa apud Nivellium 1576. & exſtant in Bibliotheca SS. PP. tom. 9. Edit. 2. Invenitur etiam liber de Viris illuſtribus inter opera S. Iſidori Hiſpalenſis, ſed cum inſcriptione S. Ildephonſi. Alia multa & proſa, & verſu ſcripſiſſe dicitur, quæ non exſtant.

S. Julianus Epiſcopus Toletanus, mortuus anno 680. ſcripſit 1. tres libros adverſus Judæos, reperiendos in Bibliotheca SS. PP. tom. 4. Edit. 2. 2. Tres libros de futuro ſæculo, quos Prognoſticon appellavit, exſtantes in Bibliotheca SS. PP. tom. 9. Edit. 2. An autem hic Julianus cognomine ſit vocandus Pomerius, diſputat Bellarminus, quem vide de Script. Eccleſ. pag. mihi 147. mihi non vacat, quia brevitati ſtudeo, huic diſputationi immorari.

Anaſtaſius Nicænus vixit poſt Concilium, vel conciliabulum Trullanum quiniſextum, cujus canonem ſecundum allegat. Scripſit reſponſionem ad interrogationes de multis capitibus Eccleſiaſticis: leguntur in Bibliotheca SS. PP. tom. 1. Edit. 2. ubi, monente Bellarmino, notæ marginales caute legendæ, aut potius delendæ ſunt, quia non ſanam doctrinam continent.

Sæculum VIII.

§. I.

Romani Pontifices hujus Sæculi.

325. I. alias 87. Joannes VI. Græcus, creatus anno 701. 28. Octobris, ſedit annos 3. menſes duos, dies 12. mortuus anno 705. 9. Januarii.

II. alias 88. Joannes VII. & ipse Græcus, Platonis filius, creatus anno 705. die 1. Martii: sedit annos 2. menses 7. & dies 17. mortuus anno 707. 17. Octobris.

III. alias 89. Sisinnius, Joannis filius, Syrus, creatus anno 708. 18. Januarii, vicesimo ab electione die, 7. Februarii mortuus, magnos, ut ait Sandini, in corpore arthritite confecto animos gerebat.

IV. alias 90. Constantinus, Joannis filius, Syrus, creatus anno 708. 25. Martii, sedit annos 7. dies 15. obiit anno 715. 8. Aprilis. Vide Notam (A)

V. alias 91. S. Gregorius II. Marcelli filius, S. R. E. Diaconus, & Bibliothecarius, eruditione, sanctitate, & rebus pro Ecclesia præclare gestis inclytus, creatus omnium consensu anno 715. 28. Maji, sedit annos 15. menses 8. dies 14. mortuus anno 731. 11. Februarii, & Idibus ejusdem mensis Natalis ejus dies in Martyrologio Romano celebratur. Nota (B)

VI. alias 92. S. Gregorius III. Joannis filius, itidem Syrus, quinque post mortem sui Decessoris diebus electus, 18. Martii anno 731. consecratus, mortuus est magnis meritis cumulatus anno 741. 28. Novembris. Nota (C)

VII. alias 93. S. Zacharias Polycronii filius, græcus, creatus anno 741. 30. Novembris, sedit annos 10. menses tres, & dies 14. mortuus anno 752. 14. Martii. Nota (D)

VIII. alias 94. Stephanus II. alias III. Vide Notam (E) filius Constantini, Romanus, S. R. E. Diaconus, creatus anno 752. 26. Martii, sedit annos 5. & dies 29. magnis pro Ecclesia laboribus perfunctus obiit anno 757. die 24. Aprilis. Nota (F)

IX. alias 95. S. Paulus I. frater Stephani II. S. R. E. Diaconus, consecratus anno 757. die 29. Maji, sedit annos 10. mensem unum, mortuus anno 767. 28. Junii, quo die haud exspectata illius morte Constantinus nondum Clericus, potentia fratris sui Totonis Ducis Nepesini invasit Pontificatum, ac annum & mensem tenuit: qui ut illegitime ingressus, & Pseudo-Papa in serie Pontificum locum non obtinet. Itaque

X. alias 96. Stephanus III. vel IV. Olivi filius, Siculus, anno 768. ejecto Constantino 5. Augusti creatus, sedit annos 3. menses 5. dies 27. obiit anno 772. die 1. Februarii. Nota (G)

XI. alias 97. Hadrianus I. Theodori filius, Romanus, S.R.E. Cardinalis, eruditione & vitæ sanctimonia celebratus, creatus anno 772. 9. Februarii sedit annos 23. menses 10. dies 17. obiit anno 795. 25. Decembris. (H)

XII. alias 98. Leo III. Azupii filius, & S. R. E. Presbyter, ſcripturis divinis & ſæcularibus valde eruditus, morumque, ac vitæ ſanctitate celeberrimus, tribus diebus poſt deceſſoris ſui mortem die 27. Decembris creatus, ſedit annos 20. menſes 5. dies 16. obiit anno 816. die 11. Junii. (I)

Notæ Hiſtoricæ.

326. (A) Cum occiſo Juſtiniano cædis author Philippicus Bardanes imperium occupaſſet, & numeroſiſſimum Conſtantinopolim advocaſſet Concilium, vel conciliabulum, eoque damnaſſet ſextam Synodum, conatus reſtituere hæreſin Monothelitarum, Conſtantinus ei conſtanter reſtitit, ejusque hæreticam fidei profeſſionem ad ſe miſſam rejecit: contra vero Anaſtaſii II. qui poſt brevem Philippici tyrannidem Imperator ſalutatus fuerat, epiſtolam, qua fidem Catholicam profitebatur, lubens ſuſcepit, & Michaelem Presbyterum miſit Conſtantinopolim, ut Epiſcopos, qui Synodi VI. damnationi conſenſerant, Eccleſiæ reconciliaret, & reſipiſcentes ad communionem reciperet.

(B) Gregorius II. extinxit Anglicanum 150. annorum ſchiſma, in quo perdurantes Scoti, & Britones luna decima quarta, ſi in Dominicam incideret, Paſcha celebrabant. Præterea laboravit annos totos quinque, ut Leonem Iſauricum, inferentem bellum imaginibus ſacris, & eorum cultoribus, revocaret ad frugem. Aſt, cum oleum & operam videret eſſe perditam, illum Synodico anathemate obſtrinxit, & mox Italiæ populos Sacramenti, quo ſe illi obligarant, religione exſolvit, & indixit, ne ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent. Sic dignum poſteris reliquit exemplum, ne in Eccleſia Chriſti ſinerentur regnare hæretici Principes, ſi ſæpe moniti in errore perſiſtere obſtinato animo invenirentur. Ita Sandini, qui annotatione 3. addit contraria ſenſa Magdeburgenſium, & Natalis Alexandri Differt 1. Hiſt. Eccleſ. Sæcul. VIII.

(C) S. Gregorius III. a defenſione SS. Imaginum exorſus Pontificatum, legationibus, Epiſtolis, Synodis reſtitit Imperatori, nempe Leoni Iſauro Iconoclaſtæ. Imagines etiam Salvatoris in altera parte Baſilicæ S. Petri, Deiparæ vero, & SS. Virginum in altera collocavit. Conſultus a S. Bonifacio Germanorum Apoſtolo de nonnullis quæſtionibus, per Epiſtolam reſpondit ad interrogata. Hæc exſtat apud Labbeum tom. 6. Concil. pag. 1475. ubi inter cætera decernit, non eſſe rebaptizandos baptizatos ab Ethnicis expreſſo SS. Trinitatis nomine, ſed recipiendos duntaxat per manus impoſitionem, &

Sacri

Sacri chriſmatis unctionem. Miſit quoque Legatos cum literis ad Carolum Martellum Patrem Pippini, rogans auxilium contra Longobardos, qui res S. Petri in Exarchatu Ravennate, ac Ducatu Romano diripiebant. Epiſtola reperitur apud Baronium ad annum 470. & apud Labbeum tom. 6. Concil. pag. 1472. ubi Gregorius Carolum Martellum vocat *Chriſtianiſſimum:* quem titulum ut *hæreditarium* Regum Francorum agnoſcit Pius II. Epiſt. 385. ad Carolum VII. Itaque non primum nomen Chriſtianiſſimi tributum eſt Ludovico XI. a Pio II. ut ſcribit Raynaldus.

(D) S. Zacharias ad interrogationem S. Bonifacii reſpondens, ratum eſſe juſſit baptisma collatum his verbis: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta.* Videatur can. *Retulerunt multi* 86. Diſt. 4. Deinde Regem Francorum Childericum III. Merovingorum ſtirpis ultimum, quod tantæ poteſtati non eſſet utilis, a regno depoſuit, & Pippinum Caroli Magni Imperatoris Patrem ſubſtituit, omnesque Francigenas juramento fidelitatis illi præſtito abſolvit.

(E) Ante hunc Stephanum fuit electus alius, etiam Stephanus vocatus, neſcio quis, Presbyter Romanus, qui tertio poſt electionem ſuam die ante conſecrationem mortuus, ideo inter Pontifices non ponitur.

(F) Stephanus II. Ariſtulphum Regem Longobardorum, Ducatui Romano inferentem arma, fugiens, in Galliam ad Pippinum ſe recepit, a quo magno exceptus eſt honore: ubi cum prope Noviodunum in Britaniaco Monaſterio degeret, fertur, gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopis 19. reſponſa dediſſe, a Sirmando primum edita: inter quæ ſuppoſititium eſt undecimum *de Presbytero, qui cum deeſſet aqua, periclitantem infantem baptizavit vino.* Harduinus multis argumentis probat, hoc reſponſum eſſe ſubdititium. Ita Sandini in Vita Stephani Annot. 3. Tunc etiam Pippinum cum filiis Carolo, & Carolomanno ſacri olei unctione inauguravit Regem, ac fœdus juxta pacta inter Gregorium III. & Carolum Martellum conventa ſanxit, ut Pontifex Pippinum, ejusque Succeſſores collata Patriciatus dignitate conſtitueret Patronos, ac Defenſores Sedis Apoſtolicæ: Pippinus vero, atque alii poſt Ipſum Reges, quoniam Orientis Imperatores omnem defendendæ Eccleſiæ curam abjeciſſent, tenerentur illam adverſus Græcos, & Longobardos tueri.

(G) Stephanus III. accitis ex Gallia & Italia Epiſcopis concilium anno ſeqente electionem ſuam Romæ habuit, quo anathemate confixus Pſeudo-Pontifex Conſtantinus, factumque Decretum de coercendis affectantibus Pontificatum. Eſt etiam damnata Pſeudo-

Synodus Constantinopolitana contra sacras imagines, cultusque earum approbatus.

(H) Ad preces Hadriani Carolus Magnus cum exercitu in Italiam veniens, Romanæ Ecclesiæ hostes Longobardos devicit, imo horum regno, cum 206. annis stetisset, finem imposuit, quem Romam profectum etiam omni honore excepit Papa, obtinuitque, ut donationes & restitutiones a Pippino factas non solum confirmaret, sed & augeret. Multum etiam lætificavit Pontificem Constantini VI, Orientis Imperatoris, & Irenes Religio, quorum opera Orientali Ecclesiæ pax restituta est.

(I) Leo III. statim post electionem suam misit Legatos ad Carolum Franciæ Regem, petens, ut persisteret Romanæ Ecclesiæ Defensor. Ille vicissim per Angilbertum Abbatem Romam missum rogavit, ut Leo affirmaret sibi Patriciatum, cujus jure arma sumeret pro Ecclesia. Igitur Papa *misit Legatos cum muneribus ad Regem, claves etiam confessionis S. Petri, & vexillum Romanæ urbis eidem direxit: quorum insignium altero quidem civilis, altero vero Ecclesiasticæ rei defendendæ facultas Carolo deferebatur.* Officio nequaquam defuit Carolus; nam excitatas factiones, & turbas improborum contra Leonem quarta vice veniens Romam sedavit. Tum Leo, ut Principem de Romana Ecclesia optime meritum ad ejus defensionem, cui Imperatores Orientis jam videbantur renunciasse, novo beneficio incitaret, ipso Natali Christi Domini in Vaticana S. Petri æde nihil tale cogitantem appellavit Imperatorem Romanorum, & corona ornatum inunxit sacro oleo: unde Carolus posthac omisso Patricii nomine Imperator, & Augustus appellatus est. Tali modo Leo instauravit in Occidente Romanorum imperium, quod ante trecentos annos cum Momyllo Augustulo defecerat.

§. II.

Hæreses hujus Sæculi VIII.

327. 1. *Iconomachi*, vel *Iconoclastæ*. De his multa scribit Sianda Lexic. Polem. tom. 2. v. Iconomachi. pag. 127. Ejus relationem claram, & enucleatam ipsius verbis hic do: "Horrendum monstrum oritur „in Oriente, nempe Iconoclastarum hæresis, quæ sacrarum Imagi„num cultum impugnavit. Contra hunc cultum jam proclamave„rant, sed cum nullo, vel saltem parvo successu, Judæi Marcioni„tæ sub Zenonis imperio circa annum 686. cum Xenaias Persa Helio„polis in Syria Episcopus renunciatus, ex sua Ecclesia Imagines sa-

„cras,

„cras, sed in frustra, resistente populo, deturbare est aggressus.
„Nihilominus indictum in sacras Imagines bellum invaluit, cum Gisi-
„dus Saracenorum Princeps in Syria a duobus Judæis, qui ventura
„prædicere sese jactabant, vaticinium accepit, se ad annos quadragin-
„ta feliciter regnaturum, si sacrarum Imaginum cultum a sua ditione
„expulisset: cui prædictioni acquiescens Gisidus, immani edicto
„omnes sacras Imagines statim confringendas imperavit: sed nondum
„erat in tota ditione promulgatum edictum, cum morte correptus
„satis, quam falsum fuerit Judæorum vaticinium, suis sumptibus
„comprobavit. Quare Judæi impostores, fuga sibi consulentes, Asi-
„am minorem peragrarunt, & dum Isauriam Galatiæ Provinciam
„transeunt, obviam habent quemdam nomine Canonem, professio-
„ne mercatorem, ex Isauria oriundum, cujus aspectum admirati va-
„ticinatores Judæi, quasi forent Prophetæ ad eum missi, sic eumdem
„sunt affati: Ad imperium destinaris Conone, & infallibiliter conse-
„queris, si jurejurando te unum servaturum, quod requirimus a te,
„cum ad imperium assumptus fueris, promittere non dedignaris. Pro-
„misit Conon, & suam promissionem, utpote Catholicus, in templo
„S. Theodoro sacro jurejurando confirmavit. Interim Cononus,
„Leonis nomine assumpto, inter Isauriæ milites, quibus præerat Si-
„sinius, adscribi voluit; cumque ab imperiali exercitu anno 717. Im-
„perator fuisset proclamatus, præsto ad eum fuerunt vaticinatores
„Judæi, ut promissum adimpleret. Rogatus proinde, ut Jesu Chri-
„sti, & Sanctorum Imagines exturbaret, quod se facturum, oppor-
„tuni temporis occasionem nactus, indulsit. Anno igitur 724. per
„suum Edictum in toto Imperio sacrarum Imaginum cultum reproba-
„vit, Constantino Natoliæ in Phrygia Episcopo, & Bezer secta Ma-
„hometano pro edicti executione enixe laborantibus; frustra oppu-
„gnante S. Germano Patriarcha Constantinopolitano; magisque inso-
„lescente in sua hæreticali perfidia Leone Isauro, sub pœna mortis
„anno 730. impium edictum, improbans sacrarum Imaginum cultum
„reiteravit. Contra Iconoclastas strenue decertante S. Joanne Da-
„masceno. Iconomachorum hæresis a Gregorio II. proscripta, ite-
„rum in Concilio Romano sub Gregorio III. fuit condemnata: sævi-
„ente nihilominus in Catholicos Leone Isauro usque ad annum 741.
„quo miserabiliter e vita decessit. Nec minus impius fuit Constanti-
„nus Copronimus, Leonis successor, qui non modo sacras Imagines,
„sed Deiparæ cultum, & Reliquias Sanctorum exprobravit, convo-
„cato Constantinopoli propria authoritate conciliabulo, cui interfu-
„erunt 330. Episcopi Iconoclastæ; cui conciliabulo septimæ univer-
„salis

„ falis Synodi perperam nomen dederunt hæretici. In hoc hæreticali, „ & perfido confeſſu iterum Imperator hæreſin ſanciri voluit, & etiam „ anathema dictum S. Germano Patriarchæ, Georgio Cypri Epiſco- „ po, & S. Joanni Damaſceno, invictis ſacrarum Imaginum defenſo- „ ribus, proſcriptis ab urbe Conſtantinopoli omnibus Monachis, qui „ Romæ aſylum quærere fuerunt coacti. „ Hæc Sianda.

Negabant itaque 1. ſacras Imagines eſſe colendas, & idololatriam eſſe dicebant, eas venerari. 2. affirmabant, in S. Euchariſtia eſſe ſolam & veram imaginem corporis Chriſti: quod aſſerebant, ut cæterarum Imaginum cultum penitus abolerent.

Novi Iconoclaſtæ illi ſunt, qui Veterum errorem jam extinctum renovare ſunt auſi: quorum primus fuit anno 1126. Petrus de Bruis, ejusque diſcipulus Henricus apoſtata, ambo a D. Bernardo confutati. Item Waldenſes, Albigenſes, Wicleffus, Huſſitæ, Calviniani, Zwingliani, & Lutherani renovarunt antiquatam, & extinctam hanc hæreſin.

328. 2. *Albanenſes* inſurrexere tempore Conſtantini VII. Imperatoris, & Leonis III. ſummi Pontificis, nempe circa annum 796. *Albanenſes* vocabantur a Regione, in qua ſuos errores diſſeminare cœperant. Authorum impiorum nomina non ſunt nota: creduntur tamen fuiſſe Reliquiæ Arianorum. Dicti ſunt etiam vulgo *Sceleratiſſimi* ob enormes blasphemias, quas eructabant.

Docuerunt 1. Res malas non præſciri a Deo, niſi ope dæmonis. 2. Duo eſſe rerum principia, unum bonum, malum alterum. 3. Mundum ſemper fuiſſe, & eſſe in æternum permanſurum. 4. Hominem non eſſe liberi arbitrii, ſed ſtellis & fato ſubjectum. 5. Nullum eſſe creatum infernum pro punitione malorum. 6. Uſuram non eſſe a Deo prohibitam. 7. Illicitum eſſe juramentum etiam pro aſſerenda veritate, & inſtante Superioris juramentum imperantis authoritate. 8. Non dari purgatorium, & orationes pro defunctis eſſe inutiles. 9. Eccleſiam non habere poteſtatem excommunicandi, nec poſſe ulciſci ſceleratos, nec poſſe ferre leges obligantes in conſcientia. 10. Vetus Teſtamentum eſſe a malo principio, & ideo reſpuendum. 11. Baptismum nullius eſſe virtutis, nec quidquam conferre hominibus. 12. Quia juxta ipſos homines non peccant libere, non teneri ad confeſſionem. 13. Extremam unctionem non eſſe Sacramentum. 14. Chriſtum ex B. Virgine non aſſumpſiſſe carnem, ſed attuliſſe de cœlo: nec verum hominem fuiſſe, ſolum apparenter ediſſe, ambulaſſe, paſſum eſſe. 15. Non dari peccatum originale. 16. Sacramentum altaris nihil eſſe. 17. Deum non creare novas animas, ſed

ſed mortuo uno homine, eandem animam ad aliud corpus migrare. 18. Matrimonium eſſe malum. 19. Nullum improbum poſſe creari Epiſcopum.

3. *Pauliani*, ſive *Pauliciani*, vel *Paulianiſtæ* alii ſunt ab illis, de quibus jam actum eſt ſupra Sæculo III. N. 240. ortis a Paulo Samoſateno; iſti enim authorem habent virum privatum, & hoc ſæculo VIII. currente primum graſſari cœperunt, refricantes in Armenia Manichæismum. Aſſerebant 1. duo rerum principia. 2. Negabant Maternitatem Virginis: ut autem Paulus ſimplicibus illuderet, dicebat: *Credo in SS. Deiparam, in quam intravit, & exivit Dominus*, per Deiparam intelligendo Urbem Jeruſalem, in quam Dominus ingreſſus, & egreſſus eſt. 3. Volebant Sacramenta ſolis verbis ſine materia perfici. 4. Crucem Chriſti non eſſe venerandam. 5. Reprobabant Sanctos, præſertim D. Petrum. 6. Sacerdotum authoritatem non agnoſcebant. 7. docebant, mendacium etiam in cauſa Religionis licitum eſſe. 329.

§. III.

Concilia hujus Sæculi.

Conciliabulum Conſtantinopolitanum a Conſtantino Copronimo tempore Stephani III. S. Pontificis collectum, cui interfuere 754. Epiſcopi Præſidente Pſeudo Patriarcha Conſtantinopolitano. In eo damnarunt cultum SS. Imaginum, & anathematizarunt S. Germanum Conſtantinopolitanum, & S. Joannem Damaſcenum. Hoc conciliabulum vocant Iconomachi Synodum VII. verum a Stephano III. eſt reprobatum Act. 6. Concilii Nicæni II. quod eſt Synodus VII. vera, de qua poſtea ſtatim. 330.

Nunc prius pro eruditione notandum, unde nomen pudendum *Copronimus* proveniat: Zonaras l. 15. Annal. pag. 80. rem breviter refert apud Sandini in vita Stephani II. his verbis: *Natus eſt Leoni* (Iſaurico) *catulus Patre crudelior, cujus Matrem Mariam diademate ornavit, & puerum in magna Eccleſia baptizavit, Conſtantini nomine indito: qui cum in Sacroſancta illa aqua mergeretur, fertur excreviſſe ſtercus, unde* Copronimus *eſt cognominatus:* etenim græce κόπρος, latine ſtercus eſt, & ὄνομα nomen. Hæc igitur eſt origo hujus turpis cognominis, quod accrevit huic impio Imperatori, qui Eccleſiam ſua impietate fœdavit plurimum.

Concilium VII. œcumenicum, cui adfuere 350. Epiſcopi, anno 787. de expreſſo Adriani I. conſenſu a Conſtantino, & Irene ejus Matre 331.

Matre convocatum, & Conſtantinopoli contra Iconomachos inchoatum, tumultuantibus in ea urbe Iconoclaſtis Nicæam in Bithynia translatum fuit: unde *utriusque urbis nomine*, ut notat Petrus de Marca, *a Scriptoribus Conſtantinopolitanum, vel Nicænum dictum.* Præfuerunt in eo Hadriani Legati Petrus Archi Presbyter Eccleſiæ S. Petri, & Petrus Monachus, atque Abbas S. Sabæ. Si Taraſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus habita oratione Concilium inchoavit, & interlocutionibus direxit, id fecit permiſſu Legatorum Pontificiorum, utpote græcæ linguæ peritiſſimus, & exercitatiſſimus in iis rebus, de quibus agendum erat.

Quid in hoc Concilio præcipue actum ſit, patet ex actione VII. & fidei profeſſione, quam ibi Patres edidere hunc in modum: „His ſic ſe habentibus, regiam viam incedentes, & ſanctorum no„ſtrorum & divinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & catholicæ Ec„cleſiæ, in qua Sanctus Spiritus inhabitat, traditionem obſervantes: „definimus cum omni diligentia & cura, venerandas & ſanctas Ima„gines ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis a colo„ribus & teſſellis, aut alia quavis materia commode paratas, dedi„candas, & in templis ſanctis Dei collocandas, habendasque: tum „in ſacris vaſis & veſtibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus „privatis, in viis publicis: maxime autem imaginem Domini & Dei „Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ „Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde ſancto„rum virorum. Quo ſcilicet per hanc imaginum pictarum inſpectio„nem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam, & „recordationem, & deſiderium veniant, illisque ſalutationem, & „honorariam adorationem exhibeant, non ſecundum fidem noſtram „veram latriam, quæ ſolum divinæ naturæ competit: ſed quemad„modum typo venerandæ, & vivificantis crucis, & ſanctis Evange„liis; & reliquis ſacris oblationibus ſuffitorum & luminarium reve„renter accedimus, quemadmodum veteribus pie in conſuetudinem „hoc adductum eſt: imaginis enim honor in Prototypum reſultat, & „qui adorat imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumen„tum. Sic enim ſanctorum noſtrorum patrum obtinet diſciplina, vel „Traditio catholicæ Eccleſiæ, quæ a finibus usque ad fines Evange„lium ſuſcepit. Paulo ergo ſic in Chriſto loquenti, omnique apo„ſtolico cœtui, & Patribus ſanctis idem ſentientibus inhærentes: *Ser„vamus traditiones, quas ſuſcepimus.*„ Ita authentice refert Labbeus in tom. 8. Concil. Edit. Venet. 1729. fol. mihi 1526.

Ex

Ex quibus aperte patet, falſum eſſe, quod comminiſcuntur heterodoxi, adorationem latriæ, uni Deo propriam, ab hac Synodo adjudicatam eſſe imaginibus; nam præter dicta, inter alia anathemata Act. 4. etiam hæc pronunciat ſacra Synodus: *His, qui aſſumunt dicta S. Scripturæ, quæ ſunt contra Idola, in venerabiles imagines, anathema: His, qui imagines ſacras appellant idola, anathema: His, qui dicunt, quod veluti ad Deos Chriſtiani ita ad Iconas accedunt, anathema.* Concilium hoc *fuit perfecte œcumenicum, quia legitime convocatum,* celebratum, & ab Adriano approbatum, ut teſtis eſt Binius.

332. Concilium Francofordienſe, quod aliqui generale, alii melius nationale dicunt, quia ei nullus Orientalium interfuit, qui nec vocati fuerunt, fuit celebratum anno 794. ſub Adriano I. & Carolo Magno Francorum Rege, qui eidem adfuit cum Legatis Papæ Théophylacto & Stephano Epiſcopis: interfuere quoque trecenti circiter Epiſcopi ex Italia, Gallia, Germania, & Britannia, in quo maxime damnatus eſt Elipandi Archiepiſcopi Toletani, & Felicis Urgellitani error, qui aſſerebant, Chriſtum eſſe filium Dei adoptivum: & circa hoc punctum eſt approbatum Concilium. Dum vero canone ſecundo Recentiores hæretici Iconomachi ajunt damnatam eſſe Synodum II. Nicænam, falſum dicunt: etenim canone illo damnatur doctrina ejus Synodi, in qua ſcriptum habebatur: *ut qui imaginibus Sanctorum ita, ut Deificæ Trinitati, ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur,* quod Synodus II. Nicæna nec decrevit, nec dixit; imo *ſalutationem, & adorationem honorariam,* quam tribuit Sacris imaginibus, aperte diſtinxit a cultu latriæ, qui ſoli Deo debetur, ut ex Act. 7. & verbis ejus Num. præc. allatis conſtat. Videatur hoc Concilium, & Notæ apud Labbeum tom. 9. Edit. Venetæ anno 1729.

§. IV.

Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici Sæculi VIII.

333. S. Gregorius II. Papa, dictus junior reſpectu S. Gregorii I. & Magni: de hoc jam in Catalogo Pontificum Romanorum. Scripſit varia opera: ſed ſuperſunt duntaxat Epiſtolæ doctiſſimæ, & multæ. Harum una legebatur in Concilio II. Nicæno ad S. Germanum Act. 4. reperitur in tom. 8. Conciliorum apud Philip. Labbeum fol. mihi 1414. in Edit. Veneta anni 1729. qua lecta in Concilio (ut ibi refertur) *Sanctiſſimus Patriarcha dixit: Petrum Divinum Apoſtolum imitatus & hic Beatus Pater, buccino nobis ex Urbe Roma veritatem cecinit.* Exſtant duæ græce & latine ad Leonem Iſauricum, Imperatorem apud Cardinalem Baro-

nium tom. annal. 9. ad annum 13. Gregorii II. apud quem etiam exstant aliæ ad Bonifacium anno 11. Pontificatus, & ad Carolum Martellum, ad Thuringios, & Saxones, & ad alios anno 10. Pontificatus.

S. Anthelmus ad Episcopatum in Scotia promotus anno 700. scripsit de Virginitate librum, exstantem in Bibliotheca SS. PP. tom. 3. Edit. 2. Teste Beda scripsit etiam de Paschatis die contra errores Britonum. Ejus vita legitur apud Surium 28. Maji.

S. Marcellinus Presbyter, & vir Apostolicus, socius S. Suitberti primi Verdensis Episcopi, cujus vitam scripsit, inveniendam apud Surium 1. Martii. Ad relationem factam ex hoc libro S. Marcellini, postea Suitbertus inter Sanctos relatus est a Leone III. anno 804.

S. Germanus Constantinopolitanus floruit tempore S. Gregorii II. & Leonis Isaurici: multa gessit præclare, & sustinuit fortiter propter sacras Imagines: denique sede sua pulsus nonagenarius mortuus est anno Domini 730. Scripsit multa. Nunc exstat Theoria rerum sacrarum in Bibliotheca SS. PP. tom. 6. Edit. 2. Exstant etiam Epistolæ tres græce & latine in Concilio Nicæno II. Act. 4. quarum tertia valde prolixa est: quibus præponitur Epistola Gregorii Papæ II. ad Germanum. Præterea apud Henricum Canisium tom. 3. antiquæ lectionis reperitur fragmentum græco latinum Orationis ejusdem de hæresibus.

334. S. Joannes ob auream facundiam cognomine *Chrysoras*, a Patria Damasco, ubi in Syria nobilissimis parentibus erat natus, *Damascenus* vulgo vocatus, sanctitate & eruditione clarus, Venerabilis Bedæ contemporaneus, imperterritus fuit sacrarum Imaginum Defensor: qui, ut perhibetur, amputata sibi ab Iconoclastis dextera, & B. Virginis ope sibi miraculose restituta, in eremum secessit, factus in Monasterio S. Sabæ Monachus, demum a Patriarcha Hierosolymitano Presbyter ordinatus. Sancte obiit circiter anno Christi 731.

Scripsit multa præclara opera, atque in primis libros quatuor de fide orthodoxa, in quibus ipse primus Theologiam recto ordine comprehendit: quem imitati sunt Magister Sententiarum, & Doctores, qui Scholastici appellantur. Adhæc scripsit Orationes tres doctissimas & utilissimas adversus impugnatores sacrarum Imaginum. Scripsit insuper alia opuscula, nempe 1. Librum unum de Logica: item 2. unum de Physica. 3. De introductione dignitatum. 4. Librum unum de duabus voluntatibus Christi. 5. unum de hæresibus. 6. unum de Trisagio. 7. De altercatione Christiani, & Saraceni. 8. Historiam Barlaam Magistri, & Josaphat Discipuli. De hoc dubi-

tant

tant aliqui, an hæc narratio ſit vera hiſtoria, an non potius confiȼta ſit ad erudiendos nobiles adoleſcentes, qualis eſt vita Cyri apud Xenophontem. Cæterum veram hiſtoriam eſſe, deducitur ex eo, quia S. Damaſçenus in fine hiſtoriæ invocat SS. Barlaam & Joſaphat, quorum res geſtas ſcripſerat, & Eccleſia Catholica eos in Martyrologio deſcriptos colit die 27. Novembris.

9. Orationem de his, qui in fide dormierunt: de hac etiam oritur ſuſpicio, an genuinum ſit opus tanti viri; quippe narrat, Falconillam precibus primæ Martyris S. Theclæ, & Trajani animam precibus S. Gregorii Papæ ab inferni ſuppliciis liberatas: quæ relationes falſæ videntur, & fabulæ ſimiliores, quam hiſtoriæ. Hoc tamen non obſtante Bellarminus non audet adjudicare Damaſceno hanc orationem. Qui de hac re plura deſiderat, eam critice examinatam inveniet apud Gerardum Caſteel Controverſ. 33.

10. Libros tres Paralellorum. 11. De Transfiguratione Chriſti. 12. De Nativitate B. Virginis, & de Ejusdem Aſſumptione Orationes. 13. adverſus Manichæos Dialogum. 14. Vitam S. Stephani junioris. 15. Librum contra Acephalos, ſed mutilum: & alium contra Neſtorianos, exſtantes apud Henricum Caniſium tom. 4. antiquæ lectionis.

Sanctus, alias Venerabilis nuncupatus, Beda Anglus Presbyter, qui adhuc in vivis erat anno 731. ut ipſe ſcribit in fine quarti libri Hiſtoriæ Anglicanæ, Religioſus Ordinis S. Benedicti, eruditione & ſanctitate clarus conſcripſit plurima, quæ octo tomis comprehenduntur. 335.

Primus tomus complectitur ea, quæ ad Grammaticam, Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Muſicam, & ſimiles artes pertinent.

Secundus tomus continet librum de Natura rerum. 2. De Temporum ratione. 3. De ſex ætatibus mundi. 4. De Temporibus ad intelligendam ſupputationem. 5. Temporum S. Scripturæ. 6. Sententias ex Cicerone, & Ariſtotele. 7. De Proverbiis. 8. De ſubſtantiis Elementorum. 9. Quatuor libros Philoſophiæ. 10. Librum de Paſcha, ſeu Æquinoctio. 11. Epiſtolam de divinatione mortis & vitæ. 12. Librum de arca Noe. 13. Librum de linguis gentium. 14. Oracula Sibyllina.

Tertius tomus comprehendit Libros quinque Hiſtoriæ gentis ſuæ, cum Epitome. 2. Vitas Sanctorum Guthberti, Felicis, Vedaſti, Columbani, Attalæ, Patricii, Euſtaſii, Bertolfi, Arnolphi, Burgundoforæ. 3. Carmen de Juſtini martyrio. 4. Martyrologium.

5. De ſitu Jeruſalem. 6. Interpretationem nominum Hebraicórum, & Græcorum in ſacris Bibliis occurrentium. 7. Excerpta & collectanea.

Quartus tomus complectitur explanationem in Pentateuchum, & Libros Regum. 2. Explanationum allegoricarum in Samuelem libros quatuor. 3. Explanationem in Esdram, Tobiam, Job, Proverbia, & Cantica. 4. Libros duos de Tabernaculo, vaſis, ac veſtibus ejus.

Quintus tomus comprehendit Commentarios in totum novum Teſtamentum, exceptis Epiſtolis S. Pauli.

Sextus tomus continet retractationes, & quæſtiones in acta Apoſtolorum. 2. Commentaria in Epiſtolas S. Pauli ex S. Auguſtini ſententiis, & verbis excerpta. Hæc quidem Baronius tanquam germanum partum S. Bedæ non admittit: nihilominus Bellarminus in V. Beda de Script. Eccleſ. pag. mihi 150. & ſeq. multis argumentis probat, ea Commentaria Bedam habere authorem.

Septimus tomus continet Homilias de tempore, & de Sanctis plurimis. 2. Librum de muliere forti. 3. Librum de officiis. 4. Scintillas, ſive locos communes. 5. Fragmenta in libros Sapientiales, & Pſalterii verſus.

Tomus octavus comprehendit 1. Librum de templo Salomonis. 2. Librum de creatione, ſeu opere ſex dierum. 3. Quæſtiones in Octateuchum. 4. In quatuor libros Regum. 5. Quæſtiones varias. 6. Commentaria in Pſalmos. 7. Commentaria in Boetii librum de Trinitate. 8. De Verbis Chriſti. 9. Meditationes paſſionis. 10. De remediis peccatorum.

Hic non incongruum erit, addere aliquam cenſuram Ven. & clariſſimi Cardinalis Bellarmini, qui de Script. Eccleſ. pag. mihi 151. in V. Beda ita diſcurrit: *Obſervatio tertio. Ex vitis Sanctorum, quæ habentur tertio tomo Bedæ, quædam ſunt, quæ ab ipſo Beda ſcriptæ non ſunt. Certe vita ſancti Patricii duobus libris comprehenſa, non habetur in indiculo, & ſatis conſtat ſcriptam a Probo, ut in extremo libro ſecundo legitur: ſic etiam vitam S. Columbani non Beda, ſed Jonas ſcripſit: & vitam S. Arnulphi Paulus Diaconus ſcripſit, non Beda: ſic etiam inter Collectanea, & flores, quæ habentur 3 tomo nihil fere eſt, quod ſit Bedæ ingenio dignum. Collectaneum de luminaribus Eccleſiæ habetur etiam in quarto tomo S. Hieronymi, & nec Hieronymi, nec Bedæ eſt. Collectaneum de quatuor generibus ligni in Cruce Domini, nihil ſolidi habet. Oratiuncula, ubi invocantur tres Jacobi, & altera, ubi invocantur Angelus Uriel, & Rumiel, longe abſunt a gravitate, & ſcientia Bedæ; ſed ſicut ſunt inter opera Bedæ aliqua, quæ non ſunt Bedæ, ita deſunt commen-*

commentaria in Iſaiam, Jeremiam, Danielem, & duodecim Prophetas minores, quæ in indiculo operum Bedæ numerantur, & periiſſe videntur. Hæc Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus.

S. Bonifacius, Anglus, Archiepiſcopus Moguntinus, & Martyr, ſcripſit Epiſtolas multas, excuſas anno 1605. Moguntiæ. 336.

Antonius Meliſſa Monachus, ſcripſit libros duos communium locorum ad virtutes ſequendas, & vitia vitanda, quos ex Patribus collegit: reperiuntur in Bibliotheca SS. PP. tom. 5. Edit. 2. caute legendi ſunt, quia ab hæreticis in latinum traducti, & impreſſi ſunt.

Hadrianus Papa, de quo in Catalogo Pontificum, vir inſignis ſanctitate, & eruditione, ſcripſit multas Epiſtolas, legendas partim in 7. Synodo Act. 2. partim inter Epiſtolas Pontificias: ſcripſit quoque inſignem librum pro defenſione ſeptimæ Synodi, & reſponſionem ad librum miſſum a Carolo Rege Francorum ex Concilio Francofordienſi. Hunc librum inveni in Editione Conciliorum cum notis Labbei Venetiis adornata cura Nicolai Coleti anno 1729. tom. 8. ad finem, ſcilicet poſt Concilium ſeptimum. Advertendum autem eſt, librum, cui reſpondet Hadrianus, non eſſe compoſitum a Carolo Rege (ut hæretici Iconoclaſtæ falſo affirmant) ſed eſſe librum ab aliis præfixo nomine Caroli ſcriptum, & complectentem objectiones contra Synodum VII.

Paulus Diaconus Aquileienſis, prius a Secretis Regi Longobardorum Deſiderio, ſubin Monachus Caſſinenſis, ſcripſit libros 6. de geſtis Longobardorum: ſcripſit præterea in Regulam S. Benedicti, qui tractatus manuſcriptus aſſervatur in Monaſterio Caſſinenſi: ſcripſit etiam Hymnos ſacros, quorum unus: *Ut queant laxis reſonare fibris &c.* in feſto S. Joannis Baptiſtæ ab Eccleſia in Officio divino canitur.

Paulinus Epiſcopus Aquilejenſis, vir doctus, & pius, tempore Caroli Magni ſcripſit contra Felicem, & Elipandum librum de SS. Trinitate, exſtantem in Bibliotheca SS. PP. tom. 4. Edit. 2.

Eginartus Cancellarius Caroli Magni, poſtea Monachus, & Abbas factus, ſcripſit vitam Caroli Magni ſat accurate: dein Hiſtoriam Francorum, ſcripſit etiam proſa, & verſu de Translatione SS. Petri, & Marcellini.

Albinus Alcuinus Anglus, V. Bedæ Diſcipulus in Gallias a Carolo Rege evocatus, multa ſcripſit, & inter hæc 1. Librum de divinis Officiis. 2. Epiſtolam ad Carolum Regem, & alteram ad Oduinum Presbyterum: quæ exſtant in Codice impreſſo Coloniæ anno 1568. cum aliis ſeptem authoribus de eodem argumento. Inſuper in Bibliotheca SS. PP. tom. 3. Edit. 2. reperiuntur 1. Liber unus quæſtionum

num in Genesin. 2. unus in Ecclesiasten. 3. Duo de Virtutibus, & vitiis. 4. Unus quæstionum de Trinitate. 5. Item tres de Trinitate libri. 6. Epistola de ratione animæ ad Eulalium. 7. Unus de divinis Officiis. 8. Apud Henricum Canisium tom. 1. antiquæ lectionis, inveniuntur quoque 67. Epistolæ ejusdem Albini.

Sæculum IX.

§. I.

Series SS. Pontificum hujus Sæculi.

337. I. Alias 99. Stephanus IV. Romanus, Marini filius, creatus anno 816. 22. Junii, obiit post mensem septimum, quam Pontifex factus fuerat. Nota (A).

II. Alias 100. Paschalis I. Romanus, Bonosi filius, creatus postridie mortem Stephani IV. sedit annis 7. diebus 17. mortuus anno 824. die 10. Februarii. Nota (B).

III. Alias 101. Eugenius II. Romanus Boemundi filius, Archi Presbyter titulo S. Sabinæ, creatus anno 824. 16. Februarii: sedit annos tres: quot autem menses & dies supra annos tres, teste Sandini, incompertum est. decessit mense Augusto anni 827. Nota (C).

Schisma X.

Quod hic ponit P. Thomas ex Charmes inter Eugenium II. verum Pontificem, & Zinzinium Antipapam.

IV. Alias 102. Valentinus Petri filius, Romanus, & Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, quo die electus, aut quo mortuus sit, incertum est. Brevissimus fuit ejus Pontificatus; cum enim ad quadragesimum diem perductus esset, mortuus est anno 827.

V. Alias 103. Gregorius IV. Romanus, Joannis filius, Benedictinus, brevi post Valentini obitum, obluctans licet, & invitus, Pontifex creatus, sedit annos 16. quot vero insuper menses, ac dies, incertum est. Obiit anno 844. 29. Januarii.

Post mortem Gregorii tempore, quo Clerus convenerat ad novi Pontificis creationem, Joannes Diaconus vi occupavit Palatium Lateranense, ex quo intra horæ spatium vi expulsus, & Sergius electus fuit.

VI. Alias 104. Sergius II. Romanus, Sergii filius, creatus anno 844. 10. Februarii, sedit annos ferme tres, mortuus anno 847. 27. Januarii. Nota (D)

VII.

VII. Alias 105. S. Leo IV. Romanus, Radoaldi filius, ex Canonico Regulari factus Benedictinus, justis Sergio nondum solutis Pontifex creatus, ac 11. Aprilis ejusdem anni consecratus fuit: sedit annos 8. menses 3. & dies 6. mortuus anno 855. 17. Julii. Nota (E).

VIII. Alias 106. Benedictus III. Romanus, Petri filius, Presbyter tituli S. Callisti, Canonicus Regularis, creatus anno 855. 24. Julii, & 29. Septembris consecratus, sedit annis 2. mensibus 6. diebus 10. mortuus anno 858. die 8. Aprilis.

Schisma XI.

Quod fecit Anastasius, olim Presbyter Cardinalis, sed hac dignitate privatus: hunc factiosi homines contra Benedictum verum Papam constituerunt Pontificem. Factioni ab initio etiam favere visi sunt Imperatorum Legati, Romam missi, ut consecrationi novi Pontificis interessent: post triduum tamen, cum viderent Clerum, populumque constanter Benedictum revereri ut verum Pontificem, in hunc quoque ipsi consensere, utpote a cujus parte jus certum staret. Itaque Anastasio expulso Benedictus coram iisdem Legatis anno 855. 29 Septembris consecratus est Pontifex.

IX. Alias 107. S. Nicolaus I. etiam Magnus dictus ob res vere magnas gestas, Romanus, Theodori filius, inauguratus anno 858. ante diem 24. Aprilis, sedit annos 9. menses 6. dies 20. mortuus anno 867. 13. Novembris. Nota (F)

X. Alias 108. Hadrianus II. Romanus, Talari filius, Presbyter tituli S. Marci creatus anno 867. 21. Novembris: obiit anno 872. Nullus ex antiquis, ait Sandini, diem ejus emortualem notavit.

XI. Alias 109. Joannes VIII. Gundi filius, Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ, creatus anno 872. 14. Decembris, sedit annis 10. mortuus anno 882. die 15. Decembris. Nota (G)

XII. Alias 110. Marinus I. seu Martinus II. Palumbi filius, Hetruscus, Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, ter Constantinopolim Legatus, quo die creatus sit Pontifex, parum constat: quamvis ut certum ponatur, eum legitimum fuisse Pontificem. Anno 884. ex vita exiisse, certum est, non item, quo mense, & quo die: hinc tempus Pontificatus ejus incertum. Nonnulli, ait Sandini, conjecturas secuti mense Majo vita functum per annum, & menses quinque Pontificem fuisse existimant. Nota (H)

XIII. Alias 111. Hadrianus III. Benedicti filius, Romanus, quem Agapetum antea dictum scribunt aliqui, creatus anno 884. ad

finem Maji, aut initium Junii: sedit annum, & menses fere quatuor: mortuus anno 885. mense Septembri in itinere, sepultus in Cœnobio Nonantulano.

XIV. Alias 112. Stephanus V. ut scribit Sandini, vel VI. ut habet Thomas ex Charmes Capucinus, Romanus, Hadriani filius, unanimi maxime consensu sub finem Septembris anno 885. creatus, sedit annos 6. mortuus anno 891. exeunte mense Septembri. (I)

XV. Alias 113. Formosus Leonis filius, Canonicus Regularis, vera Religione, divinarumque scripturarum, & doctrinarum scientia illustris, a Portuensi Episcopatu ad Romanum anno 891. translatus est, primus ex Episcopo summus Pontifex coronatus exacto admodum mense Septembri: sedit annos 4. menses 6. obiit anno 896. die 4. Aprilis.

Schisma XII.

Quod excitavit Sergius Diaconus contra Formosum.

XVI. Alias 114. Bonifacius VI. creatus eodem mense, quo alter mortuus, sedit dies 15. tantum: & ob hanc causam, nempe brevitatem regiminis, inter Pontifices a multis non numeratur; sicut & ob aliam: quia nempe manus & favor popularis illum, prius jam de Subdiaconatu, dein de Presbyteratu depositum, Formoso substituit. Sandini tamen pronunciat: *si assentiri plerisque necesse est, haud dubie habendus in numero Pontificum.*

XVII. Alias 115. Stephanus VI. vel omnino VII. Romanus, Joannis Presbyteri filius, plane indignus summa Sede, Papa per Adalbertum Tusciæ Marchionem potentissimum constitutus anno 896. ante diem 20. Augusti: sedit sceleribus notatus annum unum, & mensem unum: mortuus violenta manu anno 897. vide Notam (K)

XVIII. Alias 116. Romanus, Constantini filius, Gallesinus, creatus anno 897. ante 15. Octobris. Stephani acta eum abrogasse, scribunt Sigonius, Platina, Panvinius, Ciaconius, qui tamen nullum antiquum ejus rei testem adducunt. Sedit menses tres, dies 22. mortuus anno 898. die ultimo mensis Januarii.

XIX. Alias 117. Theodorus II. Photii filius, Romanus, creatus anno 898. sedit dies 20. tantum. Vide Notam (L)

XX. Alias 118. Joannes IX. Rampoaldi filius, Tiburtinus, Diaconus in locum Theodori II. Sergio, qui in locum Theodori sublectus est, Roma expulso substitutus est, & anno 898. exeunte mense Julio ritu solemni consecratus: sedit annos 2. & dies 15. obiit anno 900. ineunte mense Augusto.

XXI.

XXI. alias 119. Benedictus IV. Romanus, Mammoli filius, creatus anno 900. quo die, non constat: liquet tamen, eum jam pridie Calendas Septembris Ecclesiam Romanam gubernasse; exstant enim Epistolæ ejus datæ illo die. Ludovicum III. inunxit Imperatorem: sedit annos tres, menses duos; mortuus anno 903. mense Octobri.

§. II.

Notæ Historicæ.

(A) Stephanus IV. in Galliam concedens, a Ludovico Pio Romanorum Imperatore, Remis obviam ei procedente, & antequam Papam alloqui auderet, ter ad pedes ejus toto corpore prostrato, honorificentissime exceptus est: Deinde proxima die Dominica in Ecclesia coram Clero, & omni populo coronavit Ludovicum, & inunxit in Imperatorem, & Irmingardam Reginam Augustam appellavit, utrique corona aurea secum allata, & oblata imposita.

(B) Paschalis I. Theodorum Nomenclatorem ad Ludovicum Pium ablegavit, renovandæ causa pactionis a Patre ejus, avoque initæ cum Romanis Pontificibus. Imperator animo lubente indulsit omnia, & per eumdem Theodorum Paschali transmisit Constitutionem, qua non solum jussit rata esse, quæcunque a Prædecessoribus suis Romanæ Ecclesiæ donata, vel restituta, sed etiam donationem auxit Sicilia, Sardiniaque adjectis. Addidit donationi legem, ut recens electi Pontifices Romani, postquam consecrati essent, cum Regibus Francorum per missos Legatos suos amicitiam, charitatem, & pacem innovarent. Postea Paschalis Lotharium Ludovici filium factum consortem Imperii Romæ ipso Resurrectionis Christi Domini die in æde S. Petri Imperatorem inauguravit. Constitutionem Ludovici Pii nonnulli hæretici dicunt esse suppositititiam: hos refellit Author libri inscripti: *Il Dominio temporale della Santa Sede sopra la Città di Commachio* c. 7. & 8. Idemque Author libri, cui titulus: *Difesa seconda del Dominio temporale* &c. c. 24.

(C) Non capio, quomodo Eugenio II. Pontifici plane egregio, tanquam authori adscribi queat a prudente purgatio vulgaris per aquam. Erat autem aquæ frigidæ judicium una ex purgationibus vulgaribus, quas judicia Dei appellant, qua de crimine suspectus, vel de gravi facinore delatus in aquam demergebatur, ita, ut si supernataret, reus, contra si in imum delaberetur, innocens judicaretur.

 Itaque,

Itaque, ut loquar cum Alexandro Natali Hist. Eccles. Sæc. IX. c. 1. Art. 4. *vix mihi persuadere possum, id ab Eugenio Papa inventum, & ab omnibus Christianis observari jussum.* Erat enim hic Pontifex, ut apud Labbeum tom. 9. Concil. Edit. Venetæ 1729. pag. 635. laudatur, vir vere sapiens, Pius, & prudens, sola, quæ Christo erant placita, diebus, ac noctibus cogitans: atque adeo non est credibile, quod rem adeo absurdam, & illicitam probaverit, aut omnino præscripserit servandam.

(D) Circa Sergium II. hoc notandum, quosdam scribere, ipsum primum inter Pontifices nomen suum, quod indecens erat, & os, vel Bucca porci sonabat, mutasse: ast Baronius ad annum 844. apud Sandini in Vita Sergii II. annot. 1. pag. 364. ita loquitur: *Quos delectat, fabulas veris intexere, hunc primum fuisse tradunt Romanum Pontificem, qui creatus Papa nomen sibi mutavit, eoquod nomen indecens tanto sacerdotio visus esset se habere. Sed scias, id factum in Sergio IV. neque id accidisse ob turpitudinem nominis, sed reverentiæ causa. Cum enim ille* Petrus *vocaretur, indignum putavit, eodem se vocari nomine, quo Christus primum ejus Sedis Pontificem, Principem Apostolorum, ex Simone* Petrum *nominaverat. Verum id factum ab Octaviano, qui vocatus est Joannes XII. alii tradunt. Hic autem, ut ait idem Baronius ad an. 955. §. 4. revera primus inventus, qui mutavit sibi nomen, ut qui ex Octaviano voluerit nominari Joannes.* Vide Angelum de Nuce in Leonis Ostiensis Chron. Casin. Lib. 3. cap. 66. num. 6.

(E) S. Leo IV. Suæ sanctitatis argumenta ipso statim Pontificatus initio dedit: nam maximum urbis incendium crucis signo extinxit, & Serpentem teterrimum, cujus veneno, & afflatu multi enecabantur, fusis ad Deum precibus exterminavit. Cujus beneficii, ope B. V. Mariæ recurrente ejus in cœlum assumptionis die festo, obtenti ut perennis ad posteros esset memoria, decrevit, festivitatem esse celebrandam diebus octo. In Concilio Romæ habito ad Ecclesiasticam disciplinam emendandam Anastasium, tituli S. Marcelli Presbyterum Cardinalem, quod Ecclesiam suam quinquennio deseruisset, gradu amovit: & plura alia egregie præstitit.

(F) S. Nicolaus I. Concilia septem Romæ celebravit: in horum altero extinxit reviviscentem hæresin *Theopaschitarum*, quæ est illa Monothelitarum, vel Monophysitarum juxta Siandam. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, quem Bardas Michaelis Imperatoris avunculus, impacto falso crimine, insontem Episcopatu dejecerat, constanti semper animo defendit, ac Photium Eunuchum hominem superbum in ejus locum per summam injuriam intrusum, in quar-

to Concilio Romano fidelium communione interdixit: qui *a Nicolao Papa damnatus, ipse vicissim in Nicolaum ex Synodo sententiam dixit anno* 863. ut Sandini ex Petavio Theologicorum Dogmatum tom. 2. Lib. 7. c. 1. §. 3. refert in Vita Nicolai pag. mihi 376. *Exinde odio furens in Romanam Ecclesiam, varias in eam calumnias commentus est: ac multa illi tum crimina, tum capita hæresum objecit. Horum unum istud fuit, quod Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere Latini dicerent. Quibus acceptis Nicolaus ad Hincmarum Remensem Archi-Episcopum, ac cæteros Episcopos, qui in regno erant Caroli Calvi, prolixam scripsit Epistolam: in qua rei totius accuratam narrationem instituit; atque illos hortatus est, ut de iis, quæ ab Photio proposita erant, diligenti per Synodos tractatione facta, quidquid statuissent, Romam ad se perscriptum mitterent.* Ita Petavius l. cit.

His Sandini subdit annotat. 4. pag. 378. sequentia, bene consideranda: „Spiritum Sanctum a Patre solum, non etiam a Filio „procedere, dicunt Græci, & hoc præsertim errore ab Latinis disso- „ciantur ad hanc usque diem. Sopitum jam diu Photiani Schismatis „incendium iterum excitavit Michael Cerularius, qui post decem „septemque Patriarchas anno 1043. successit Photio. Oppressum „extingui passus non est Marcus Ephesinus Archiepiscopus, qui in „Synodo Florentina Oecumenica XVI. anno 1439. celebrata, Lati- „nos ob insertam Symbolo vocem *Filioque* hæreticos appellare non „dubitavit. Quamobrem inita toties inter utramque Ecclesiam con- „cordia nunquam diu mansit. Vide Petavium Theolog. Dogmat. „tom. 2. Lib. 7. cap. 1. & 2.“

(G) Plura de Joanne VIII. memorantur, quæ non sunt credibilia. Certum est, quod Formosum, qui postea Romanus Pontifex fuit, Synodo Romæ celebrata damnaverit: non tamen constat, qua de causa, de qua varii varie. Fuit etiam hic Pontifex occasio fabulæ de Joanna Papissa jam superius N. 143. discussæ, & rejectæ; cum enim pusillanimitate fœminea restitutionem Photii Eunuchi in sedem Constantinopolitanam tolerasset, irrisorie apud vulgus dictum est, sedem Romanam non a viro, sed fœmina occupatam esse.

(H) Marinus I. vel Martinus II. Photium iterum damnavit anathemate: Formosum vero prius a Joanne VIII. depositum, atque in Galliam relegatum cum jurejurando, se neque Romam, neque ad Ecclesiam suam rediturum, restituit in locum suum, facta etiam Romam redeundi potestate.

(I) Stephanus V. datis ad Basilium Orientis Imperatorem literis, mortuum suum Decessorem defendit, eique suasit, ut Photium

tium haberet pro damnato. Idem Pontifex fuftuliffe dicitur purgationem, quæ candente ferro, & fervente aqua fiebat.

(K) De Stephano VI. vel VII. loquatur Baronius. Hic apud Sandini in ejus Vita annot. 5. pag. 407. ita loquitur: Stephanum *non auderem inter Romanos Pontifices numerare, nifi id factum a majoribus inveniffem, utpote tanto indignum nomine, qui primus, & folus nefando, & inaudito facrilegio Petri fedem adeo deturpavit.*

In Vita ipfa apud Sandini Luitprandus hæc habet: „Quo „(fcilicet Stephano Papa per Adalbertum) conftituto, ut impius, „doctrinarumque fanctarum infcius Formofum e fepulchro extrahi, „atque in Sedem Romani Pontificatus Sacerdotalibus indumentis in„dutum collocari præcepit. Cui & ait: *cum Portuenfis effes Epifcopus, cur „ambitionis fpiritu Romanam univerfalem Sedem ufurpafti?* His expletis, fa„cratis exutum veftimentis, digitisque tribus abfciffis, in Tiberim „jactari præcepit, cunctosque, quos ipfe ordinaverat, gradu pro„prio depofitos iterum ordinavit. Ita furore percitus homo non, „quod jure liceret, fed quod exæftuans rabies fuafit, implevit; non „enim fuit error in fide, fed violenta tyrannis in facto. Quantæ „autem authoritatis, quantæque religionis Papa Formofus fuerit, „hinc colligere poffumus, quoniam, dum a pifcatoribus poftmodum „effet inventus, atque ad Beati Petri Apoftolorum Principis Eccle„fiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo pofi„tum venerabiliter falutarunt. Hoc namque a religiofiffimis Rom. „Urbis perfæpe audivi." Hucufque Luitprandus L. 1. c. 8. apud Duchefnium tom. 3. pag. 571. qui tamen memoria lapfus pro Stephano ponit Sergium, & huic *adfcribit*, *quod factum per Stephanum liquet*, ut docet Baronius ad annum 897. §. 2. & 3. qui pariter ad annum 900. §. 6. defcribens mortem hujus Stephani fic loquitur: *Stephanus Apoftolicæ Sedis invafor, & ipfe pulfus detruditur in carcerem, ubi pariter ftrangulatur. Ita facinorofus homo, quippe ut fur & latro ingreffus eft in ovile ovium, laqueo vitam adeo infami exitu, vindice Deo, claufit.*

(L) Theodorus II. caufam quoque Formofi eft tuitus, & omnes ab eo ordinatos, quos Stephanus VI. abjecerat, priftinis ordinibus reftituit, ejusque corpus pertinaciter, & peffime ejectum, cum exultatione ad Apoftolicam fepulturam reduxit.

§. III.

Hærefes, & Concilia hujus Sæculi IX.

339. Gottefchalchus natione Germanus in Rhemenfi Monafterio habitum monafticum induit: quem tamen, cum effet animo elato, impatiente,

patiente, ambitioſo, & tumultuoſo, ac propterea plurimum a regulari diſciplina alieno, iterum depoſuit. A Decano Rhemenſi contra SS. Canones Sacerdotio invalide initiatus, plura deinde loca peragravit, diſpergens longe lateque ſuam doctrinam hæreticam: Prædeſtinatianorum præcipue errores aſſeruit, docens, Deum ſine prævisione boni & mali aliquos prædeſtinaſſe, alios reprobaſſe. Fuit damnatus in Synodo Moguntina, iterumque hæreticus declaratus in alia Synodo Galliæ Belgicæ, atque in Synodo Valentina, & denique in Tullenſi Concilio celebrato anno 859. Ne autem Gotteſchalchus, pertinaciter recu ans reſipiſcere, majora in Eccleſiæ damna excitaret, virgis cæſus, Rhemis in carcerem truſus eſt.

Græci Duce Photio Schiſma ab Eccleſia Latina fecerunt, docentes Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere, quibus ſucceſſive alias addidere hæreſes. De Græcis jam aliquid dictum §. præc. Nota F.

340. Hoc Sæculo IX. tantum unum fuit Concilium generale celebratum, nempe Conſtantinopolitanum IV. Oecumenicum VIII. & in Oriente ultimum. Fuit legitime convocatum a Baſilio Imperatore, expreſſe conſentiente Adriano II. Papa, & ei per Legatos præſidente. Interfuere 102. Epiſcopi. In hoc Photius, qui expulſo Ignatio a Sede Conſtantinopolitana, eam ſedem invaſerat, fuit depoſitus, & Ignatius reſtitutus. 2. Sunt editi varii canones ad diſciplinam ſpectantes. Fuit perfecte œcumenicum, quia legitime convocatum, celebratum, finitum, & approbatum; nam omnes Patriarchales Eccleſiæ ei ſubſcripſere, teſte Baronio, Binio, & aliis, & Adrianus ſummus Pontifex illud confirmavit.

Concilia particularia plura ſunt celebrata in hoc ſæculo, quorum mentio hinc inde jam eſt facta, & forte adhuc fiet.

§. IV.

Scriptores & Patres hujus Sæculi.

341. S. Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus floruit tempore Leonis III. Papæ, ad quem anno 811. miſit Epiſtolam admodum prolixam, exſtantem tom. 9. Annalium Cardin. Baronii: ſcripſit quoque Chronicon, inveniendum in Bibliotheca SS. PP. nec non quatuor opuſcula contra Iconoclaſtas, reperienda apud Henricum Caniſium tom. 4. antiquæ lect. His, & aliis glorioſe pro Eccleſia præſtitis, vir vere Sanctus fidei cauſa in exilio obiit anno 828.

Usuardus Gallus, Monachus, Alcuini Discipulus, jussu Caroli Magni scripsit Martyrologium valde accuratum, quo multæ Ecclesiæ fuerunt usæ.

S. Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis, florens tempore Caroli Magni, scripsit post S. Marcellinum Epistolam insignem de vita, & miraculis S. Suitberti, quæ legi potest apud Surium die 1. Martii. Fertur quoque scripsisse res gestas S. Bonifacii Episcopi & Martyris, ac Germaniæ Apostoli.

Aponius vir doctus floruit circa annum 812. scripsit in Cantica Canticorum. Opus hoc exstat in Bibliotheca SS. PP. tom. 1.

Paschasius Ratbertus Abbas Corbejensis vixit tempore Paschalis I. & Ludovici Imperatoris. Hic vir primus fuit, qui serio, & copiose scripsit de veritate Corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistia. Liber hic exstat in Bibliotheca SS. PP. tom. 6. Edit. 2. Præterea scripsit vitam S. Adelardi Abbatis, quæ est apud Surium die 2. Januarii: scripsit quoque librum in Threnos Hieremiæ editum Coloniæ anno 1532.

Claudius Scotus, vivens tempore Ludovici Pii Imperatoris circa annum 815. fertur scripsisse in Matthæum, Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, Judices, & Ruth. An autem hæc opera supersint, ignoratur.

Jonas Episcopus Aurelianensis sub eodem Imperatore Ludovico, scripsit libros tres adversus Claudium Episcopum Taurinensem pro defensione SS. Imaginum, signi S. Crucis, & peregrinationum ad loca sancta. Hic tamen Author legatur caute; etenim versatur in errore eodem, quo Abogardus, & cæteri ejus temporis Galli, qui negabant SS. Imaginibus ullum deberi cultum religiosum. Qua de re videatur Anastasius Bibliothecarius Præfat. in VII. Synodum.

342. S. Theodorus Studita, vir potens opere & sermone, pro cultu SS. Imaginum, & adversus hæresin sustinentem, adulterium posse fieri licitum per dispensationem, usque ad carceres, exilia, & supplicia varia pugnavit. Scripsit 1. Epistolas plurimas, supra 200. utilissimas, & doctissimas, quarum duæ leguntur in Bibliotheca SS. PP. tom. 3. Edit. 2. Invenitur quoque apud Surium 16 Septembris vita S. Platonis Abbatis Decessoris sui a S. Theodoro Studita conscripta: supersunt etiam Catecheses & Homiliæ hujus Sancti editæ Antverpiæ, & Oratio de Cruce in 2. tomo Jacobi Gretseri S. J.

Halitgarius Cameracensis vixit tempore Ludovici Pii: scripsit libros quinque de vitiis, & virtutibus, & ordine pœnitentium, reperiendos apud Henricum Canisium tom. 5. part. 2. antiquæ lect.

Amalarius

Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis floruit pariter tempore Ludovici Pii, cui libros ſuos dedicavit: ſcripſit libros quatuor de Eccleſiaſticis officiis: item librum de ordine Antiphonarii.

Freculphus Monachus S. Benedicti, poſtea Epiſcopus Lexovienſis ſub Ludovico Imperatore floruit. Scripſit ad Juditham Ludovici conjugem libros quinque Hiſtoriæ univerſalis ab orbe condito uſque ad annum Domini 600. In eo autem deceptus eſt, quod ſcripſit tom. 2. L. 4. c. 20. Gothos ab Arianis ad fidem Chriſtianam fuiſſe converſos; perhibet enim Theodoretus L. 4. Hiſt. c. ult., Gothos ab Ulphila Epiſcopo fidem catholicam fuiſſe edoctos, ſed poſtmodum & ipſum Ulphilam. & ejus populos ab Arianis fuiſſe ſeductos; neque enim hæretici Paganos convertere, ſed Catholicos pervertere norunt, ut ſcribit Tertullianus L. de Præſcriptionibus.

343. Theodulphus Floriacenſis Abbas, deinde Epiſcopus Aurelianenſis floruit tempore Ludovici Pii. Scripſit multa verſibus, & ſoluta oratione: eſt author carminis, quod canitur die Palmarum: *Gloria, Laus, & Honor tibi ſit Rex Chriſte Redemptor* &c. Multa alia ejusdem carmina leguntur in Biblioth. SS. PP. tom. 8. Edit. 2.

Rabanus Maurus, natione Germanus, Abbas Fuldenſis, & ex Abbate Epiſcopus Moguntinus, ſcripſit multa metro & proſa, ut: Commentarios in univerſam S. Scripturam utriuſque Teſtamenti: item libros tres de inſtitutione Clericorum: item opus admirabile tam ſoluta, quam ligata oratione de laudibus S. Crucis, quod, ſcriptum ad Gregorium quartum, miſit ad ejus mortui Succeſſorem Sergium: inſuper & Commentarium in Threnos, qui ab aliquibus tribuitur S. Hieronymo, ſed Rabani eſt.

Strabus Fuldenſis Monachus, Rabani Diſcipulus, ex Magiſtri operibus depromens expoſitiones Scripturarum, compoſuit Gloſſam, ſcilicet ordinariam dictam, in Scripturas utriusque Teſtamenti, quæ a poſterioribus aucta, & ornata fuit.

Simeon Metaphraſtes vixit paulo ante annum Domini 859. Scripſit vitas Sanctorum per ſingulos menſes, quæ latinitate donatæ inveniuntur apud Aloyſium Lipomanum, & ex parte apud Surium: ſcripſit tamen additis multis ex proprio ingenio, non prout res geſtæ fuerunt, ſed ut geri veriſimiliter potuerunt. De quo videatur Bellarminus in Metaphraſte de Script. Eccleſ. pag. mihi 161.

344. S. Nicolaus I. Papa, de quo jam in Catalogo Pontificum Romanorum, ſcripſit Epiſtolas plurimas, inveniendas ſeorſim ab aliis Pontificiis Epiſtolis, in uno magno volumine impreſſas. Earum præcipua eſt ad Michaelem Imperatorem, quam Anaſtaſius Bibliothe-

carius in ejus Vita teſtatur ab ipſo Pontifice compoſitam: cum ergo reliquæ ſtylo ab illa minime ſint diverſæ, ſequitur, ut omnes ab eodem ſint conſcriptæ, & non ab aliis, qui erant eidem a ſecretis.

Photius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, homo magnæ eruditionis, ſed majoris nequitiæ, ſcripſit Nomocanonem, qui exſtat cum interpretatione Balſamonis: ſcripſit etiam ingentem Bibliothecam. De ejus ambitione, & Schiſmate jam ſparſim aliqua ſunt adducta.

Nicætas, cognomine David, fideliter ſcripſit Vitam S. Ignatii Epiſcopi Conſtantinopolitani, acriter a Photio vexati, qui & hujus, ſeu Photii, vitiis non parcit. Habetur hæc Vita græce & latine Romæ impreſſa cum VIII. Synodo generali.

Anaſtaſius Bibliothecarius, & Abbas Romanus, vir latine & græce doctus, ſcripſit vitas Pontificum a S. Petro uſque ad Nicolaum I. Scripſit latine Concilia generalia VII. & VIII. cui ultimo ipſe interfuit: in latinam quoque linguam transtulit Vitam S. Joannis Eleemoſynarii.

Hincmarus Epiſcopus Rhemenſis floruit tempore Nicolai I. ad quem ſcripſit, & a quo ſæpe literas accepit. Extant hujus Epiſtolæ, quarum plures exaravit ad alios quoque, excuſæ Moguntiæ anno 1602. Vitam etiam, & encomium S. Remigii ſcripſit, de quibus vide Surium 1. Octobris.

Remigius Antiſiodorenſis Monachus floruit circa annum 890. habitus ſua ætate doctiſſimus. Scripſit 1. Commentarios in Pſalmos ex SS. PP. Auguſtino & Ambroſio multa depromens. 2. In Duodecim Prophetas. 3. De divinis officiis: quæ opera impreſſa exſtant. 4. Scripſit expoſitionem Miſſæ, legendam in Bibliotheca SS. PP. tom. 6. Edit. 2. Scripſit & alia, de quibus, an ſuperſint, dubitatur.

Ambroſius Ansbertus eodem tempore ſcripſit in Apocalypſin, Pſalmos, & in Cantica Canticorum.

Sæculum X.

345. Ad initium hujus Sæculi quædam præmittere liceat ex Annotationibus Sandini in Vita Leonis V. pag. 414. Ita ſcribit ille: „*Baronius ad an. 907. §. 2.* Sunt hæc plane tempora, inopia ſcriptorum „obſcura, & tyrannide Sedem Apoſtolicam invadentium tetra. *Bellarminus Præfat. in Libros de Rom. Pont.* Ne forte putaremus ob vi„tam incorruptam, & mores integerrimos ſummorum Pontificum „tamdiu ſtetiſſe hanc Sedem, permiſit ad extremum Deus, ut etiam

„quidam

„ quidam parum probi Pontifices aliquando hanc Sedem tenerent,
„ & regerent. Quales ſane fuerunt Stephanus VI. qualis Leo V.
„ Chriſtophorus I. Sergius III. Joannes XII. aliique non pauci, ſi vera
„ ſunt, quæ de eorum vita, & rebus geſtis apud Hiſtoricos eorum
„ temporum ſcripta leguntur.“

„ Itaque nihil eſt, quod Hæretici tantum laborent in quorum-
„ dam Pontificum vitiis conquirendis. Nos enim agnoſcimus, & fa-
„ temur, ea fuiſſe non pauca: ſed tantum abeſt, ut iis gloria hujus
„ Sedis obſcuretur, vel minuatur, ut iisdem potius vehementer cre-
„ ſcat, & amplificetur. Hinc enim intelligimus, non humano conſi-
„ lio, prudentia, viribus Romanum Pontificatum tamdiu conſiſtere,
„ ſed quia hæc petra ita a Domino roborata, divinitus fundata, An-
„ gelorum cuſtodiis ſepta, ſingulari Dei providentia, & protectione
„ munita eſt, ut adverſus eam portæ inferorum nullo modo præva-
„ lere poſſint, ſive illis portis perſecutio Tyrannorum, ſive rabies
„ Hæreticorum, ſive Schiſmaticorum furor, ſive ſcelera & flagitia
„ deſignentur.“

Hic etiam addi petunt, quæ Mabillonius in Præfat. ad Sæcu-
lum V. Benedictinum §. 1. n. 9. ſcribit, & Sandini in Vita Chriſto-
phori refricat annot. 1. pag. 416. „ Noſtri temporis Novatores pra-
„ vis quorumdam Romanorum Pontificum exemplis abutuntur ad impu-
„ gnandam Eccleſiæ incorruptam veritatem, & unitatem. Quales-
„ cunque fuerint Pontifices illi, *quibus objiciunt pro ſua diſſenſione, quod*
„ *volunt, nihil præjudicat Eccleſiæ Catholicæ, toto terrarum orbe diffuſæ. Nul-*
„ *lo modo eorum innocentia coronamur: nullo modo eorum iniquitate damnamur.*
„ Ita loquebatur Auguſtinus *de unico Baptiſmo cap.* 16. in cauſa Donati-
„ ſtarum, ita & nobis loqui licet in cauſa Novatorum. Manet ſem-
„ per eadem Eccleſiæ veritas. *Quisquis ab hac unitate vento ſuperbiæ, tan-*
„ *quam ſola palea ſeparatur, areæ dominicæ propter commiſtam paleam quid ca-*
„ *lumniatur?* ſubjicit Auguſtinus.

„ Tertullianus de Præſcript. adverſ. Hæretic. cap. 3. *Soli Dei*
„ *Filio ſervabatur ſine delicto permanere. Quid ergo, ſi Epiſcopus, ſi Diaco-*
„ *nus —— lapſus a regula fuerit, ideo hæreſes veritatem videbuntur obtinere?*
„ *Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?*“ His obſervatis ſit

§. I.

Series Romanorum Pontificum hujus Sæculi.

I. alias 120. Leo V. e Villa Priapi, agri Ardeatini in Latio, 346.
Benedictinus, creatus anno 903. ſedit menſe uno, diebus 9. coactus

ſe abdicavit Pontificatu: traditur a Chriſtophoro familiari ſuo, ac Presbytero in carcerem conjectus, ubi teſte Flodoardo de Romanis Pontificibus

Emigrat ante, ſuum quam Luna bis impleat orbem.

II. alias 121. Chriſtophorus Romanus comprehenſo Leone V. ſe Pontificem fecit eodem anno ad finem Novembris: ſedit menſes circiter ſeptem, dum, qui alium expulerat, ipſe a Sergio authoritate Marociæ conjugis Ducis Thuſciæ fuit ejectus: & primo Cœnobium inire coactus, dein inde extractus, & in carcerem truſus, miſera morte fuit extinctus, ut Ciaconius narrat apud Sandini.

III. alias 122. Sergius III. Benedicti filius Romanus, ac Romanæ Eccleſiæ Presbyter, qui Theodoro II. jam ſuffectus, ſed mox iterum Sede ſua pulſus erat, nunc fultus factione Adelberti Thuſciæ Marchionis, Chriſtophoro dejecto, Pontificatum anno 904. adeptus, & ineunte menſe Junio conſecratus eſt: ſedit annos 7. menſes 3. obiit anno 911. circa finem Auguſti. Notæ (A) & (B)

Schiſma XIV.

Inter Leonem V. Chriſtophorum, & Sergium III. videatur Nota (A)

IV. alias 123. Anaſtaſius III. Luciani filius, Romanus, creatus anno 911. poſt unum, aut alterum a Sergii III. morte diem, ſedit annis duobus, ac totidem fere menſibus, mortuus anno 913. dimidio menſis Octobris jam exacto. De hoc Platina ait, *modeſte & integre vixit, neque in ſe quidquam habuit, quo reprehendi poſſet.*

V. alias 124. Landus, Trani filius, Sabinus, creatus anno 913. circa diem 16. Octobris, ſeu, ut alii putant, ante menſem Februarium anni inſequentis, ſedit menſes 6. & dies 10. mortuus anno 914. Nota (C)

VI. alias 125. Joannes X. Romanus, Joannis filius, Ravennæ Epiſcopus, favore Theodoræ ad ſummum Sacerdotium evectus, conſecratus eſt anno 914. menſe Aprili exeunte. Decimo quarto Pontificatus ſui anno exacto, inſtinctu Maroziæ, quæ non ſecus ac Mater Theodora Romæ dominabatur, in carcere extinctus eſt anno Domini 928. Sic (ita loquitur Hieronymus Rubeus L. 1. Hiſt. Ravennatis pag. 255.) *quem fœminæ ſtudium extulit, odium fœminæ abſtulit.* Nota (D)

VII. alias 126. Leo VI. conſecratus eſt anno 928. ſub exitum Junii: a ſeditioſis in carcerem truſus, anno inſequente mortuus eſt circa

circa diem tertium Februarii, Pontificatus sui menſe ſeptimo, & die quinto: unde dicit Flodoardus:

— Celſa Petri ſextus Leo regmina ſumens,
Menſibus hæc ſeptem ſervat, quinisque diebus.

VIII. alias 127. Stephanus VII. Romanus, Theudemundi filius, ſtatim ſubrogatus in locum Leonis VI. ſedit annos 2. menſem 1. dies 12. mortuus anno 931. circa diem decimum quintum Martii, *cujus vita*, ut Platina refert, *manſuetudinis, & religionis plena fuit.*

IX. alias 128. Joannes XI. Maroziæ filius, quem ex Sergio III. Papa meretrix ipſa genuerat, Pontifex anno 931. circa 15. Martii conſtitutus potentia Vidonis Thuſciæ Provinciæ Marchionis, cui Marozia nupſerat: ſedit annis 4. menſibus ferme 10. mortuus anno 936. Nota (E)

X. alias 129. Leo VII. Romanus, vir pius, reluctans anno 936. Pontifex creatus, & ante diem nonum Januarii conſecratus, ſedit annos 3. menſes 6. & dies 10. obiit anno 939. circa diem duodevi-ceſimum Julii. Nota (F)

XI. alias 130. Stephanus VIII. Germanus (a Ciaconio dicitur in Germania educatus) erat ſubrogatus Leoni VII. circa diem 18. Julii: ſedit annos 3. menſes 4. & dies 15. mortuus anno 942. menſe Decembri ineunte. Nota (ff)

XII. alias 131. Marinus II. alii dicunt Martinum III. Romanus, Stephano ſuffectus eſt ante diem 4. Februarii anni 943. ſedit annos 3. menſes 5. mortuus anno 946. menſe Junio.

XIII. alias 132. Agapetus II. Romanus, ſucceſſit Marino II. eodem anno, & menſe: ſedit annos 10. & menſes duos: dein poſt plura egregia geſta vitam finiit poſt diem 20. Auguſti anno 956.

XIV. alias 133. Joannes XII. Octavianus antea dictus, ſuggerentibus ſibi Romanis, ideſt, ut Baronius inquit, malorum conſilio ſummum Pontificatum vſurpat, anno 656. poſt diem 20. Auguſti conſecratus: ſedit annos ſeptem, menſes ferme novem, mortuus anno 964. 14. Maji. Nota (G)

XV. allias 134. Benedictus V. cognomine Grammaticus, R. E. Diaconus, ſine conſenſu Imperatoris, contra, quam juraverant Romani, electus, circa 15. menſis Maji anno 964. ſedit modico tempore, ut ex Nota (H) patebit: mortuus eſt anno 965.

Schiſma XV.

Fecit Leo dictus VIII. contra Joannem XII. & Benedictum V. fretus, & adjutus authoritate Ottonis I. Imperatoris, adverſus quos ſedit anno 1. menſibus 3. diebus 11. Nota (I)

XVI. alias 135. Joannes XIII. Romanus, Epiſcopus Narnienſis Ottone aſſentiente anno 965 creatus, ſedit annos 6. menſes 11. & dies 5. mortuus anno 972. 6. Septembris. Nota (K)

XVII. alias 136. Benedictus VI. Hildebrandi filius Romanus creatus anno 972. poſt diem duodetrigeſimum Novembris, a nequiſſimo Cardinali Francone anno 974. in carcerem conjectus, & jugulatus eſt. Franco iſte Pontificatum uſurpavit ſub nomine Bonifacii VII. ſibi autem metuens, menſe vix exacto, expilata Vaticana Eccleſia, Conſtantinopolim profugit.

Schiſma XVI.

Quod fecit Pſeudo-Papa Franco ſub nomine Bonifacii VII. de quo mox dictum.

XVIII. alias 137. Donus II. Romanus, creatus Pontifex anno 974. favore Comitum Tuſculanorum, ſtatim inſequente anno mortuus eſt.

XIX. alias 138. Benedictus VII. Davidis filius, Romanus, Epiſcopus Sutrinus, creatus anno 975. ante 25. menſis Martii, ſedit annis amplius novem: poſtquam Romæ duo celebravit Concilia, in quorum altero Pſeudo-Papam Bonifacium VII. damnavit, obiit anno 984. 10. Julii.

XX. alias 139. Joannes XIV. Petrus antea vocatus, Epiſcopus Ticinenſis, creatus anno 984. anno inſequente a Pſeudo-Pontifice Bonifacio VII. Conſtantinopoli reverſo in cuſtodiam arcis Hadrianæ incluſus, fame, aut veneno periit poſt octo circiter menſium regimen. Itaque Bonifacius VII. nece duorum Pontificum infamis, Sedem Apoſtolicam rurſus invaſit: ſed eodem anno repentina morte periit.

Eodem anno antiqui Scriptores memorant, neſcio, quem Joannem filium Roberti electum eſſe Pontificem, & mortuum fuiſſe: non tamen ſolet annumerari Romanis Pontificibus, tum quia nunquam fuit conſecratus, tum quia cenſente Pagio, probabilius verus Pontifex non fuit.

XXI. alias 140. Joannes XV. Romanus, filius Leonis poſtea Presbyteri, creatus anno 985. menſe Decembri, ſedit annos 11. In armis

armis eruditissimus, multos etiam libros composuit: S. Udalricum coacto Romæ Concilio in Sanctorum numerum solemniter retulit: obiit anno 996.

XXII. alias 141. Gregorius V. Germanus, Bruno antea appellatus, Ottonis affinis, creatus anno 996. quo die, ignoratur: sedere tamen certo cœpit ante diem postremum Maji; eo enim die, qui Pentecostes erat, Ottonem III. Imperatorem rite constituit. Nota (L) Sedit autem annos 2. & menses amplius 8. mortuus anno 999. 18. Februarii.

XXIII. alias 142. Silvester II. natione Aquitanus, Gerbertus antea dictus, primo Remorum, dein Ravennatium Archiepiscopus, creatus adjutore Ottone III. cujus erat Præceptor, anno 999. 2. Aprilis, sedit annis 4. mense 1. & diebus 9. mortuus anno 1003. 11. Maji. Nota (M)

§. II.

Notæ Historicæ, & quædam Hæreses.

(A) Sergius III. Acta Formosi confirmata per Theodorum II. & Joannem IX. ex vetere in eum odio omnia infecta esse jussit. Improbabile autem censetur, quod ab aliquibus traditur, Formosi cadaver post annos viginti Sergii jussu iterum e sepulchro extractum esse. Eidem Sergio impudicam consuetudinem fuisse cum Marozia, & ex illa filium genuisse Joannem nomine, Luitprandus refert. 347.

(B) Adducere oportet hic objectionem, & solutionem Bellarmini de Rom. Pont. l. 4. c. 12. ubi ita argumentatur: *Ex his Pontificibus* (scilicet Formoso, Theodoro, & Joanne ex una parte, & Stephano, ac Sergio ex altera parte) *inter se contrariis, necessario aliqui errant, ut observarunt Magdeburgenses.* Verum respondet Cardinalis laudatus: *errasse Stephanum VI. & Sergium III. sed in quæstione facti, non juris, & malo exemplo, non falsa doctrina.*

(C) Landus allaborante Theodora Joannem, quem adamabat, ex Presbytero Episcopum Bononiensem constitutum, ad Ravennatem Ecclesiam transtulit. De qua re notari debent, quæ Baronius ad annum 908. & ex ipso Sandini in Vita Landi habet Nota 1. *Erat ista Romana fœmina senatoria orta progenie, excellens pulchritudine, ingenio versatissima, consuetudine Adelberti Tusciæ Marchionis potentissimi procacissima, ex quo etiam genuit filias* Maroziam, atque Theodoram sibi non solum æquales, verum etiam Veneris exortivo promptiores, ut ait Luitprandus lib. 2. cap. 13. *Ex adulteri potentia sibi peperit Monarchiam.* *Nam*

Nam cum munitio Sancti Angeli inexpugnabilis possideretur ab eodem Tusciæ Marchione, & qui ea potiretur, Urbi quoque dominari facile posset: hæc pessima fœmina ea arte Dominium Urbis est consecuta, illudque in posteros propagare curavit, filias prostituens Pontificibus Sedis Apostolicæ invasoribus, & Tusciæ Marchionibus; ex quibus tantarum invaluit meretricum imperium, ut pro arbitrio legitime creatos dimoverent Pontifices, & violentos, ac nefarios homines, illis pulsis, intruderent. Ex quo facile patet, quam infelix tunc temporis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fuerit status.

(D) De Joanne X. habet Sandini, quod partum arte mala Pontificatum haud male gesserit. Baronius vero ad annum 915. §. 3. de eo sic loquitur: *Quod ad Joannem Papam nuncupatum spectat, potuit contigisse, ut qui invasor, fur, & latro ingressus erat, accedente Cleri consensu, haberi cœperit legitimus Romanus Pontifex: cujus quidem rei argumento sunt legationes ex diversis orbis partibus ad eum missæ; magis vero cultus fuit, cum ejus opera Saraceni, ita ut audisti, sunt extincti.* Porro Saraceni quadraginta jam annis, maximo totius Italiæ damno atque periculo arcem Garilianam ad ostium Liris, & Latii fines positam tenebant, quos Joannes Constantini Porphyrogeniti, Berengarii, aliorumque Principum fretus auxiliis, in primis vero Apostolorum Petri & Pauli ope adjutus, tanta affecit clade, ut ad unum omnes cæsi, aut capti fuerint.

(E) De Vita Joannis XI. hæc notanda veniunt, quæ Sandini refert his verbis: "Sui Juris (Joannes) nunquam fuit. Nam modo „paruit imperio matris, modo vitrici Hugonis Regis Italiæ, qui cum „Marozia, mortuo Vidone marito, fratre Hugonis uterino, ince„stum matrimonium contraxerat: tandem in custodia habitus est ab „fratre Alberico, Vidonis & Maroziæ filio, qui Hugone extincto, „Romæ tyrannidem occupaverat. Hinc cum Alberici, quam Joan„nis authoritatem, vimque majorem esse, cognovisset Romanus La„capenus Constantini VIII. jam ab anno 919. in Imperio Orientis col„lega, Albericum sibi, & filio suo Theophylacto, quem constitue„rat Patriarcham Constantinopolis, studuit demereri. Itaque missis „ei muneribus satis magnis effecit, ut ex Papæ nomine Theophylacto „Patriarchæ literæ mitterentur, quarum authoritate cum ipse, tum „Successores ejus absque Paparum permissu palliis uterentur. Ex „quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solum Pa„triarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ palliis utantur.„

(F) Leo VII. magnam habet laudem: sic enim de eo canit Flodoardus coævus tom. 3. Script. Rer. Ital. part. 2. pag. 324.

Septimus exurgit Leo, nec tamen ista volutans,
Nec curans, apicis mundi nec celsa requirens,

Sola

Sola Dei quæ sunt, alacri sub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata subire renutans.
Raptus at erigitur, dignusque nitore probatus
Regminis eximii, Petrique in sede locatur.
Sed minime assuetam linquit decoramine curam,
Deditus assiduis precibus, speculamine celsus,
Affatu lætus, sapiens, atque ore serenus.
Qui me visentem ætherei pia limina Petri
Jucunde excipiens, &c.

(ff) Scribunt aliqui, Stephanum VIII. per suffragium populi, non admissis Cardinalibus, electum fuisse: addunt, ob id invisum Alberico, ejusque factionis hominibus, ita deformatum fuisse inhonestis in facie vulneribus, ut in conspectum civium prodire erubesceret.

(G) Joannes XII. ab initio a partibus Ottonis pendens, & ab hoc plurimum adjutus: post vero ab Imperatore alienatus, favere cœpit Adelberto, ejusque partes adversus Imperatorem tueri. Ludificatus, ideoque ira incensus Otto infesto exercitu Romam proficiscitur. Joanne fuga elapso, Romani Imperatorem suscipiunt, jurejurando polliciti, nullum se exinde Pontificem, nisi Imperatore assentiente electuros. Tribus post diebus coacto in æde S. Petri conventu Episcoporum, Joannem accusatum de criminibus gravissimis, extraquam hæresi, exuit Pontificatu, inque locum ejus Leonem VIII. subrogat. Hic post menses duos a Romanis expulsus, & Joannes in locum suum restitutus. Haud diu tamen reddita potestate usus est. Vixdum enim celebrata Romæ Synodo damnarat habitum ab Ottone conventiculum, & Pseudo-Pontificem Leonem, moritur.

De hoc insuper Pontifice apud Sandini pag. 436. Baronius ad annum 955. §. 4. ita loquitur: Schismatis *vitandi causa, utpote mali omnium pessimi, universa Catholica Ecclesia eum est venerata Pontificem, minoris sciens esse mali, monstrosum quantumlibet caput ferre, quam duobus capitibus infamari, & secari corpus unum in duo.*

(H. & I.) Cum Romani sine consensu Ottonis contra suum jusjurandum elegerint Benedictum, Otto Romam cum exercitu perjurii ultor accessit. Restitêre illi aliquamdiu: victi deinde fame, Benedicto in potestatem Imperatoris tradito, Leonem VIII. cui ille impense favebat, susceperunt. Leo, coacto sine mora Concilio, Pontificatum Benedicto abrogavit: quem Otto secum in Germaniam abductum, Adaldago Hamburgensium Archi-Episcopo custodiendum tradidit. Illic magno in honore ab Archi-Episcopo habitus, mansit ad mortem usque. Est autem mortuus anno 965. quo pariter anno Leo VIII. Pontificatu bis usurpato, parum diu potitus interiit. Ita Sandini.

Hæc etiam ex Sandini Nota 2. notanda ſunt: "Leo VIII. „quamvis legitimus Pontifex nunquam fuerit, ideoque in Pontifi- „cum numero habendus minime; antiquis tamen juxta, ac recenti- „bus ſcriptoribus ordine *octavus* dicitur, & qui poſtea ſecutus eſt, „Leo *nonus* omnium conſenſu appellatur. Vide Launojum l. 4. „Epiſt. 1.„

(K) Joannes XIII. quod Romanos elatiore, quam par erat, animo premeret, facta contra eum ſeditione a Rotfredo Urbis Præfecto Pontificatu exturbatus, Capuam ſe recepit, ubi primum in eadem civitate Archi-Epiſcopatum, a Pandulpho Capuano Principe, a quo benigne habitus fuit, rogatus inſtituit. Interea Romani audientes, Ottonem ad reſtituendum Pontificem in Italiam cum exercitu properare, metu perculſi Joannem revocant. Nec tamen propterea eum exturbaſſe impune ipſis fuit; ſiquidem Imperator, ne & alii deinceps talia auderent, ſeditionis principes capitis damnavit. Rebus ita compoſitis una cum Pontifice Ravennam ſe contulit, ubi Concilio habito, nedum eam urbem cum adjacente regione, ſed & complura alia, multis retro temporibus Eccleſiæ Romanæ ablata eidem reſtituit, & ſic Pontificem magna cum lætitia Romam remiſit. Polonorum quoque ad fidem Chriſti converſio inſignem fecit Joannis Pontificatum, ad quos confirmandos Ægidium Epiſcopum Tuſculanum legavit. Dicunt etiam aliqui, hunc Pontificem primum fuiſſe, qui ſacris ceremoniis campanam Eccleſiæ Lateranenſis conſecraverit: verum Joanne antiquiorem eſſe hunc ritum, teſtantur Bona L. 1. Rer. liturg. c. 22. §. 7. Rocca de Campanis c. 6. Edemundus Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus l. 2. c. 21.

(L) Gregorius V. habuit Ottone præſente Romæ Concilium, in quo Collegium Septemvirum Imperatori eligendo inſtitutum edunt non pauci: aſt de hac re audiri debent, quæ Sandini notat in Gregorio annot. 2. his verbis: "Dupinus de antiqua Eccleſiæ diſciplina Diſ- „ſertat. 7. c. 3. §. 3. dicit, *incertum eſſe, quomodo, & a quo ſeptem Electo-* „*res inſtituti fuerint. Sunt enim Scriptores, qui hanc Electorum inſtitutionem* „*tribuant Carolo Magno, ut Jordanes in Chronico: quæ ſententia niti videtur* „*authoritate Innocentii III. c.* Venerabilem. de Electione, & electi po- „teſtate. *Alii ejusdem inſtitutionis Germaniæ Principes authores faciunt: alii* „*eam Gregorio V. tribuunt, ut Blondus, Nauclerus, Platina* (Bellarminus „de Rom. Pont. l. 5. c. 8. & de Translatione Imperii l. 3. c. 1.) *& alii* „*Gregorio X, ut Aventinus* l. 5. Annal. Bojorum, *& Onuphrius in lib.* de „Comitiis Imper. *ubi ex profeſſo probat, hos ſeptem Electores non ante fata* „*Federici inſtitutos eſſe. Denique nonnulli eam partim Gregorio V. partim Ot-* „*toni*

„ toni III. partim Principibus Germaniæ tribuunt, quia cum hos omnes diverso „ modo hæc institutio diversimode tangat, ab omnibus approbari debuit. Atque „ horum sententiam præ cæteris Dupinus probat.

„ Natalis Alexander dissertat. 17. in Hist. Eccles. Sæc. IX. & X. „ *Sub Imperio Federici II. Germaniæ Principes jus eligendi Imperatorem Septem-* „ *viris detulere, qui deinceps soli Electores ab Historicis numerantur.* Alexan- „ drum sequitur Pagius ad annum 996. §. 13.

Ubi Otto in Germaniam profectus est, Gregorius a Crescentio Nomentano pellitur ex Urbe, suffecto in ejus locum Joanne Episcopo Placentinorum, qui Joannes XVI. vocabatur. Gregorius se Ticinum conferens, celebravit Concilium, & Crescentium anathemate feriit. Otto, audita expulsione Gregorii, descendit in Italiam, eum restituturus in Sedem suam. Itaque Otto, & Gregorius, uterque Romam proficiscuntur. Joannem Imperator multavit oculis erutis, & auribus, naribusque præcisis: Crescentium vero, qui se in arcem Hadrianam incluserat, captum capite plexit.

(M) Silvestrum II. infamavit Benno Cardinalis, tempore Gregorii VII. impudentissimus calumniator, ut ait Sandini; scribit enim, illum magicis artibus consecutum esse Pontificatum. At temeraria unius hominis vox eliditur laudibus, quas in Silvestrum congerunt scriptores æquales: item elogio illo, quod Sergius IV. sepulchro ejus inscribi fecit. Inter alia id etiam egregie gessit: S. Stephanum Hungarorum Ducem, qui eos ad fidem perduxerat, regio diademate donavit, jusque præferendæ Crucis non ei solum, sed etiam Successoribus concessit.

Hæresiarchæ hujus Sæculi.

1. *Sacramentarii* Berengario Duce: qui primum docebat, Christi corpus non existere in Eucharistia, nisi figurate: ast, cum postea hunc errorem revocasset, docuit, substantiam panis remanere cum corpore Christi, addiditque, solos adultos esse baptizandos. 348.

2. *Simoniaci*, qui venditionem rerum sacrarum esse licitam, prædicabant. Concilium generale hoc sæculo nullum fuit habitum: de aliquibus particularibus jam fuit mentio facta: unde restant

§. III.

Soli Scriptores Ecclesiastici hujus Sæculi.

Hoc Sæculum ob inopiam Scriptorum merito obscurum appellatur: quod tamen vere illustravit Leo VI. hujus nominis Imperator, *Sapiens* jure vocatus; scripsit enim præclaram Epistolam ad Sara- 349.

cenorum Regem de Christianæ Fidei veritate, & Saracenorum impietate, ubi expressis verbis Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere asserit. Reperitur ista epistola in Bibliotheca SS. PP. tom. 3. Inveniuntur quoque in Bibliotheca Vaticana hujus Imperatoris Orationes multæ, quarum titulos, & unam integram refert Card. Baronius tom. 10. Annal. ad annum Domini 911. quo anno hic Leo mortuus est. Affert etiam Jacobus Gretserus S. J. Theol. tom. 2. de Cruce Orationem aliam ejusdem Leonis de Cruce.

Idiota, vero suo nomine suppresso dictus, vixit circa annum 906. scripsit insignem librum Contemplationum, & alium de Humilitate. Exstant in Bibliotheca SS. PP. tom. 5. Edit. 2.

Marcus Eremita scripsit multa opuscula Theologica, exstantia in Biblioth. SS. PP. tom. 5. Edit. 2. Verum observare oportet, quæ Bellarminus in hoc Marco notat: *Ea opera ita scatent erroribus contra fidem, ut suspicari cogar, vel ab hæreticis nostri temporis conficta, aut valde depravata fuisse: neque alia de causa hujus authoris memini, nisi ut admonerem, cautissime esse legendum: non enim desunt alii authores pii, qui sine tali periculo legi possunt.*

Rhegino Abbas Prumiensis scripsit duos Chronicorum libros ab adventu Domini usque ad annum nongentesimum octavum: sed continuavit alius Anonymus usque ad annum 967.

Radulphus Flaviacensis Monachus vixit anno 910. scripsit in Leviticum libros 20. qui impressi sunt Coloniæ an. 1536. scripsit etiam in Epistolas S. Pauli libros 14. seu tot, quot sunt Epistolæ D. Pauli.

Moses Barcepha, Episcopus Syrus, hoc sæculo florens, scripsit librum de Paradiso in partes duas divisum. Est autem caute legendus, quia plura asserit contra sanam Theologiam.

Sæculum XI.

§. I.

Pontifices hujus Sæculi.

350. I. alias 143. Joannes XVII. Romanus, cui *Sicco* cognomen, comitum Tusculanorum factione creatus anno 1003. sedit menses 5. dies 25. mortuus anno 1003. die 7. Decembris.

II. alias 144. Joannes XVIII. cognomine Fasanus, Romanus, anno 1003. 26. Decembris creatus, sedit annis 5. mensibus 5. mortuus anno 1009. prope exitum Maji.

III. alias 145. Sergius IV. Martini filius, Romanus, Benedictinus, antea Petrus dictus, Albanensis Episcopus, creatus anno 1009. sedit annos amplius duos, mortuus anno 1012. fuit effusa in pauperes liberalitate, aliisque virtutibus conspicuus. Quantum ad mutationem nominis hujus Pontificis, vide supra Num. 338. Nota D.

IV. alias 146. Benedictus VIII. Gregorii Comitis Tusculani filius, antea Episcopus Portuensis Joannes appellatus, creatus est anno 1012. sedit annis 11. mortuus anno 1024. 27. Februarii. Contra hunc

Schisma XVIII.

fecit Gregorius, nescio quis, a Romanis intrusus: sed fuit a S. Henrico Imperatore expulsus.

V. alias 147. Joannes XIX. cognomine Romanus, frater Benedicti VIII. creatus anno 1024. post diem 6. Junii, sedit annis 9. obiit an. 1033. Nota (A)

VI. alias 148. Benedictus IX. De hoc plura sunt commemoranda, sed pauca laudabilia: Ne quid plus, vel minus scribam, alieno utar calamo, & referam fideliter, quæ Sandini ex Baronio, & aliis probatis Scriptoribus adducit in ipsius Vita pag. 466. hisce verbis:

"Benedictus IX. Alberici Comitis Tusculani filius, nepos scilicet duorum Benedicti VIII. atque Joannis XIX. qui ei præcesserant, „puer ferme decennis, intercedente thesaurorum pecunia electus a „Romanis, anno 1033. Pontificatum obtinuit. Hunc Ecclesia studio „pacis tanquam Pontificem legitimum coluit: expulsumque a Romanis Conradus Imperator in pristinam dignitatem restituit. Eundem, „ut consuleret reipublicæ Polonorum, ducendæ uxoris potestatem „fecisse Casimiro Misseconis II. Poloniæ Regis filio, vitæ monasticæ „votis apud Cluniacenses jam obstricto, & Ordine sacro Diaconatus „initiato, scribit Joannes Duglossus. Cum duæ essent hoc tempore „Romæ factiones, altera Comitum Tusculanorum, altera Ptolomei „Romani Civis, hujus patrocinio freti Romani Benedictum multis „criminatum sede sua pellunt, & Silvestrum quemdam in locum ejus „statuunt: quem tamen postea Benedictus, quibusdam sibi faventibus, excommunicatum depulit, sedique suæ redditus, se ipsum postea privavit, & alium pro se ob avaritiam ordinavit, Joannem Gratianum videlicet, qui Gregorius VI. appellatus est. Ita modo usurpato, modo deposito Pontificatu annos ferme duodecim Benedictus „IX. exegit. Idem post mortem Clementis II. ope factionis suæ Pontificatum tertio occupatum tenuit menses 8, & Leone IX. demortuo

„comitia Pontificia turbavit; de quo cum nulla amplius uspiam fit „mentio, ut ait Baronius ad an. 1054. §. 54. existimari potest, ho„minem nefarium hoc eodem tempore finem vivendi fecisse.„ Ex quibus deducitur, hac ætate non defuisse Schismata. Videatur etiam nota (B)

VII. alias 149. Gregorius VI. Joannes Gratianus antea dictus, Archi-Presbyter S. Joannis ante portam latinam, Pontificatu, quem a Benedicto IX. anno 1044. acceperat, anno 1046. sponte se abdicavit in Concilio Sutrii pro tollendo Schismate. Traditur annos 2. & menses 8. sedisse. Ne vero aliquid ipso præsente Romæ innovaretur, ab Henrico deductus in Germaniam, ibi obiit.

VIII. alias 150. Clemens II. Saxonicus, antea Suidgerus, Episcopus Bambergensis, creatus fuit communi Cleri, & populi Romani, atque Episcoporum consilio, qui Sutrino Concilio aderant anno 1046. Dein una cum Imperatore iter in Germaniam suscepit: non tamen diu ibi remansit; siquidem anno 1047. regressus, Romæ, vel in partibus Romanis 9. Octobris obiit, Pontificatus sui mense 9. & die 15. cujus corpus Bambergam perlatum, ibique sepultum est.

Jam supra in Benedicto IX. dixi, post mortem Clementis eundem Benedictum, ope factionis suæ, Pontificatum tertio occupasse, & tenuisse menses octo.

IX. alias 151. Damasus II. Popo antea dictus, Bavarus, creatus an. 1048. 17. Julii, sedit diebus 23. mortuus 8. Augusti. Post mortem Damasi Benedictus IX. quarta vice sedem occupavit, & tenuit mensibus 5.

X. alias 152. S. Leo IX. Vir per omnia Apostolicus, regio genere clarus, sapientia, religione, & doctrina Ecclesiastica illustris, antea Bruno appellatus, Tullensium Episcopus, ab Henrico III. in Conventu Wormatiensi reluctans Pontifex designatus, ea tandem lege consensit, si electio confirmaretur a Clero, populoque Romano. Profectus Romam peregrini habitu, Urbemque ingressus nudis pedibus, electus est consensu magno, ac inauguratus 12. Februarii anno 1049. Sedit annos 5. menses 2. & dies 7. ac tandem celebratis compluribus Conciliis, damnatoque Berengario Diacono Andegavensi, qui pertinaciter negaverat, veram Corporis, & Sanguinis Christi substantiam in Eucharistia contineri, aliisque præclare gestis, ac variis perfunctus laboribus sancto fine quievit anno 1054.

XI. alias 153. Victor II. antea Gebeardus, Episcopus Aistettensis, Henrici III. Consiliarius, imo & Consanguineus, ut aliqui putant,

tant, fuit: creatus anno 1055. 13. Aprilis, ſequebatur Leonis IX. veſtigia, & præſentem Eccleſiæ ſtatum formare pergebat: obiit anno Domini 1057. 28. Julii. Pontificatus anno 2. menſe 3. ac die 15.

XII. alias 154. Stephanus IX. Gozzelonis Ducis Lotharingiæ filius, Federicus antea dictus, Abbas Caſſinenſis, creatus eſt anno 1057. die 2. Auguſti: ſedit menſibus 7. diebus 27. mortuus anno 1058. 29. Martii.

XIII. alias 155. Nicolaus II. antea Gerardus, Burgundus, Epiſcopus Florentinus, creatus anno 1058. die 28. Decembris, ſedit annos 2. menſes 6. obiit an. 1061. 22. Julii. Nota (C)

Schiſma XX.

Fecit Mincius ex Comitibus Tuſculanis, Anti-Papa Benedictus X. vocatus, qui a Nicolao fuit in Concilio Sutrino excommunicatus: ſed tamen, cum ſe ad pedes Nicolai pœnitens ſubmiſiſſet, ab eo ad communionem laicam fuit admiſſus. Quamvis Benedictus iſte nullum inter legitimos Pontifices locum obtineat, dicendus tamen eſt Benedictus X. Benedictus ſiquidem, qui initio ſæculi XIV. factus eſt Pontifex, Benedictus XI. voluit appellari. Errant itaque, qui Leonem VIII. verum Pontificem cenſent exinde, quia Leo, qui eum poſtmodum ſecutus eſt, Leonem ſe IX, non VIII. appellavit.

XIV. alias 156. Alexander II. Mediolanenſis, antea vocatus Anſelmus, Canonicus Regularis, Epiſcopus Lucenſis, creatus anno 1061. die 1. Octobris, ſedit annos 11. menſes 6. dies 20. mortuus an. 1073. 21. Aprilis. Hic approbavit congregationem Monachorum Camaldulenſium Ordinis S. Benedicti. Nota (D.)

Schiſma XXI.

Fecit Cadalous Pallavicinus, appellatus Honorius II. qui ab Alexandro fuit damnatus in Concilio Mantuano.

XV. alias 157. S. Gregorius VII. Hetruſcus, vel, ut alii cenſent, Romanus, antea Hildebrandus vocatus, S. R. E. Archi-Diaconus, cujus encomium, nunquam ſatis celebrandum, recenſeo diſertis Sandini verbis: Eum "commemorabili pietate, atque doctri-„na præditum, rebusque pro Eccleſia geſtis ſpectatiſſimum, anno „1073. X. Kal. Majas invitum, mœrentemque conſenſione una Cle-„rus, populusque in Alexandri II. locum cooptarunt. Hic ſtatim „miſit ad Henricum Regem Legatos de electione ſua, quam ille ap-„probavit, legavitque Romam Gregorium Epiſcopum Vercellenſem, „qui

„qui adesset consecrationi ejus. Post susceptum sacrum Presbytera„tus Ordinem III. Kal. Jul. Pontifex inauguratus est. Nullam aliam „priorem curam egit, quam ut Simoniacam labem, & Nicolaitarum „hæresim extingueret. Hinc magnum in odium pervenit Henrici „usurpantis sibi Simoniacas *investituras*, & Clericorum, qui Simoniæ „erant obnoxii, quique contendebant, licere sibi uxorem ducere. „Utrisque restitit constantia pari. Namque frequentibus Synodis, „veterum Pontificum, & canonum authoritatem secutus, edixit, „ne Clerici uxorem sibi adjungerent, ne Ordinis Sacramentum con„ferretur nisi professis cœlibatum perpetuum, neve quis interesset „sacris Sacerdotum, qui uxorem haberent. De Simoniacis ita de„crevit, *ut Clerici aliquem Sacrorum Ordinum gradum, & officium per pre„tium adepti nullatenus deinceps in Ecclesia ministrarent*, quique ab Laicis „Ecclesiæ *investituram* acciperent, & laici ipsi, qui darent, anathema„te plecterentur. Ob id ira crevit Henrico, arroganti sibi jus istius„modi. Ut eum leniret, & ab errore deduceret, nihil inexpertum „Gregorius reliquit. Summa erga ipsum humanitate per annos am„plius quinque usus est. Per epistolas, per Legatos, per matrem „ejus Agnetem admonuit, castigavit: ac tanquam medicus, qui sa„lutis causa remedia adhibet tristiora, percussit anathemate. Aman„tissimi parentis officio functus, experiri ultima statuit. Concilio „itaque Romæ habito, rursus ab communione Ecclesiæ sejunctum „privavit Regis titulo, & jurato Principum, ac populorum obsequio, „Regnum Henrico abrogatum affirmavit Rodulpho Sueviæ Duci a „Principibus Rege Germaniæ jam creato, missa ad eum regia coro„na, in qua erat sententia hæc:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

„Quod simul audivit Henricus, huc excessit ira ejus, ut habito Bri„xinæ conventu Episcoporum factionis suæ, Gregorium dejiceret „Pontificatu, & Guibertum Præsulem Ravennatem, diris ab eodem „Gregorio triennio ante devotum, substitueret, deductumque Ro„mam in Petri sede Clementis III. nomine per vim collocaret. Au„sum rem hanc novis execrationibus Gregorius prosecutus est, nec „morti proximus, quod tradidere quidam, sententiam in eum sæpius „latam abolevit. Regem insuper Boleslaum (ob necem illatam Sta„nislao Episcopo Cracoviensi) & Regnum Poloniæ omni honore, di„gnitate, & excellentia Regali privavit. Eodem tempore etiam in „hoc versata cura ejus, ut Berengarium traduceret ad bonam men„tem. Duabus enim Synodis anno 1078. & 1079. Romæ celebratis

„obtinuit,

„obtinuit, ut ille ſemel atque iterum hæreſim ejuraret, edita ſecun„da, ac tertia Catholicæ Fidei formula. Gregorio adverſus Hen„ricum Regem, quamvis propinquum ſuum, præſto fuit Mathildis „Comitiſſa, Romanæ Eccleſiæ filia, virilis animi conſtantiam te„nens; tantoque ei fortius reſtitit, quanto magis hujus aſtutiam, „& Papæ innocentiam noverat. Eidem & Sanctæ Romanæ Eccle„ſiæ Liguriam, & Tuſciam provincias devotiſſime obtulit. Anno „1085. VIII. Kal. Jun. mortuus eſt, tumulatusque Salerni, quo „confugerat, ut Henrici inſidias evitaret. Annos duodecim, men„ſem unum, & dies tres vigilantiſſimus Pontifex fuit, & in Martyro„logio Romano præcipuam habet laudem *propugnatoris, ac defenſoris „acerrimi Eccleſiaſticæ libertatis.*„ Huc usque Sandini.

Cum autem hic Sanctiſſimus Pontifex horrendum in modum detractionibus, & calumniis iniquiſſime dilaceretur, poſtea ejus innocentiam præter jam dicta ſuperius Num. 171. ex Sapientiſſimo, & Eruditiſſimo Pontifice Benedicto XIV. defendam. Videatur Nota (E)

Schisma XXII.

Fecit Guibertus (alii dicunt Gilgertum) de Corrigia, Archi-Epiſcopus Ravennatenſis, Clemens III. vocatus, contra Gregorium VII. electus ab Epiſcopis Henrico adhærentibus: ſedit contra Gregorium VII. Victorem III. Urbanum II. & Paſchalem II. annis 21. & diebus aliquot, mortuus Romæ in arce S. Angeli anno 1101. menſe Septembri.

XVI. alias 158. Victor III. Benedictinus, Abbas Caſſinenſis creatus anno 1086. 24. Maji unanimi omnium conſenſu, anno primum inſequente multis rationibus & orationibus coactus vix tandem electioni conſenſit, & Pontificatum acceptavit, conſecratus 9 Maji anno 1087. eodemque mox anno 16. Septembris mortuus, poſtquam ſedit annum 1. menſes 3. dies 23. Approbavit Congregationem Vallis Umbroſæ ex Ordine S. Benedicti.

XVII. alias 159. Urbanus II. Gallus, antea Otto Epiſcopus Oſtienſis, creatus anno 1088. 12. Martii, ſedit annos 11. menſes 4. dies 18. mortuus Romæ anno 1099. 29. Julii.

XVIII. alias 160. Paſchalis II. Hetruſcus, Rainerius antea dictus: Presbyter Cardinalis, creatus an. 1099. 14. Auguſti, ſedit annos 18. menſes 5. & dies 7. mortuus an. 1118. 21. Januarii. Hic contra tres Pſeudo-Pontifices ab Henrico IV. alium poſt alium Clemente mortuo ſibi oppoſitos ſtetit impavide.

§. II.

Notæ Historicæ.

351. (A) Joanne XIX. regnante (ut Sandini obſervat pag. 464.) novum jus tentatum a Græcis, ut cum conſenſu Romani Pontificis liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo Orbe, ſicuti Romana in univerſo, univerſalem dici, & haberi. Qui ſtatim miſerunt, qui deferrent multa, ac diverſa donorum xenia Romam, tam Pontifici, quam cæteris, quos ſuæ parti favere conſpicerent. Sed nequaqam impetrarunt, quod volebant. Non enim poteſt falli ſumma Veritas, quæ reſpondit: Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Inde priſtina revixit inter Græcam, & Latinam Eccleſiam diſcordia.

(B) Baronius ad annum 1033. hæc, præter jam ſuperius dicta, notat. §. 6. "Quod mireris, tanta tunc vigebat obſervantia to- „to Catholico orbe erga Romanam Eccleſiam, ut quemcunque audi- „rent throno inſidere Petri, colere eum, & venerari non detrecta- „rent, cum non ipſum ſedentem, ſed eum, cujus vice ſederet, in „primis attenderent.„ Et §. 7. "Quod pertinet ad ætatem, cum te- „ſtetur de ipſo Petrus Damiani, ab exordio ſuæ creationis usque ad „finem ſemper luxuriis inquinatum; plane poſſumus intelligere, haud „adeo puerum adhuc impuberem fuiſſe, cui ex natura puritas ineſt; „ſed ejus ætatis, qui ſtimulis concupiſcentiæ urgeretur. Sane qui- „dem Hermannus contractus, qui hoc ipſo ſcribebat tempore, dum „hoc anno agit de obitu Joannis, & Benedicti ſubrogatione, de ejus „ætate nihil: quod non tacuiſſet, ſi adeo impar tanto oneri ſubeun- „do fuiſſet: ſed hæc tantum habet: *Defuncto Joanne, Benedictus, qui* „*& Theophylactus, ordinatus, licet indignus tanto ordine moribus & factis,* „*ſedit annis plus duodecim.*„ Hæc Baronius cit. loco.

(C) Nicolaus II. nihil egit intentiore cura, quam ut *Simoniacos*, qui interdicta ſacrorum commercia, & *Nicolaitas*, qui prohibita Clericorum connubia defendebant, reduceret ad officium, errorem- que eriperet Berengario, qui mutaverat mentem, & Euchariſtiæ Sacramentum rurſus oppugnabat. Atque ideo habito Romæ Concilio Epiſcoporum, multa ſtatuit ad Simoniacos, & Nicolaitas eliminandos, concluſitque, ut Berengarius libros propriæ hæreſis in conſpectu totius Synodi manu propria concremaret, & errore abnegato, Catholicam Profeſſionem, quam in Turonenſi Concilio fecerat, ſub jurejurando iterum renovaret. De hoc Pontifice S. Petrus Damiani l. 3. Epiſt. 4. ad Archiepiſcopum Ravennatem ait: *De electo hoc mihi videtur,* quia

quia bene literatus est, & vivacis ingenii, sine suspicione castus, in erogandis eleemosynis pius.

(D) Alexander II. habito Romæ Concilio amplius 100. Episcoporum, Leonis IX. & Nicolai II. Decreta adversus Clericos Simoniacos, & incontinentes rata esse jussit, literisque amice monuit Berengarium, quem tertio pœnituit propositi, ut errorem sincere deponeret. Idem quoque mandavit Sacerdotibus, ut rem divinam facerent semel tantum in die. Quam in rem etiam scribit Innocentius III. cap. *Consuluisti* 3. de Celebrat. Missar. *Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti, semel in die unam Missam solummodo celebrare.*

352. (E) Benedictus XIV. in illustrissimo opere de Serv. Dei Beatificatione L. 1. c. 41. §. 10. hæc habet: „Sanctus Gregorius Papa VII. „mortuus est anno 1085. Post decursum annorum 45. ab ejus obitu „ejusdem vita conscripta fuit a Paulo Bernriedensi Canonico regulari, & extat ad *diem* 25. *Mensis Maji in Actis Sanctorum* Bollandianis, „*sæculo sexto part.* 2. *in Actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti, & tom.* 3. „*Scriptorum Rerum Italicarum*, quos alias a nobis cum laude memoratus „Ludovicus Antonius Muratorius collegit, ordinavit, & præfationibus auxit, ubi *cap. III.* adhuc plura de illius Sanctitate, ac miraculis referuntur. *Olim Helias*, verba sunt prædicti Pauli, *ex mortalium cohabitatione transiturus dimisit Helisæo pallium suum prophetici muneris „instrumentum; similiter & Gregorius ex hac mortali vita migraturus transmisit Anselmo*, qui erat Episcopus Lucensis, *Pontificalis insigne potestatis, videlicet Mitram Capitis sui: hoc nimirum Deo cooperante, ut, sicut ille Prophetiæ per pallium hæreditavit prærogativam, ita & iste Sacerdotalem „per Mitram obtineret eminentiam. Nempe eousque processit similitudo, ut, „sicut Helisæus per pallium Heliæ virtutum signa demonstravit, ita & Anselmus per Mitram Gregorii quædam magnalia exhibuerit. Nam, ut de pluribus unum magis divulgatum proferamus, Reverendus Mantuanæ Præsul Ecclesiæ Ubaldus multis jam annis gravissime spleneticus, & toto corpore ulceratus, præsertim in cruribus, sic ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere, vel sedere, qui & multa in Medicos erogaverat, nihilque profecerat, „apposita eadem Mitra ubi major ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati.* „Eum quoque ante mortem miraculis claruisse, scribit Lambertus „Schafnaburgensis ad *annum* 1077. *Signa etiam, & prodigia, quæ per „Orationes Papæ frequentius fiebant, & Zelus ejus ferventissimus pro Deo & „pro Ecclesiasticis Legibus, satis eum contra venenatas detractorum linguas „communiebant.* Miracula vero ejus obitum, eodem intercedente, „secuta testatur Ordericus Vitalis *lib.* 8. ubi loquitur de ejus tumulo:

„ *Meritis ejus, fidei petentium miraculorum copia Divinitus ostensa est.* Et „ paulo post: *nam leprosi de aqua, unde Corpus ejus ablutum fuerat, petierunt, qua consecuta fideliter loti sunt, &, opitulante Deo, protinus mundati sunt.* Presbyter item Pœnitentiarius in *vita Sancti Anselmi*, relata „ sanitate, cui Ubaldus Mantuanus Episcopus, uti supra, fuit miraculo restitutus, ait, Gregorium fuisse miraculis insignem in vita, „ & post obitum: *Beatissimus itaque talis, ac tantus Magister miracula fecit* „ *multa vivens, ac mortuus.* Denique eum Confessorem, & Martyrem „ obiisse, dicit Hugo Flaviniacensis in *Chronico.*

„ Nota insuper sunt illustria gesta Summi Pontificis Gregorii „ VII. Ecclesiasticorum etenim Dominiorum, quæ *Investituras* dicimus, abusus tanto temporum decursu, tantaque Sæcularium Principum authoritate obfirmatos evellit; *Simoniam* fere ubique grassantem exstirpavit; Cælibatum Clericorum pene ab interitu revocavit: ita ut mirum esse non debeat, si Principum, & aliorum multorum invidiam contra se concitaverit. Notæ sunt quoque calumniæ tum Hæretici Berengarii, tum Bennonis Cardinalis *Schismatici* „ tanto Viro impactæ; adeo ut bene adverterit Mabillonius in *Præfat.* 2. *ad Sæculum sextum Ordinis Sancti Benedicti* §. 7. *num.* 77. nullam „ fidem habendam esse sive Bennoni Gregorii hosti infensissimo, sive „ Berengario, qui toties fidem datam violavit, & in tuenda hæresi „ perseveravit. Notæ sunt demum celebres *Apologiæ* pro Sancto „ Gregorio VII. compositæ. Sanctus namque Anselmus Lucensis „ Episcopus supra memoratus singularem pro ejus defensione librum „ edidit adversus Guibertum Antipapam: Beatus Petrus Damiani eum „ *sanctissimi, ac purissimi consilii virum* appellat: Desiderius Abbas, qui „ Gregorio ipsi sub Victoris III. nomine successit, *lib.* 3. *Dialogorum*, „ eum Christi Ecclesiam *verbis simul, & exemplis illustrasse*, scribit. Inter acerrimos adhuc innocentiæ Gregorii defensores merito recenseri potest Cardinalis Baronius ex *suis Annalibus Ecclesiasticis*, utpote „ in quos res ejus gestas per singulos annos ex Scriptoribus maxime „ coævis, ex Conciliis sub eo habitis, & ex Regesto Epistolarum „ ipsius in undecim libros distincto bene deduxit. Pro eodem assumpto pugnat Cardinalis Bellarminus in suis *Controversiis*, & signanter in „ *Tractatu de Romano Pontifice.* Jacobus quoque Gretserus in sua illustri *Apologia* quinquaginta Historicos adducit, qui suis scriptis gesta „ Pontificis Gregorii proponunt, & invicto argumentorum robore „ defendunt; adeo ut idem Gretserus in *Examine Myster. Plessæani pag.* „ 359. & 360. exultans ita loquatur: *Quis Benno, & Sigebertus Gregorii VII. calumniatores, si conferantur cum tot sanctissimis, & doctissimis*

„ *Scriptoribus*

„ *Scriptoribus a parte Gregorii VII. stantibus*, *quorum in Apologia pro eodem*
„ *Pontifice quinquaginta protulimus*, *recitatis eorum verbis*; *ex quibus non-*
„ *nulli interea integri in lucem venerunt*, *ut Paulus Bernriedensis*, *& Gero-*
„ *chus*, *sive Gherhous Reicherspergensis*; *ut taceam præclara illa antiquorum*
„ *monumenta*, *quæ in defensionem Gregorii VII. jam olim scripta*, *nuper ex*
„ *tenebris eruit vir clarissimus Dominus Sebastianus Tegnagel Juris utriusque*
„ *Doctor Cæsareus Viennæ Bibliothecarius*, *quorum fulgore tam priscorum*,
„ *quam recentium in Gregorium VII. convicia adeo obnubilantur*, *ut jam non*
„ *nisi a noctuis*, *ululis*, *vespertilionibus*, *& nycticoracibus*, *& si quæ sint aliæ*
„ *hujus generis caliginis patientes*, *lucis impatientes aves*, *conspiciantur?* Gret-
„ serum Societatis Jesu Scriptorem sequitur Franciscus D'Enghiel
„ Ordinis Prædicatorum, cum in Opere satis elaborato authoritatem
„ Sedis Apostolicæ pro Gregorio Papa VII. vindicaverit adversus
„ Natalem Alexandrum ejusdem Ordinis Theologum, qui in *Historia*
„ *Ecclesiastica sæculi undecimi*, ubi de Gregorio agit, usque adeo suæ
„ professionis se oblitum exhibuit, ut hac sola de causa, quemadmo-
„ dum adnotarunt Continuatores Bollandiani in *Vita Gregorii VII. ad*
„ *diem* 25. *Maji*, meruisse potuerit gravissimam suorum librorum pro-
„ scriptionem. Nec inter egregios Sancti Gregorii VII. defensores
„ omitti ullo modo potest Eminentissimus Frater Vincentius Ludovi-
„ cus Gotti Ordinis Prædicatorum, utpote qui, post assertam Catho-
„ licam veritatem in insigni Opere adversus Jacobum Piceninum, in
„ *tertia Parte Colloquiorum Theologico-Polemicorum* vindicias Gregorii VII.
„ strenue exaravit; sicuti nunc inter assiduos Cardinalitiæ dignitatis la-
„ bores eximium Opus Theologiæ Scholasticæ Dogmaticæ juxta men-
„ tem Divi Thomæ Aquinatis, antequam dignitate ipsa insigniretur,
„ inceptum, prosequitur magno sane Litteratorum plausu, atque
„ adeo nobiscum communis Patriæ, suique Religiosi Ordinis decore.

„ Paulo ante memorati Continuatores Bollandiani Gregoria-
„ ni Cultus antiquitatem desumunt ex gestis Anastasii Papæ IV. qui,
„ post sexaginta annos ab obitu Gregorii, picturis exornans Absidem,
„ & Altare Sacelli Sancti Nicolai, in Urbe a Callisto II. ædificatum,
„ Gregorium VII. æque ac Sanctos alios, ipsamque Beatissimam Vir-
„ ginem, depingi fecit cum titulo Sancti, & Diademate orbiculato
„ circa caput ducto; quin etiam iidem Authores Absidem, & Altare
„ ænea tabula expressum dederunt in *Appendice ad primam partem Chronico-*
„ *historici Conatus de Romanis Pontificibus*; quod & fuit adnotatum a
„ Fleury in *Historia Ecclesiastica lib.* 63. *tom.* 13. *pag.* 431." Hucusque
Benedictus XIV. Pontifex sapientissimus.

De Hæresibus, & Conciliis generalibus nihil hic commemorandum venit: unde sit

§. III.

De Scriptoribus Ecclesiasticis.

353. S. Fulbertus Episcopus Carnotensis vixit ad initium hujus sæculi: scripsit Epistolas multas ad diversos, quarum plerasque ponit Card. Baronius tom. 11.

S. Burchardus Episcopus Wormaciensis eodem tempore floruit, vir vere Sanctus, & Religiosus: scripsit viginti libros Decretorum ex Conciliis, Pontificibus, & SS. Patribus.

S. Leo Papa IX. de quo jam in serie Pontificum, scripsit insignem Epistolam ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum contra Græcorum errores: eam vocat Sigebertus librum. Scripsit etiam ad Constantinum Monomachum Imperatorem Græcorum, & ad alios multos, quæ Epistolæ reperiuntur inter Epistolas SS. Pontificum, & apud Cardinal. Baronium tom. 11. Annal. Sunt etiam Lovanii impressi anno 1565. & Coloniæ anno 1568. Sermones ejus, & Homiliæ.

Humbertus Cardinalis Episcopus Sylvæ Candidæ a Leone IX. Legatus Constantinopolim missus, vir græce, & latine doctissimus: scripsit librum contra Græcos de Azimo in forma Dialogi: & alium de jejunio Sabbati contra Nicætam Pectoratum Græcum. Duo hi libri reperiuntur apud Card. Baronium in Append. 11. tomi Annalium.

354. S. Petrus Nobilis Ravennas, cognomine Damianus, vel Damiani a fratre suo Damiano, cujus opera, & sumptibus post utriusque parentis mortem ad literarum studia promotus est: erga hunc itaque gratum se exhibiturus, se vocari voluit *Petrum Damiani*. Absolutis studiis, Monachum induit, ex Monacho Prior, & ex Priore a Leone IX. S. R. E. Cardinalis, & Ostiensis Episcopus factus. Verum vitæ arctioris, & secretioris amore, dimisso Episcopatu, & Purpura, ad Cœnobium eremi Faventinæ se contulit. Fuit vir sanctus, eruditus, solitudinis amans, & defensor Ecclesiasticæ Disciplinæ acerrimus, maxime contra Simoniacos, & incontinentes Clericos, & Consanguineos nubentes.

Scripta ejus sunt: 1. Variarum ad diversos Epistolarum libri octo. 2. Sermones varii, variæque Sanctorum Historiæ. 3. De Fide Catholica. 4. Antilogus contra Judæos. 5. Dialogus inter Judæum, & Christianum. 6. Disceptatio Synodalis, utrum non possit Summus Pontifex eligi, nisi prævio Imperatoris assensu. 7. Actus Mediolani de Privilegio Rom. Ecclesiæ. 8. Liber gratissimus, quod

Ordinati ab Episcopis consecratis, licet Simoniacis, non essent iterum ordinandi. 9. Liber Gomorrhianus contra Clericos incontinentes. 10. De Parentelæ gradibus liber. 11. De Eleemosyna liber. 12. De Horis Canonicis. 13. Liber, cui titulus: *Dominus vobiscum:* utrum particulæ istæ, ut &: *Jube Domne benedicere* ab eo debeant omitti, qui privatim Officium celebrat. 14. Apologeticus liber de contemptu Sæculi. 15. De Perfectione Monachorum liber. 16. De Ordine Eremitarum liber. 17. De suæ Congregationis institutis. 18. Invectio in Episcopum, Monachos ad sæculum revocantem. 19. De Cœlibatu Sacerdotum. 20. Contra intemperantes Clericos. 21. De abdicatione Episcopatus sui. 22. Liber Apologeticus ob dimissum Episcopatum. 23. De fuga Dignitatum Ecclesiasticarum. 24. Contra Clericos Regulares proprietarios. 25. De brevitate Vitæ Pontificum. 26. Contra Clericos, qui se sæcularium Principum famulatui tradunt, ut Ecclesiasticas sibi dignitates comparent. 27. De Dignitate Sacerdotali. 28. Contra Clericorum inscitiam, & incuriam. 29. De communi vita Canonicorum. 30. Apologeticus liber pro Monachis adversus Canonicos. 31. De vili Ecclesiasticorum vestitu. 32. De Sacramentis per improbos administratis.

S. Gregorius Papa VII. de quo jam in serie Pontificum, & in Notis Historicis actum est, scripsit ad varios ingentem numerum Epistolarum, quarum aliquam partem non manu, & ingenio Secretariorum, sed sua propria arte, & Marte conscriptam ipse testatur. 355.

Georgius Cedrenus, Historicus Græcus, scripsit Compendium Historiarum ab Orbe condito usque ad annum Domini 1057. Opus hoc latine & græce exstat.

Theophilactus Archiepiscopus Bulgarorum, vixit tempore Papæ Alexandri II. Scripsit in Prophetas minores Oseam, Jonam, Nahum, & Habacuc: item in quatuor Evangelia, & omnes Epistolas S. Pauli, in quibus Commentariis in Evangelia, & Epistolas ita S. Chrysostomum secutus est, ut ejusdem Abbreviator dici possit. Hunc fuisse Schismaticum, patet ex Commentar. in c. 3. Joannis, ubi Latinos reprehendit, quod credant Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere.

S. Anselmus Mantuanus, Episcopus Lucensis ab Alexandro II. creatus, miraculis clarus, scripsit libros duos ex Patrum sententiis pro Gregorii VII. Decreto, & contra Guibertum Antipapam. Extant apud Henricum Canisium tom. 6. ant. Lect. Post mortem innumeris miraculis floruit. Videantur Annales Cardin. Baronii ad annum 1086.

Sæculum XII.

§. I.

Series Pontificum.

356. I. alias 161. Gelasius II. Neapolitanus, Benedictinus, creatus anno 1118. 25. Januarii, sedit annum unum, & dies 4. mortuus an. 1119. 29. Januarii.

Schisma XXIV.

Fecit contra Gelasium Mauritius Burdinus Episcopus Bracarensis, appellatus Gregorius VIII. electus ab Episcopis Henrico V. Filio Henrici IV. adhærentibus.

II. alias 162. Calixtus II. Burgundus, Monachus Cluniacensis, frater Ducis Burgundiæ, & Archiepiscopus Viennensis creatus an. 1119. die 1. Februarii. Hic Burdinum Pseudopapam cœtu Christianorum ejecit, *Investituras* damnavit, & uxores Clericis interdixit: sedit annos 5. menses 10. dies 12. obiit an. 1124. 13. Decembris.

III. alias 163. Honorius II. Bononiensis, obscuro loco natus, sed moribus, & doctrina clarus, antea Lambertus de Faynanis dictus, Episcopus Ostiensis, de cujus electione vide Notam (A) creatus est an. 1124. 21. Decembris: sedit annis 5. mense uno, diebus 25. mortuus annno 1130. 14. Februarii.

IV. alias 164. Innocentius II. Romanus, Gregorius de Pareschis dictus, Cardinalis S. Angeli creatus anno 1130. die 16. Februarii, sedit annos 13. menses 7. dies 9. mortuus anno 1143. die 24. Septembris.

Schisma XXV.

Fecit contra Innocentium Cardinalis Petrus, Leonis filius, Anacletus II. vocatus anno 1130. obiit an. 1138. in ejus locum creatus est Victor IV. qui duobus postea mensibus cum dimidio Innocentio II. se submittens, finem Schismati imposuit.

V. alias 165. Cælestinus II. Hetruscus, Guido (alii scribunt, Vido) de Castello dictus, creatus anno 1143. 26. Septembris, sedit mensibus 5. diebus 13. obiit anno 1144. die 9. Martii.

VI. alias 166. Lucius II. antea Gerardus Caccianimicus Bononiensis, Canonicus Regularis, & postea Cardinalis, creatus anno 1144. die 12. Martii, sedit menses 11. dies 13. obiit an. 1145. 25. Februarii.

VII. alias

VII. alias 167. Eugenius III Bernardus antea vocatus, Abbas Romæ in Monasterio S. Anastasii Ordinis Cisterciensis, S. Bernardi Clarævallensis discipulus, creatus an. 1145. 27. Februarii, sedit annos 8. menses 4. & dies 10. mortuus an. 1153. die 7. Julii.

VIII, alias 168. Anastasius IV. antea Conradus dictus, Canonicus Regularis, & Cardinalis, Episcopus Sabinensis, creatus anno 1153. die 9. Julii, sedit anno 1. mensibus 4. diebus 23. obiit 1154. die 2. Decembris.

IX. alias 169 Adrianus IV. Anglus, Nicolaus antea nomine, creatus anno 1154. die 3. Decembris, sedit annos 4. menses 8. dies 29. mortuus anno 1159. die 1. Septembris.

X. alias 170. Alexander III. Tuscus Senensis, Canonicus Regularis, appellatus antea Rolandus Paperonus, creatus anno 1159. ante diem 8. Septembris, sedit annos 21. menses 11. dies 23. mortuus anno 1181. die 30. Augusti. Canonizavit SS. Eduardum Regem Angliæ, Bernardum Abbatem Clarævallensem, & Thomam Cantuariensem Archiepiscopum: approbavit Ordinem militarem S. Jacobi de Spata in Regno Hispaniæ: Ordinem Monachorum S. Basilii Magni, & Ordinem Carthusianorum: Vide Notam (B)

Schisma XXIV.

Contra Alexandrum fecit Octavianus Pseudo-Papa, Victor V. dictus: cui mortuo successit Paschalis III. & huic pariter defuncto Callistus III. qui se Alexandro III. submisit, quem ille perhumaniter suscepit. His tribus addit Sandini quartum, Innocentium III. vocatum, quem permanentem in pertinacia ejecit Alexander III. in exilium.

XI. alias 171. Lucius III. Lucensis, antea Humbaldus Allucingolus, creatus anno 1181. 1. Septembris, sedit annis 4. mensibus 2. diebus 24. mortuus an. 1185. 24. Novembris.

XII. alias 172. Urbanus III. antea Mediolanensis Archi-Episcopus, Cardinalis Presbyter, dictus Lambertus Cribelli, creatus an. 1185. 25. Novembris, sedit annum 1. menses 10. dies 25. mortuus anno 1187. 19. Octobris. Approbavit Ordinem Cruciferorum.

XIII. alias 173. Gregorius VIII. antea Albertus, filius Sartorii de Mora, Beneventanus, Benedictinus, creatus an. 1187. die 21. Octobris, sedit mensem 1. dies 25. mortuus eodem anno 17. Decembris.

XIV. alias

XIV. alias 174. Clemens III. Romanus, antea Paulinus Scholaris, Cardinalis Episcopus Præneſtinus, creatus anno 1187. die 19. Decembris, ſedit annos 3. menſes 3. ac dies 10. mortuus anno 1191. 29. Martii. Hic Pontifex effecit, ut rebelles Romani ad obſequium Eccleſiæ redirent, finemque impoſuit ſeditioni ab Arnaldiſtis excitatæ, quæ Pontifices omnes Innocentium II. abeſſe Urbe, & quaſi exulare coëgerat.

XV. alias 175. Cæleſtinus III. Romanus, Urſinus, Hyacinthus antea appellatus, admodum ſenex, annos ſcilicet octoginta quinque jam natus, creatus anno 1191. die 30. Martii, ſedit annos 6. menſes 9. dies 9. mortuus anno 1198. die 8. Januarii.

XVI. alias 176. Innocentius III. ex Civitate Agniæ, Canonicus Regularis, Lotharius antea vocatus, creatus anno 1198. 8. Januarii, ſedit annos 18. menſes 6. dies 9. mortuus anno 1216. die 16. Julii, claruit magnitudine, ac varietate rerum geſtarum, ſummaque conſtantia adverſus Imperatores, Reges, & Principes quoscunque Eccleſiæ adverſantes.

§. II.

Notæ Hiſtoricæ, & Hæreſes hujus Sæculi.

357. (A) Mortuo Calliſto II. reluctans, & invitus Pontifex creatus eſt Theobaldus, Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ nomine Cæleſtini II. Cum autem hæc electio multis non probaretur, Lambertum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, dictum Honorium II. elegerunt. Theobaldus itaque, Schiſmatis vitandi cauſa, eodem, quo Pontifex factus eſt, die Pontificatu iterum ceſſit: Sed & Lambertus, videns, prava ſe lectione creatum, poſt dies ſeptem Pontificatum depoſuit. Tum a Cardinalibus, ſummam viri modeſtiam admirantibus, magno omnium conſenſu pro vero, ac legitimo Pontifice eſt habitus.

(B) Alexander III. gravia toto fere Pontificatu expertus eſt adverſa a Friderico I. Imperatore, Henrico II. Angliæ Rege, & quatuor Pſeudo - Papis: fugam capere coactus, anathemate damnatus, animum nunquam abjecit, atque conſtantia plane admirabili illuſtrem de Adverſariis victoriam reportavit. Pandulphus Piſanus in Vita Alexandri III. apud Sandini annot. 3. pag. 556. hæc notatu digna profert: „ Hic vicit quatuor Schiſmaticos, Octavianum, & Vidonem „ Cremenſem, Joannem Strumenſem: & Landonem. Primus fecit „ ſe vocari Victorem V. ſecundus Paſchalem III. tertius Caliiſtum III. „ quartus Innocentium III. quorum tres Presbyteri Cardinales erant: „ qui per Papam excommunicati mala morte perierunt. *Paſchalis III.*

„ *inſtinctu*

„ *inſtinctu Federici Imperatoris Carolum Magnum Imperatorem, & Regem*
„ *Francorum retulit in Sanctos.* Sed quod is haud legitimus fuit Ponti-
„ fex, ejusmodi canonizatio non eſt recepta ab Eccleſia Romana.
„ Quod tamen non reperiantur legitimi Pontifices eam impugnaſſe,
„ res ſic tacita permiſſione, ſive tolerantia perſeveravit, ut in pro-
„ pria Eccleſia, ubi ſepultus fuit, coleretur. Ita enim Canonum
„ præcipui interpretes declararunt. Propagatus autem poſtea noſci-
„ tur ejus cultus in alias Eccleſias Galliæ, Belgii, atque Germaniæ,
„ in quibus idem Carolus ſanctitatis titulo colitur. Spondanus ad
„ an. 814. §. 5. Baronius ad eundem an. §. 63."

Extat quoque de Translatione & Canonizatione Caroli Magni Diploma Frederici I. dicti Ænobarbi, ſive Barbaroſſæ, quod ex Petri Bekæ Aquiſgrano, & Autberti Miræi Faſtis Belgicis depromptum, & in tres Paragraphos diſtinctum, integrum legi poteſt apud Bollandum XXVIII. Januarii pag. 888 & ſeqq. Multa laudabilia, miracula quoque, laudatus Bollandus per decurſum refert, ac Sancti eum titulo honorat. Pariter Graveſon in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica tom. 3. ejusdem eſt mentis: inter alia pag. mihi 114. dicit: *Carolus Magnus in omni virtutum genere, ſive quæ præceſſerunt, ſive quæ inſecuta ſunt ſæcula, vix parem habuit.* Sanctiſſimus æque, ac doctiſſimus Pontifex Benedictus XIV in ſuo præclariſſimo Opere de Serv. Dei Beatificat. & Beatorum Canoniz. l. 1. c. 9. Num. 4. pag. 47. hæc habet: *Contelorius —— Carolum aſſerit dici poſſe tantum beatificatum: & hæc quidem ſententia retinenda videtur; quidquid etenim ſit de conceſſione facta ab illegitimo Pontifice, tot ſubſequentes legitimi Pontifices prædictam conceſſionem ſciverunt, minime autem improbarunt, ſed per tolerantiam admiſerunt: quibus ſi addatur longiſſimi temporis obſervantia, nihil deeſſe videtur ex requiſitis, quæ neceſſaria ſunt pro validitate cultus, quoad Eccleſias particulares, & ſic pro ſufficienti Beatificatione.*

Hæreſes.

1. *PetroBruſſiani*, a Petro de Bruis Antuerpienſi dicti, docebant 1. Baptiſmum non eſſe parvulis neceſſarium. 2. Chriſtum non eſſe in Euchariſtia. 3. Preces pro mortuis eſſe inutiles &c. 358.

2. *Waldenſes*, ſeu Pauperes de Lugduno dicti a Valdenſe Lugdunenſi, qui ſua bona pauperibus erogabant, & omnia pene Eccleſiæ Romanæ dogmata rejiciebant. Hos damnavit Lucius Summus Pontifex.

3. *Albigenſes*, qui tempore Innocentii III. non ſolum concionibus, ſed etiam armis Eccleſiam divexabant, duo admittebant Principia:

cipia: animarum transmigrationem afferebant: refurrectionem corporum negabant: Baptifmum, & Euchariftiam rejiciebant: docebant infuper, inutile effe adire Ecclefiam ad orandum Deum: omnes veteris Teftamenti Patres effe damnatos, & S. Joannem Baptiftam effe unum ex majoribus dæmonibus: Chriftum, qui natus eft in Bethlehem, effe malum: effe aliam terram novam, & invifibilem, in qua natus eft bonus Chriftus: & plura alia nefanda adftruebant, ut videre eft apud Siandam N. *Albigenfes* Lex Polem. tom. 1. pag 62. & feq.

4. *Arnaldus Brixienfis:* de quo Sianda ait: Hunc nebulonem Brixia genuit, Gallia enutrivit. Fuit ab Adriano Pontifice Urbis præfecto traditus, & vivus combuftus. Dixit: in Chrifto non fuiffe Spiritum timoris Domini: Deum non effe omnipotentem: Deum effe omnino invifibilem Beatis: plenam effe poteftatem in Patre, minorem in Filio, & nullam in Spiritu Sancto: atque alia ejusmodi abfurda.

5. Hoc Sæculo Gilbertus Porretanus Epifcopus Pictavienfis, in Theologia Scholaftica maxime exercitatus, rationum acumine Myfteria Fidei perfcrutari volens, in aliquot prorupit errores, quos Otto Frifingenfis cum aliis ad 6. capita revocat: 1. Afferuit *Divinam effentiam non effe Deum.* 2. Proprietates Perfonarum non effe ipfas Perfonas. 3. Perfonas Divinas in nulla prædicari propofitione. 4. Divinam naturam non effe incarnatam. 5. Humanum attenuans meritum, dicebat, nullum mereri præter Chriftum. 6. Ecclefiæ Sacramenta evacuando, dicebat, nullum baptizari nifi falvandum &c. Ejusmodi errores inferuit Gilbertus Porretanus fuis Commentariis in Pfalmos, in Epiftolas Pauli, & librum Boëtii de Trinitate.

Non eft dubium, quin ifti errores omnes ab Eugenio III. & Concilio Rhemenfi fint confixi: ut adeo fatis mirari nequeam audaciam cujusdam recentis, alias admodum eruditi Theologi, qui fcriptis & dictis priores propofitiones Gilberti fuit defendere aufus, & excufare. Verum de hac re amplior fiet difcuffio tom. 2. L. 1. Sentent. in Tract. de Deo uno. Nunc addo folum fidei Symbolum contra præcedentes errores, exftans apud Philip. Labb. tom. 12. Edit. Venet. 1730. fol. 1651. quod anno Domini 1148. fub Eugenio III. Papa a Patribus Provinciarum in Concilio Remenfi firmatum eft.

„ Credimus, & confitemur, fimplicem naturam Divinitatis
„ effe Deum, nec aliquo fenfu Catholico poffe negari, quin Divini-
„ tas fit Deus: & Deus, Divinitas. Sicubi vero dicitur: Domini
„ fapientia fapientem, magnitudine magnum, Divinitate Deum effe,
„ & alia

„ & alia hujusmodi: credimus, nonnisi ea sapientia, quæ est ipse
„ Deus, sapientem esse; non nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus,
„ magnum esse; non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æter-
„ num esse; non nisi ea unitate unum, quæ est ipse; non nisi ea Di-
„ vinitate Deum, quæ est ipse; id est, se ipso sapientem, magnum,
„ æternum, unum Deum.

„ Cum de tribus Personis loquimur, Patre, & Filio. & Spi-
„ ritu Sancto, ipsas unum Deum, unam Divinam substantiam esse
„ fatemur. Et e converso, cum de uno Deo, una Divina substan-
„ tia loquimur: ipsum unum Deum, unam Divinam substantiam esse
„ tres Personas confitemur.

„ Credimus, & confitemur, solum Deum Patrem, Filium,
„ & Spiritum Sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive
„ relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates di-
„ cantur, vel alia hujusmodi, adesse Deo, quæ sint ab æterno, &
„ non sint Deus.

„ Credimus, & confitemur, ipsam Divinitatem, sive sub-
stantiam Divinam, sive naturam Divinam dicas, incarnatam esse,
sed in Filio."

§. III.

Concilia Generalia.

Concilium IX. Callistus II. anno 1123. tempore Henrici IV. Impe- 359.
ratoris indixit Romæ in Basilica Lateranensi, ideo Lateranense I.
vocatum, cui ipse interfuit cum 300. Episcopis 1. Pro componenda
lite, quæ jam diu inter Ecclesiam, & Imperium gliscebat, ex usur-
patis ab Imperatoribus beneficiorum investituris. Harum autem no-
mine intelligebatur jus eligendi Præsules, confirmandi electos, &
mittendi eos in possessionem, quod jus sibi Imperatores sumpserunt.
Hoc in Concilio Henricus IV. dimisit Ecclesiæ omnem investituram
per annulum & baculum tradendam: possessiones Ecclesiæ ablatas
restituit, promisitque, se electiones, & consecrationes omnino li-
beras relicturum: Calixtus II. vero Henrico IV. concessit, ut se præ-
sentem sisteret electionibus, atque ut electis *Regalia* fructuum benefi-
cii percipiendorum potestatem daret per Sceptri regii contactum, nun-
quam autem per baculum & annulum, quia per hoc significaretur
potestas spiritualis emanare a potestate sæculari. 2. actum est de
bello Saracenis indicendo, & recuperatione terræ sanctæ. 3. Editi
sunt varii Canones pro restauranda Disciplina Ecclesiastica.

Hoc Concilium esse vere œcumenicum, omnes Orthodoxi censent.

360. Concilium Lateranense II. alias X. cui ex omnibus Orbis partibus 1000. Episcopi adfuerunt, anno 1139. tempore Lotharii Imperatoris ab Innocentio II. qui ipsi præfuit, convocatum fuit 1. Ad tollendum Schisma in Ecclesia factum per Petrum Leonis Antipapam, Anacletum II. vocatum, cui pauci Cardinales suffragati fuerant, quando a majori parte Cardinalium Innocentius II. electus fuit. 2. Ob varias hæreses damnandas, & mores reformandos.

Sunt autem tria gesta in hac Synodo. 1. Petri Leonis, & aliorum Schismaticorum acta sunt rescissa. 2. Damnati sunt hæretici Petrus de Bruis, & Arnaldus de Brixia cum suis hæresibus. 3. Additi sunt varii Canones pro Disciplina Ecclesiastica; inter quos etiam ille est: *Si quis suadente Diabolo &c.*

Hoc Concilium est certo œcumenicum.

361. Concilium Lateranense III. œcumenicum XI. cui interfuerunt 300. Episcopi, anno 1179. sub Imperatore Friderico I. ab Alexandro III. qui ipsi præfuit, convocatum est 1. Ad tollendum Schisma, invectum in Ecclesiam per Cardinalem Octavianum Anti-Papam, Victorem V. dictum, a tribus Cardinalibus electum, cui solus adhærebat Fridericus: Contra vero Alexander III. a 20. Cardinalibus fuerat electus, eique adhærebant tota Gallia, Hispania, Britannia, Polonia, & major pars Italiæ. 2. Ad damnandos errores Waldensium, & Albigensium. 3. Ob mores reformandos.

Gesta in ista Synodo sunt plura: 1. Ad vitanda Schismata definitum est, nullam deinceps Papæ electionem fore canonicam, nisi duæ partes Cardinalium in eam conspirent. 2. Ordinationes ab Antipapis celebratæ, irritæ in ordine ad usum declaratæ fuerunt, & collationes Beneficiorum nullæ. 3. Damnati sunt hæretici Waldenses, & Albigenses. 4. Canones circa Disciplinam fuere conditi, maxime confodientes Usuram, & Simoniam. Et hoc Concilium est indubitato œcumenicum.

§. IV.

Scriptores Ecclesiastici Sæculi XII.

362. Leo Marsicanus Episcopus Ostiensis factus a Paschali II. obiit ad initium 1101. Scripsit Chronicon Monasterii Cassinensis a S. Benedicto usque ad Desiderium Abbatem, qui fuit Victor III. in quo Chronico multa recensentur ad Historiam Ecclesiasticam admodum utilia.

Zacha-

Zacharias Episcopus Chrysopoleos, vixit ad initium anni 1161. scripsit in quatuor Evangelia quatuor libros.

Sigebertus Monachus Gemblacensis, vixit tempore Gregorii VII. Pontificis, & obiit circa annum 1112. Scripsit Chronologiam, quæ exstat cum aliis Historicorum libris ab anno 381. usque ad annum 1111. Sigebertum continuavit Robenus de Monte usque ad annum 1210.

Verum Sigebertus in sua Chronologia non adeo æquus fuit in Gregorium VII. ob studium erga Imperatorem: ideo non pauca mentitus est, præsertim cum narrat mortem ipsius Gregorii. In hujus odium etiam scripsit contra eos, qui calumniantur Missas conjugatorum, ut ipse testatur: & plane liber ille videtur jure periisse; non enim erat dignus, qui lucem aspiceret. Juste certe Gregorius reprehendit Missas Conjugatorum Presbyterorum, & censuit, non esse audiendas illorum Missas: quia judicabat, Concubinarios indignos esse, qui Missam celebrarent. Nihilominus in defensionem Gregorii contra calumnias Sigeberti scripsit S. Anselmus in Epistola ad Guilielmum Abbatem. De hoc videri potest Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis hoc Sæculo.

Eutymius Zigabenus, Monachus vixit tempore Alexii Comneni Imperatoris: scripsit Panopliam adversus omnes hæreses, & part. 2. describit errores Basilii Authoris Bogomilum, quem Alexius Imperator comburi jussit in equestri theatro. Scripsit etiam Commentarios in omnes Psalmos, & in quatuor Evangelia.

Joannes Zonaras Monachus Græcus scripsit tres libros Annalium, quibus complexus est Historiam universalem ab Orbe condito usque ad exitum Alexii Comneni Imperatoris Græcorum: scripsit quoque Commentarios in Nomocanonem Photii.

Rupertus Abbas Tuitiensis vixit circa annum Domini 1110. scripsit multa Opera, quorum catalogum ipse ponit in Epistola dedicatoria ad Cunonem Episcopum. Opera ejus hæc sunt: 1. De Divinis Officiis L. 12. 2. In Job Commentariolum abbreviatum. 3. In Joannem Evangelistam. 4. De Operibus SS. Trinitatis. 5. In Apocalypsin. 6. In duodecim Prophetas minores. 7. De Victoria Verbi. 8. De gloria & honore Filii hominis secundum Evangelium Matthæi. 9. De glorioso Rege David ex Libris Regum. 10. In Cantica Canticorum.

Hoc tamen notandum est ex Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis, Rupertum Tuitiensem L. 2. in Exodum c. 10. & clarissime L. 2. de Officiis Divinis c. 2. fuisse, & forte primum, in errore Impanatorum,

natorum, & non admififfe, panem in corpus Chrifti converti in Euchariftia: unde Wicleffus hærefiarcha miro triumphabat.

363. S. Anfelmus Auguftæ prope Alpes in Italiæ, ac Burgundiæ finibus, nobilibus parentibus natus, liberalibus Difciplinis a pueritia applicatus, mortua matre, a patre difcedens in Galliam venit, ubi poft aliquot annos in Normania in Beccenfi Monafterio habitum Benedictinum induit anno 1060. fub Herluino Abbate, & Lanfranco Priore: cui in Abbatem Cœnobii Cadomenfis electo fuffectus Prior fui Monafterii anno 1063. atque poft 15. annos Herluino vita functo Abbas fucceffit: tandem anno 1093. poft Lanfrancum mortuum Archi-Præful Cantuariæ in Anglia creatus eft, ac decimo fexto fui Epifcopatus anno plenus meritis, & miraculis ex hac vita migravit, relictis variis fubtiliter fcriptis voluminibus, quæ omnia recenfet Eadmerus ejus vitæ fidelis Hiftoricus, natione Anglus, Ordinis S. Benedicti Monachus, Anfelmi Difcipulus, ac comes familiaris, & individuus. Prodiere variæ Editiones iftorum operum: ego omnibus ambagibus parcens, defignabo præcipua, primo genuina, deinde dubia, vel fuppofititia.

Genuina, & germana Anfelmi Opera funt:

1. Monologium, hoc eft, libellus unus, quem S. Anfelmus Beccenfis Prior, rogatus a Fratribus confcripfit velut exemplum meditandi de ratione Fidei, feu de iis, quæ vera Fides de Deo fentit. 2. Profologium, feu alloquium Dei, libellus parvus quidem, fed fententiarum pondere gravis. 3. Libelli duo pro Infipiente, & contra Infipientem infcripti, quorum unus eft ab Anfelmo, & alter, feu pro Infipiente a quodam Reprehenfore Anfelmi. 4. Dialogus de veritate. 5. Dialogus de libero arbitrio. 6. Dialogus de cafu Diaboli. 7. Dialogus, feu Difputatio Dialectica de Grammatico. 8. Liber de fide Trinitatis, & de Incarnatione Verbi Urbano II. Pontifici dicatus, in quo confutavit Rofcelinum Clericum hæretice fentientem, tres in Deo Perfonas effe feparatim fumptas, ficut funt tres Angeli, vel tres animæ. 9. Libri duo, cur Deus homo? 10. Liber de Proceffione Spiritus Sancti contra Græcos. 11. Liber de Conceptu Virginali, & de peccato originali.

12. Epiftola ad Valerannum de tribus quæftionibus, ac præfertim de fermento, & azymo. 13. Epiftola ad eundem altera de diverfitate Sacramentorum, ubi cap. 1. egregie dicit: *Bonum quidem, ac laudabile fore, fi per univerfam Ecclefiam uno modo concorditer celebrarentur Sacramenta; quoniam tamen multæ funt diverfitates, quæ non in fumma Sacramenti, neque in virtute ejus, aut fide difcordant, neque omnes in unam confuetudi-*

nem

nem colligi possunt, æstimo, eas potius in pace concorditer tolerandas, quam discorditer cum scandalo damnandas; habemus enim a Sanctis Patribus, quia, si unitas servatur Charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa.

14. Liber de Concordia præscientiæ, & Prædestinationis, & gratiæ Dei cum libero arbitrio. 15. Liber Meditationum aliquot. 16. Epistolarum libri tres ita digesti, ut 1. eas comprehendat, quas scripsit nondum Abbas: 2. eas, quas scripsit Abbas Beccensis: 3. illas, quas dedit Archi-Episcopus Cantuariensis.

Dubia, vel suppostitia Opera Anselmi.

1. Liber de Similitudinibus non est Anselmi, sed alicujus ejus Discipuli, puta, Eadmeri; nam Collector harum similitudinum cap. 186. vocat Anselmum *Sanctum Patrem*, & cap. 188. *Patrum nostrum*, quod sane Anselmus, si hujus libri Author esset, de se non scripsisset.

2. Liber de Mensuratione crucis nequit esse Anselmi; nam in illo manifeste allegatur S. Bernardus Anselmo posterior.

3. Liber de Passione Domini, seu Dialogus S. Anselmi cum B. V. Maria de passione Domini, non est Anselmi: quia de eo silet Eadmerus: & quia author ille in initio citat Anselmum, Beatum illum vocans.

4. Liber de Vestimentis, & membris, & actibus Deo attributis, stilum Anselmi non sapit. putant aliqui, eum esse S. Eucherii Lugdunensis.

5. Elucidarium, sive Dialogus, summam totius Christianæ Theologiæ breviter complectens, pariter Anselmi non est, cujus nec stilum, nec judicium sapit: item illud Trithemius Honorio Augustodunensi tribuit, & illud ipse Honorius Augustodunensis inter sua Opera recenset.

6. Libri duo de Imagine mundi a Trithemio iterum adscribuntur Honorio Augustodunensi, qui & ipse illos inter sua Opera refert.

7. Liber de Conceptione passiva Virginis, in quo probatur diserte B. Virgo ab omni labe peccati originalis munda. Verum liber iste non est integer, sed mutilus, & censetur dubius Anselmi partus; de illo enim Baronius scribit in Notis ad Martyrologium Romanum sexto Idus Decembris: *S. Anselmus de conceptione Virginis Commentarium scripsisse fertur: sed an ejus sit, a multis merito ducitur in controversiam, cum habeat multa, quæ eidem authori repugnant &c.* Eundem ut supposititum Anselmo librum multiplici ratione probat R. P. Gerberonius Benedictinus, in sua Parisiensi S. Anselmi Operum editione nova.

8. Lo-

8. Loquor modo cum Annato, qui ista habet: "*Epistola de* „*Conceptione B. Mariæ*, quæ circumfertur, & S. Anselmo tribuitur, sup-„posititia pariter, & S. Anselmo falso tributa judicatur, & multipli-„citer probatur ab eodem R. P. Gerberonio, & aliis; verum quid-„quid fuerit, sive de libro de Conceptu B. Mariæ Virginis passivo, „sive de epistola ista de eadem Conceptione B. Mariæ; nihil dici po-„terit, quod nos dimoveat ab opinione pia de Conceptione B. Vir-„ginis immaculata, cujus festum tam religiose sancta celebrat Eccle-„sia, nihil quod nos impediat, ne dicamus cum hujus de conceptio-„ne B. Mariæ libri authore (quisquis fuerit) cap. 9. sic loquente: *De* „*Domina nostra, quam in tantum culmen prædestinavit, & extulit Divina po-* „*tentia, quam tot prærogativis dotavit cuncta disponens Dei sapientia, quam* „*sibi matrem elegit ad mundo subveniendum, ipsa omnium salvandorum ineffabi-* „*lis Dei misericordia, dicere morte peccati, quæ per invidiam diaboli occupavit* „*orbem terrarum, in suo conceptu prægravari, ut taceam interim ipsas, quas* „*commemoravi rationes, animus evitat, intentio abhorret, lingua fateri non* „*audet.* Nihil est, inquam, quod nos dimoveat a pia illa opinione „de Conceptione B. Virginis Mariæ immaculata, cujus festi institutio-„nem Anselmo nostro tribuit Londinensis Synodus, habita anno „1328. quamvis hoc ita sensisse Synodum illam, putent alii, ex per-„suasione falsa scriptorum, quæ sub Anselmi nomine circumfereban-„tur." Hæc Annati dicta sunt bene ponderanda. Dein, licet simi-lia afferta non sint ipsius Anselmi, possunt tamen esse alterius pii, & docti Authoris v. g. Eadmeri &c.

9. Sunt & alia nonnulla minus præcipua S. Anselmo adscripta opuscula dubia, vel supposititia, ut: Passio SS. Guigneri, sive Fingaris, Pialæ, & Sociorum: item Disputatio Judæi cum Christiano, quæ creditur esse Gisleberti Abbatis Westmonsteriensis: item libellus de voluntate Dei; cum de eo taceat Eadmerus Anselmi, & Operum ejus exactus Historicus: atque alia nonnulla videnda in Editione Operum S. Anselmi exactissima D. Gerberonii Benedictini.

10. Tractatus de quatuor Virtutibus B. Virginis: item Opus de excellentia B. Virginis. Hæc duo Opera credibiliter non habent Authorem D. Anselmum, ut vult Gravefon p. 4. Hist. Eccles. Col-loq. 5. Verum ex hoc non sequitur, ut ea sint statim rejicienda penitus, ut jam monui in Revelationum Agredanarum Defensione justa p. 4. fol. 463. ubi addita etiam hic addere volui, cum sint multum utilia? Sic sonant: Critici moderni plerique magnam quidem sibi licentiam in Authores tam veteres, quam novos tribuunt: sed & ipsi ho-

mines

mines sunt, falli, & fallere possunt, nec oracula æternæ veritatis fundunt, etiam quando sibi persuadent, sua dicta esse demonstrata. Præclare in rem præsentem loquitur Clarissimus, ac Piissimus P. Antonius Mayr in præfatione ad Tractatum de primo, & secundo adventu Christi anno 1742. editum, ubi hæc habet: "Critici quidem Re-„centiores, etiam a SS. Patribus, vel aliis magnis Authoribus tradi„ta, audacter rejiciunt, ideo; quia Scriptores non fuere gestorum „illorum temporibus proximi. Cum interim Livio, Tacito, Sueto„nio, ac similibus adhuc longius ab ea ætate, de qua scribebant, re„motis, fidem indubiam adhibent: qua certe ratione non videntur, „sat reverenter erga tantos viros se gerere, sed male suo in animo „eam fovent persuasionem, quasi Authores posterioris ætatis omnia „pro libitu a cerebro suo confinxerint, & non plurima ab antiquio„ribus fidei traditione receperint. —— —— Ex diversitate duntaxat „ætatis inter scriptorem, & rem ab ipso narratam velle narrationem „falsi arguere, est licentius in Authores grassari. Accedit, quod „sæpe, etsi is Author non sit, cui Liber fuit inscriptus, tamen fuerit „alius, etiam antiquus, doctus, ac pius, ut Bellarminus de Scripto„ribus Ecclesiasticis sæpius annotat.„ Hæc vir Eruditissimus, & simul humillimus, atque adeo eo magis veritatis studiosus, quo minus laudis propriæ avidus. Quibus addi potest, ejusmodi libros, etsi forte illum, cui adscribuntur, authorem non habeant, possessionem tamen veræ, & sanæ doctrinæ obtinuisse in Scholis, & Cathedris, si antea a magni nominis Theologis, & viris allegari consueverunt, sicut plures ex illis, quos moderni Critici levi negotio explodunt, abjiciuntque, a D. Thoma, ab eximio Suarezio, & aliis primi subsellii DD. passim fuere citati.

Anselmus Gemblacensis, Benedictinus, patientia, pietate, & eruditione clarus, post Sigebertum Abbas clarissimus floruit circa annum 1137. continuavit Chronicon Sigeberti ab anno 1112. usque ad annum 1137. 364

Algerus Scholasticus, Leodiensis, ac postea Monachus Cluniacensis floruit circa annum Domini 1130. scripsit varia opuscula de gratia, & libero arbitrio, ac de Misericordia, atque Justitia. Sed præcipuum ejus opus est tribus libris comprehensum de Corpore, & Sanguine Domini contra Berengarium: de quo V. Petrus Cluniacensis initio libri de Sacrificio dicit, Lanfrancum scripsisse de Sacramento Eucharistiæ bene, plene, & perfecte: Guitmundum melius, plenius, perfectius: Algerum optime, plenissime, & perfectissime. Nihilosecius hic Algerus contra veritatem impegit L. 2. c. 1. scribendo:

ſpecies Sacramentales non poſſe corrumpi, vel rodi a muribus: quod etiam notatur in Guitmundo, a quo videtur illud accepiſſe Algerus. Ita etiam c. 8. perperam allegat Algerus S. Auguſtinum, cum ait: *Unde, ut ait Auguſtinus, nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne rite communicatur;* hæc enim non ſunt Auguſtini, ſed Paſchaſii verba in libro de corpore Domini c. 14. Præterea videtur Algerus c. 10. tueri, eſſe de jure divino, ut Sacrificium Miſſæ celebretur in azimo: quod non eſt verum; alioquin Eccleſia non toleraret celebrantes in fermentato.

Hildebertus Archi Epiſcopus Turonenſis vixit tempore Henrici ſecundi: ſcripſit Sermones, Epiſtolas, & Carmina ſacra, quæ reperiuntur in Bibliotheca SS. PP. tom. 3. Edit. 2. Ad eum una exſtat Epiſtola S. Bernardi, qua eum hortatur, ut Innocentium II. tanquam verum Pontificem agnoſcat, & colat.

365. S. Bernardus, natione Gallus, Fontanus, quippe Fontanis in Burgundia illuſtriſſimis parentibus ortus, Ciſtercienſem ingreſſus Ordinem ſub Stephano Abbate, Monaſterii ClaræVallenſis recenter erecti primus Abbas eſt deſtinatus. Fuit vir profecto mirabilis, ingenio ſublimi præditus, indole miti, dicendi facundia ita ſuavi, ut non ſolum Apis Gallicana, ſed & melliſluus Eccleſiæ Doctor ſit appellatus: vir inſuper vere Apoſtolicus, ſermone potens, & doctrina excellentiſſimus. Scripta ejus pietate, & eruditione plena circumferuntur multa.

Præcipua, & genuina ejus Opera ſunt variis tomis, & libris comprehenſa: 1. Epiſtolæ 44. 2. Libri quinque de Conſideratione ad Eugenium Papam III. ſuum quondam Diſcipulum. 3. Epiſtola ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum de moribus, & Officio Paſtorum. 4. Sermo, ſeu Liber ad Clericos de converſione. 5. Liber de præcepto, & diſpenſatione. 6. Apologia ad Guillelmum Abbatem S. Theodorici Ordinis Cluniacenſis. 7. De laude novæ militiæ ad Milites Templi, ſeu Templarios. 8. Liber de gradibus humilitatis, & ſuperbiæ. 9. Liber de diligendo Deo. 10. Tractatus de gratia, & libero arbitrio. 11. Epiſtola ad Innocentium Pontificem II. contra Abælardum. 12. Epiſtola, ſeu Tractatus ad Hugonem de S. Victore de Baptiſmo, aliiſque quæſtionibus ab ipſo propoſitis. 13. Liber de Vita, & geſtis S. Malachiæ Hiberniæ Epiſcopi, & Primatis. 14. Liber, ſive Tractatus de Cantu, ſeu de Correctione Antiphonarii Ciſtercienſis. 15. Sermones de tempore, de Sanctis, & diverſis argumentis aliis. 16. Sermones Octoginta ſex in Cantica Canticorum.

Aliis

Aliis Operibus, quæ illius esse ab Eruditis non censentur, hic enumerandis non immoror: possunt consuli Bellarminus, Annatus, maxime Mabillonius in sua S. Bernardi Operum editione nova, digesta in duo volumina.

Hugo de S. Victore Saxo natione, Monachus, & Abbas S. Victoris, æqualis S. Bernardi, scripsit multa, quæ Tomis tribus comprehenduntur in Editione Veneta anni 1588. in qua Opera germana a suppostitiis distinguuntur.

Richardus de S. Victore, natione Scotus, Ord. Canonicorum Regularium: ejus Opera duobus tomis continentur: de his Bellarminus ita pronunciat de Script. Ecclef. pag. 191. *Hæc omnia opera, uno excepto, quod inscribitur:* Exceptionum libri quatuor, *videntur mibi docta, & pia, & dignissima ingenio acutissimo Riccardi, neque scio, de iis ab ullo esse dubitatum. De libris Exceptionum non nihil ambigo, an sint ejusdem authoris, non, quod non sint libri illi varia eruditione pleni, sed quod quædam contineant, quæ non videntur a Riccardo scribi potuisse:* adducit deinde talia, quæ merito dubium movere possunt grande.

Gratianus patria Clusinus, Benedictinus, claruit Eugenii III. tempore, cujus cum Decretum sit notissimum, eo adducendo hic supersedeo, & SS. Canonum studiosis relinquo.

Petrus Lombardus a Patria dictus, Novaræ nempe, quæ Lombardiæ civitas est, in Ducatu Mediolanensi natus perhibetur. *Magister Sententiarum* vulgo appellatus, in Schola S. Genovevæ Doctor Parisiensis, & Canonicus Carnotensis fuit. Ex Scholarum Parisiensium Præside Episcopus Parisiensis creatus, obiit anno 1164. die 20. Julii. Quæ scripserit, ex Epitaphio sepulchri ejus, quod est in Ecclesia S. Marcelli Parisiis, cognosci potest; sic enim ibi legitur: *Hic jacet Magister Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui composuit librum Sententiarum, glossas Psalmorum, & Epistolarum.* 366.

Sed quamvis Petrus Lombardus Magister vocetur, tamen discipuli ejus, Scholastici Doctores, & docti non omnia probant; siquidem notantur articuli sex & viginti, in quibus Magister rejicitur: imo aliqui eum ad Alexandrum III. hæresis nomine detulerunt, quod docuisset, Christum ut hominem non esse aliquid: quam ejus sententiam damnatam fuisse in Concilio quodam Parisiensi jubente Alexandro Pontifice, testatur Matthæus Paris in Historia Anglicana in Henrico secundo pag. 132. quæ damnatio facta est annis 19. post obitum ejusdem Petri.

Non diu post accusatus fuit a Joachim Abbate, quod docuisset, unam summam rem esse Patrem, Filium, & Spiritum S. Verum

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. Petri Lombardi ſententiam approbavit, & contrariam Joachimi Abbatis rejecit.

Otto Friſingenſis, inſignis nobilitate, pietate, & doctrina: fuit initio Monachus Ciſtercienſis, ac poſtea Abbas Morimundenſis, ac tandem Epiſcopus Friſingenſis. Hic, quoniam Gilbertum Porretanum valde laudaverat, in morte revocavit, ſi quid in illius laudem dixiſſet, quod Fidei Chriſtianæ contrarium videri poſſet.

Scripſit libros ſeptem Chronicorum ab Orbe condito usque ad annum Domini 1146. His adjecit librum octavum de fine mundi, Antichriſti perſecutione, Reſurrectione mortuorum, Judicio extremo, gloria Beatorum, & ſuppliciis damnatorum. Inſuper ſcripſit de geſtis Friderici primi Imperatoris libros duos: quibus addidit duos alios Radevicus Canonicus Friſingenſis.

Petrus Bleſenſis, Archidiaconus Bathonienſis, floruit tempore Alexandri III. Pontificis, & Henrici II. Regis Angliæ, cui diu familiaris fuit. Scripſit plura ſapienter, & facunde. Quæ nunc exſtant, ſunt edita opera Joannis Buſæi Moguntiæ anno 1600. Sunt autem hæc:

1. Epiſtolæ 180. 2. Tractatus de Converſione S. Pauli. 3. Compendium in Job. 4. Tractatus de Jeroſolymitana peregrinatione. 5. Inſtructio Fidei ad Soldanum Iconii: hæc inſtructio reperitur etiam apud Matthæum Pariſienſem ad annum Domini 1169. ſub nomine Alexandri III. Pontificis; hic enim direxit eam ſuo nomine, quamvis a Petro Bleſenſi conſcriptam. 6. Liber de Confeſſione Sacramentali. 7. Liber de Satisfactione a Sacerdote injungenda. 8. Canon Epiſcopalis, ſive de inſtitutione Epiſcopi. 9. Invectiva contra depravatorem. 10. Tractatus de amicitia Chriſtiana.

Sæculum XIII.

§. I.

Catalogus Summorum Pontificum.

Hoc Sæculum Dei favore fuit immune ab omni Schismate.

367. I. alias 177. Honorius III. antea Cencius de Sabellis, Romanus, vir doctus, & morum integritate ſanctiſſimus, creatus eſt Peruſiæ 18. Julii anno 1216. ſedit annos 10. & menſes 8. mortuus anno 1227. 18. Martii. Regulam S. Franciſci ab Innocentio III. approbatam confirmavit; item approbavit Ordinem S. Dominici ſub Regula D. Augu-

Auguftini, ac Regulam Ordinis Carmelitarum. Inter Sanctos retulit S. Laurentium Archiepifcopum Dublinenfem.

II. alias 178. Gregorius IX. antea Ugolinus Cardinalis Epifcopus Oftienfis, natus Patre Signiæ Comite, magno confenfu invitus creatus anno 1227. 19. Martii, fedit annis 14. menfibus 5. & diebus 2. mortuus anno 1241. 21. Augufti. Sanctorum albo adfcripfit S. P. N. Francifcum de Affifio, S. Antonium de Padua, S. Dominicum, S. Elifabeth Hungariæ Tertii Ord. S. P. N. Francifci.

III. alias 179. Cæleftinus IV. Mediolanenfis antea Gaufridus Caftilionæus, creatus anno 1241. 22. Septembris, fedit tantum dies 17. & mortuus eft ante confecrationem.

IV. alias 180. Innocentius IV. Genuenfis, antea Sinibaldus Flifcus, poft viginti ferme menfium interregnum creatus anno 1243. 24. Junii, fedit annos 11. menfes 5. dies 14. obiit anno 1254. 7. Decembris Canonizavit S. Petrum Veronenfem Martyrem, & S. Stanislaum Epifcopum Cracovienfem in Polonia: approbavit Regulam S. Claræ a B. Francifco traditam.

V. alias 181. Alexander IV. Anagninus, Innocentii III. & Gregorii IX. propinquus, appellatus antea Raynaldus, Cardinalis Epifcopus Oftienfis, ac Veliternus, creatus anno 1254. 12. Decembris, fedit annis 6. menfibus 5. diebus 13. mortuus anno 1261. 25. Maji. Canonizavit S. Claram de Affifio.

VI. alias 182. Urbanus IV. antea Jacobus Pantaleon, Gallus in Tricaffibus ortus loco tenui, Patriarcha Hierofolymitanus, creatus extra Cardinalium collegium anno 1261. 29. Augufti, fedit annos tres, menfem unum, & dies 4. mortuus anno 1264. 2. Octobris. Inftituit feftum SS. Corporis Chrifti: mitigavit primam Regulam S. Claræ: canonizavit S. Richardum Epifcopum Ciceftrenfem in Anglia.

VII. alias 183. Clemens IV. antea Guido Groffus, Fulcodii filius, Cardinalis & Epifcopus Narbonenfis, juris valde peritus, concordi fuffragio abfens creatus 1265. fedit annos tres, & menfes 9. mortuus Viterbii anno 1268. ad finem Novembris.

VIII. alias 184. B. Gregorius X. alias Thealdus, vel Theobaldus, Placentinus, Archidiaconus Leodienfis, poft interregnum fere trium annorum, creatus anno 1271. 1. Septembris, fedit annis 4. menfibus 4. diebus 10. mortuus ao. 1276. 10. Januarii. vide Notam (A)

IX. alias 185. Innocentius V. antea Petrus de Tarantafia, Burgundus, primus ex Ordine S. Dominici, creatus anno 1276. 22. Januarii, fedit menfes 5. mortuus 21. Junii. Vide Notam (B).

X. alias

X. alias 186. Hadrianus V. alias Ottobonus Flifcus, Genuenfis, creatus anno 1276. 13. Julii, fedit tantum 36. dies, mortuus 18. Augufti, ubi necdum Pontificatu, nec Sacerdotio initiatus erat; erat enim tantum Diaconus.

XI. alias 187. Joannes XX. dictus XXI. Petrus antea appellatus, Juliani filius, Lufitanus, creatus anno 1276. 15. Septembris, fedit menfes 8. cameræ enim ruina percuffus, fexto inde die 15. Maji anno 1277. Viterbii occubuit. Vide Notam (C)

XII. alias 188. Nicolaus III. antea Joannes Cajetanus Urfinus, Cardinalis Diaconus Tit. S. Nicolai in carcere Tulliano, creatus eft anno 1277. menfe Novembri: fedit ann's 2. menfibus 8. diebus 29. obiit anno 1280. 24. Augufti. Probavit fententiam Gregorii IX. de Stigmatibus S. P. N. Francifci.

XIII. alias 189. Martinus IV. Gallus, dictus Simon Brienfis, vulgo de Bria, creatus anno 1281. 22. Februarii, fedit annos 4. menfes, ac dies 7. mortuus Perufiæ anno 1285. 29. Martii, ibique fepultus miraculis claruit. Vide Notam (D)

XIV. alias 190. Honorius IV. antea appellatus Jacobus Sabellus, Romanus, creatus anno 1285. 2. Aprilis, fedit annos 2. mortuus an. 1287. 3. Aprilis. Confirmavit Ordinem Carmelitarum, vefte decentiore, qua nempe nunc utuntur, eis tradita.

XV. alias 191. Nicolaus IV. antea Hieronymus Tineus, Afculanus, ex Ordine S. Francifci primus Papa invitus creatus anno 1288. 22. Februarii, fedit annos 4. menfem unum, & dies 14. mortuus anno 1292. die 4. Aprilis. Confirmavit Literas Alexandri IV. de veritate Stigmatum S. Francifci. Vide Notam (E)

XVI. alias 192. S. Cæleftinus V. patria Efternienfis, Monachus, Petrus de Murrone vocatus, poft interregnum duorum annorum, & trium menfium. Feffus precibus, & multum invitus creatus eft anno 1294. 5. Julii: Sedit menfes 5. & dies 8. de quo vide notam (F)

XVII. alias 193. Bonifacius VIII. Anagninus, Benedictus Cardinalis Cajetanus antea dictus, creatus anno 1294. 24. Decembris, fedit annos 8. menfes 9. & dies 18. mortuus anno 1303. 11. Octobris. Canonizavit S. Ludovicum Regem Galliæ. Vide notam (G)

§. II.

Notæ quædam Hiftoricæ.

368. (A) De electione Gregorii X. ex Annalibus noftris Waddingi tom. 4. Editionis 2. Romanæ an. 1732. fol. 329. hæc refero: "Po„ftremo

„ſtremo poſt diuturnam, & exitialem diſſenſionem, jam nunc ad tri-
„ennii finem a Viterbienſibus propemodum coacti, cum diſcordanti-
„bus animis, ut unum ex ſe eligerent, fieri non poſſet, tandem per
„viam compromiſſi in ſex Cardinales facti, ſuadente maxime ſancto
„Bonaventura, Kalendis Septembris in Pontificem maximum renun-
„ciarunt Thealdum, aliis corrupte Theobaldum, Vicecomitem Pla-
„centinum, Archidiaconum Leodienſem abſentem in Syria, & ex-
„tra Collegium Cardinalium, licet contra omnium hiſtoricorum fi-
„dem Cardinalem legatum fuiſſe dicat Joannes Villanus, & Antoni-
„nus Epiſcopum Placentinum.

„Ut hic præ aliis eligeretur, plurimum obtinuiſſe, & perſua-
„ſiſſe Bonaventuram, ſcribunt Honuphrius Panvinus, Alphonſus
„Ciaconus, & Severinus Binius, cui tamen noſtri authores rem to-
„tam attribuunt, neque ab alio electum ferunt Gregorium, quam a
„Bonaventura ſolo Pontificem acclamatum. Id etiam attexunt,
„quod, cum ſe ipſum, ſi vellet, Papam renunciare poſſet, ſupre-
„mum hunc honorem a ſe procul fecerit, & in alium, utique dignum,
„contulerit. Ita Marianus, Marcus, Rodulphus, & alii, hosque,
„ut reor, ſecutus Petrus Galeſinus in Vita ſancti Doctoris, cujus
„verba tranſcribo: *Clemente IV. Pontifice Viterbii mortuo, cum eſſet Inter-
„pontificium, diſſentientes inter ſe Cardinales de Pontifice creando, convenerunt
„in eo, tam vitæ integritate, quam ſapientia, doctrinaque ſancti Bonaventuræ
„adducti, ut is unus diſſenſionem annorum circiter trium dirimeret, ac verus
„ſine controverſia Pontifex eſſet, quem ille pronunciaſſet, etiam ſi ſe ipſe elegiſ-
„ſet. Elegit autem non eorum quemquam, qui præſentes ſeptem, & decem Car-
„dinales aderant, ſed qui in disjunctiſſima provincia, Hieroſolymæ jamdiu ſan-
„ctæ peregrinationis cauſa aberat, Theobaldum Vicecomitem Placentinum, Ar-
„chidiaconum Leodienſem, virum religionis, & pietatis nomine, maxime illis
„temporibus illuſtrem. Qua in actione ſpectare licet integritatem, æquitatem,
„ſapientiam, & præclaram ejus voluntatem, animumque boni publici deſiderio
„inflammatum, nec ullis ambitionis fallaciis fucatum.*„

De hac hiſtoria etiam memorari merentur ſequentes verſus:

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit diſcordia fratrum.

(B) Cardinales ex præſcripto legis latæ a Gregorio X. incluſi in Conclave XIII. Calendas Februarii, poſtridie Pontificem conſenſe-runt eſſe, Petrum de Tarantaſia ſub Innocentii V. nomine. Fuit Ma-giſter SS. Theologiæ, & magnæ literaturæ: ſcripſit in Sententias, & Epiſtolas D. Pauli.

(C) Joan-

(C) Joannes XX. ftatim Conftitutionem per Gregorium X. de inclufione Cardinalium in Conclavi per Hadrianum fufpenfam revocavit, & abrogavit. Hac de caufa fine tali reclufione, qui deinceps fuccefferunt Pontifices, Nicolaus III. Martinus II. dictus IV. Honorius IV. & Cæleftinus V. creati funt: a Cæleftino vero V. ipfius Gregorii Conftitutionem de reclufione in Conclavi denuo renovatam, qui ei fuffectus eft Bonifacius VIII. ratam habens, & confirmans, libro 6. Decretalium regiftravit. Ita Panvinius in Annotat. ad Platinam pag. 181.

(D) Martinus IV. anathematizavit Michaelem Palæologum, quod defeciffet a Romanæ Sedis focietate, quam & per Oratores in Concilio Lugdunenfi, & per fe deinde coram Legatis Apoftolicis juraverat, conftanter fe fervaturum: damnavit quoque Authores conjurationis Siculorum in Gallos, qua erumpente in actum III. Calendas Aprilis die facro Pafchæ, dato figno campanæ ad Vefperas, Galli omnes ad unum, nihil cogitantes, toto regno cæfi funt, ipfæque mulieres Siculæ, quæ ex Gallis concepiffe ferebantur, exenteratæ, parvulique, ne quid gallici generis in Sicilia remaneret, faxis allifi. Fazellus de rebus Siculis Dec. 2. L. 8. c. 4. ait: *duarum horarum fpatio eo tempore octo Francorum millia occifa fuiffe conftat: inde adagio increbuit:* Vefper Siculus.

(E) Sub Nicolao IV. & anno 4. Pontificatus ejus, expugnata a Saladino Babyloniæ Rege Hierofolyma, Chriftianisque Syria tota expulfis, facratiffima ædicula, in qua Chriftus Dei filius conceptus a B. Virgine eft, translata fuit in Dalmatiam minifterio Angelorum, atque inter Terfactum, & Flumen oppida in planitie fumma collis Adriatico mari impendentis collocata. Poft annos tres ac menfes feptem anno 1294. IV. Idus Decembris itidem Angelorum opera transfportata eft in Italiæ regionem Picenam, ubi eft hodie Sacrarium infigne.

(F) Cæleftinus V. ftudio humilitatis, & defiderio meditandi cœleftia, a quorum contemplatione ob curas Pontificii muneris multum impediebatur, de Pontificatu iterum deponendo cogitare cœpit: "Tum vero in disquifitionem venit, poffetne Pontifex fe abdicare. „Poffe, Cardinalium omnium concordi confilio, & affenfu, autho„ritate Apoftolica ftatuit, & decrevit Cæleftinus. Quare Idibus „Decembris exemplo memorabili virtutis depofuit Pontificatum, „menfe quinto & die octava, quam ei demandatus erat. „ Ita Sandini.

(G) Bonifacio VIII. grave diffidium fuit cum Philippo pulchro Gallorum Rege orto initio a conftitutione illa, qua Bonifacius cavit,

cavit, ne Clerici aliquid Laicis ſolverent absque authoritate Sedis Apoſtolicæ. *Exſtant Regiæ majeſtatis, Pontificisque alternæ epiſtolæ utrinque miſſæ, plenæ convitiis mutuis, ignominioſæque, ſi modo veræ, ab ipſisque compoſitæ, & non confictæ ab aliis, quod ſimilius vero ſit.* Paulus Æmilius de rebus geſtis Francorum lib. 8. pag. 171. Demum utrinque deventum eſt ad extrema. Bonifacius in conventu Pariſienſi oneratus falſis criminibus. Philippus a Bonifacio percuſſus anathemate, regnum ejus interdictum ſacris, adjudicatumque Alberto Auſtriæ Duci, Rodulphi filio. Hinc Pontifex per Sciarram Columnam, & Guilielmum Nogaretum Anagniæ habitus in cuſtodia. Triduo poſt a Civibus Anagninis vindicatus in libertatem, profectus eſt Romam: ibique die quinto ac tricefimo, poſtquam captus fuerat, V. Idus Octobris anno 1303. interiit. Ita refert Sandini in Vita hujus Pontificis.

§. III.

Hæreſes, & Concilia Generalia.

369. 1. Memorantur impia, & ſtulta dogmata Almarici de Bena, damnata in Concilio Lateranenſi IV. qui inter alias inſanias docebat, Corpus Chriſti non aliter eſſe in pane Altaris, quam in alio pane, & in qualibet re: hinc Tranſubſtantiationem negabat.

2. Fraticelli, duce quodam Hermano, docebant: 1. Summum Pontificem in Eccleſia nullam authoritatem habere. 2. Se ſolos conſtituere veram Chriſti Eccleſiam. 3. Se nullius obedientiæ ſubditos eſſe. 4. Copulam cum omnibus mulieribus exercebant, puerosque ex illis genitos occidebant. Hos damnavit Bonifacius VIII.

3. Begardi, & Beguinæ, qui authore Bogonato monaſticam vitam ſine votis profitebantur, docebant 1. Hominem poſſe in hac vita fieri impeccabilem. 2. Hominem ſtatum impeccabilitatis conſecutum, non amplius teneri ad jejunia, & orationem, atque in gratia creſcere non poſſe: aliaque id genus. Damnati ſunt in Concilio Viennenſi.

Concilia Generalia.

370. I. Concilium generale XII. ſeu Lateranenſe IV. ab Innocentio III. anno 1215. imperante Friderico II. eſt convocatum 1. pro recuperatione terræ ſanctæ a Turcis occupatæ. 2. pro hæreſum tunc graſſantium eliminatione. 3. pro morum reformatione.

In hoc Concilio teſte Urſpergenſi, qui eo tempore floruit, *fuerunt Epiſcopi 412, inter quos exſtiterunt de præcipuis Patriarchis duo, vide-*

licet Constantinopolitanus, & Jerosolymitanus: Antiochenus gravi languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se vicarium Antheradensem Episcopum: Alexandrinus vero sub Saracenorum dominio constitutus, fecit, quod potuit, mittens pro se Diaconum suum Germarium: Primates autem, & Metropolitani 71. Cæterum Abbates, & Priores, ultra 800. Archiepiscoporum, & Episcoporum, Abbatum, & Priorum, & Capitulorum absentium certus numerus non fuit comprehensus: Legatorum vero Imperatoris Romanorum, & Imperatoris Constantinopolitani, Regum Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Jerosolymorum, & Cypri, Arragoniæ, nec non & aliorum Principum & Magnatum, Civitatum &c. ingens fuit multitudo. Ita loquitur Urspergensis.

Gesta sunt in hac Synodo sequentia: 1. Damnatus est liber, quem Abbas Joachim scripsit contra Petrum Lombardum, de quo jam actum est Sæculo XII. in Petro Lombardo. 2. Damnata sunt dogmata impia Almarici, de quo num. præc. 3. Statuta est expeditio pro recuperatione terræ sanctæ. 4. Varii conditi sunt canones pro morum reformatione, inter quos eminet ille: *Omnis utriusque sexus.* Oecumenicitas istius Concilii est innegabilis, & ita conspicua, ut in Jure Canonico, quoties laudatur Concilium Lateranense sine addito, semper hoc quartum intelligatur.

371. II. Concilium Oecumenicum XIII. seu Lugdunense I. cui cum S. Pontifice præsidente interfuere plures Cardinales, tres Patriarchæ, 140. Episcopi, Balduinus Constantinopolitanus Imperator, Oratores Regum Galliæ, Angliæ, Arragoniæ, & aliorum Principum, imo & ipsius Friderici II. Imperatoris Germaniæ, fuit convocatum ab Innocentio IV. 1. contra Fridericum Imperatorem erga Ecclesiam Romanam se tyrannice gerentem. 2. Pro terræ sanctæ recuperatione. In hoc 1. Sententia excommunicationis, & depositionis lata est adversus Fridericum Imperatorem ab Innocentio IV. 2. Renovatum est Decretum pro expeditione contra Turcas facienda. 3. Condita sunt varia decreta disciplinam morum tangentia. Fuit hoc Concilium perfecte œcumenicum: quia legitime convocatum, celebratum, & approbatum.

372. III. Concilium œcumenicum XIV. seu Lugdunense II. cui cum S. Pontifice Gregorio X. adfuerunt mille Patres, Patriarchæ 2. Constantinopolitanus, & Antiochenus, Archiepiscopi 70. Episcopi 500. anno 1274. imperante in Germania Rudolpho: fuit convocatum 1. ob subsidium terræ S. præstandum. 2. ob unionem græcæ cum latina Ecclesia instaurandam. 3. ob reformationem morum. Definitum est 1. in isto Concilio, Spiritum S. a Patre, filioque procedere tanquam ex uno principio. 2. Damnati sunt, qui contra jus Regalia de novo copa-

conabantur usurpare. 3. Græcis promissa fuit decima pars bonorum Ecclesiasticorum pro terræ Sanctæ expeditione. In hoc Concilio maxime etiam emicuit sapientia, & rerum gerendarum dexteritas S. Bonaventuræ ut Cardinalis, & Albanensis Episcopi ibi præsentis. Fuit etiam ad istud Concilium vocatus S. Thomas, qui tamen obiit in itinere. Oecumenicitas hujus Synodi est extra omne dubium.

§. IV.

Scriptores Ecclesiastici.

Innocentius III. Pontifex, de quo jam in serie Pontificum, vir multæ pietatis, doctrinæ, & magnæ prudentiæ in Ecclesia regenda: ejus opera comprehenduntur duobus tomis: In primo sunt 1. Sermones de tempore. 2. De Sanctis tam proprii, quam communes: & 3. quatuor de consecratione Summi Pontificis. Ultra hæc sunt 4. Liber unus de Eleemosyna. 5. Liber unus in septem Psalmos pœnitentiales. 6. Liber unus de laude Charitatis. 7. Libri sex de Mysteriis Missæ. 8. Libri tres de Contemptu mundi. 9. Encomium in Christum, & ejus Matrem. 10. Tres libri, Precationes de Passione Christi. 11. Itidem tot libri de veneratione Sanctorum. 12. Hymnus in Christum, & ejus Matrem. 13. Duæ Conciones parænetica ad Concilium. 14. Acta, atque Decreta Concilii Lateranensis. 373.

In tomo secundo continentur libri duo Epistolarum, & Constitutionum Decretalium libri quinque. Capitula, quibus mentio fit ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi, quod non est Concilium illud sub Innocentio III. sed sub Alexandro III. Itaque Decreta Concilii sub Innocentio III. edita, vere Concilii generalis sunt, & ab ipso Concilio constituta, & non primum a solo Innocentio condita post Concilium jam absolutum.

Conradus Urspergensis, Monachus Præmonstratensis, postea Abbas Urspergensis, scripsit Historiam, sive Chronicon a primo Rege Assyriorum Belo usque ad Fridericum secundum Imperatorem, seu usque ad annum Domini 1229. Hoc observat Bellarminus: auctorem istum ob studium erga Imperatores Nationis suæ non pauca contumeliosa scripsisse de Innocentio III. & Gregorio IX. Pontificibus admodum piis & doctis: de cætero autem esse scriptorem satis diligentem, & dignum, qui legatur.

S. Franciscus Assisias, seu Seraphicus, cujus laudibus totus orbis Catholicus est plenus, merito a doctissimis viris inter Scriptores Ecclesiasticos collocatur, ut a Guilielmo Eysengrenio de testibus 374.

Catholicæ veritatis, Joanne Trithemio, Antonio Possevino, & pluribus aliis. De hoc recte S. Bernardinus Senensis pronunciavit: *Erat sapientia ejus cælica desursum descendens, pudica, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis. —— Nec mirum: cum per S. Spiritus unctionem plenarium Scripturarum Doctorem apud se haberet in corde. Porro scientiam sæculi calcavit, sed cæli scientiam obtinuit. —— An non doctus, qui intricatiores Theologiæ dubitationes expeditissime soluebat, & prædicabat cum tanta admiratione inter Christianos, & infideles, ut doctiores ad eum, quasi oraculum, ventitarent ad percipienda difficiliora, quæ pervia, & manifesta menti non erant.* Hæc ex S Bernardio affert in Præfatione ad Opera S. P. Francisci Pedeponti edita, & excusa anno 1539. eruditus, & doctissimus Joannes de la Haye Parisius Regius Ecclesiastes, Ordinis nostri Regularis Observantiæ, vir pluribus libris editis clarus. Opuscula igitur S. Patris Francisci ex ipso allegato libro P. de la Haye hic attexo:

1. Epistola ad universos Christi Fideles. 2. Alia ad eosdem in capita 13. divisa. 3. Epistola ad D. Antonium Paduanum. 4. Epistola ad S. Claram, & cæteras Sorores S. Damiani. 5. Ad easdem Epistola. 6. Ad fratrem Eliam Vicarium generalem. 7. Alia ad eundem. 8. Ad generalem Ministrum Fratrum Minorum. 9. Ad Ministros eorundem. 10. Ad Capitulum generale. 11. Ad aliud Capitulum generale. 12. Ad Sacerdotes totius Ordinis. 13. Ad universos Clericos. 14. Ad universos Custodes fratrum minorum. 15. Ad populorum Rectores. 16. Ad fratrem Leonem. 17. Ad dominam Jacobam de septem Solibus. 18. Verba sacræ admonitionis ad omnes fratres, comprehensa viginti septem capitibus. 19. Verba ad humilitatem, obedientiam & patientiam inducentia. 20. De virtutibus, quibus decorata fuit S. Virgo, & esse debet sancta anima. 21. Opusculum de vera, & perfecta lætitia. 22. Expositio in Orationem Dominicam. 23. Laus Dei altissimi. 24. Oratio B. Patris in suæ conversionis initio. 25. Aliqua præponenda horis canonicis. 26. Salutatio ad Virginem Mariam, & Oratio ad eandem. 27. Oratio S. Patris pro obtinenda paupertate: & alia ad S. Eucharistiam: iterum alia ad impetrandum Divinum amorem: item alia ejusdem in infirmitate, & alia pro commendanda familia, atque alia quotidiana. 28. Testamentum ejusdem B. Patris, & laus ejusdem Testamenti. 29. Prima Regula pro fratribus minoribus, capita 23. continens. 30. Secunda Regula pro fratribus minoribus capita 12. complectens. 31. Prima Regula Monialium S. Claræ duodecim capitibus distincta. 32. Regula Tertiariorum, seu Fratrum de Pœnitentia viginti capitibus contenta.

contenta. 33. Viginti & octo collationes. 34. Canticum Solis. 35. Apophtegmata. 36. Familiaria colloquia. 37. Prophetiæ. 38. Parabolæ, & Exempla. 39. Benedictiones. 40. Oracula, & Sententiæ communes. Hæc a de la Haye genuina cenſentur Opera, & Opuſcula. Inter dubia vero recenſentur ſequentia:

Sermo I. de humilitate, & patientia.
Sermo II. contra peccata mortalia.
Sermo III. de bono Eleemoſynæ.
Sermo IV. de amore inimicorum.
Sermo V. de perfecta obedientia.
Sermo VI. de animæ dignitate.
Sermo VII. de Sacerdotum obligatione.

Sex præcipuæ rationes, quare Deus optimus maximus Religionem Minorum ſuæ conceſſerit Eccleſiæ.

Opuſculum decem perfectionum veri Religioſi, & perfecti Chriſtiani.

S. Antonius Paduanus locum non mediocrem inter Scriptores Eccleſiaſticos occupat. De eo Gregorius IX. Summus Pontifex, ſtupens ad profunda verba de Scripturis divinis a S. Antonio prolata, dixit: *Vere hic arca Teſtamenti eſt, & divinarum armarium Scripturarum.* 375

Thomas Gallus Abbas Vercellenſis ex Ordine S. Benedicti ſcribit: Multi penetrarunt arcana SS. Trinitatis, ſicut expertus ſum in Antonio ex Minorum Ordine in familiari conſuetudine, quam habui ſecum: qui parum inſtructus diſciplinis ſæcularibus, tam brevi myſticam Theologiam eſt adeptus, ut cœleſti amore intus peruſtus, foris divina ſcientia illuminaret. Cardinalis Bellarminus ait: S. Antonius de Padua appellatus —— miraculis plurimos convertit vel ab hæreſi ad rectam fidem, vel ab improbis moribus ad pœnitentiam agendam: exſtant ejus Conciones tum de tempore, tum de Sanctis. Antonius Poſſevinus S. J. inquit: Antonius Ordinis Minorum, S. Franciſci diſcipulus, ſanctitate, miraculis, & doctrina clarus. Et alii plurimi, qui Sanctum iſtum non ſolum ſanctitate, ſed etiam doctrina clariſſimum deprædicant.

Ejus opera a P. de la Haye jam ſupra num. præced. laudato critice examinata, recenſentur ſequentia: 1. Sermones Dominicales, Adventus, & de tempore, ac feſtis plurimis. 2. Interpretatio Myſtica in S. Scripturam, nempe in Geneſin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium: in Joſue, Judices: in librum Ruth: in librum I. Regum, in librum II. Regum, in librum III. Regum, in li-

brum

brum IV. Regum: in librum II. Paralipomenon: in librum II. Eſdræ: in librum Tobiæ: in librum Judith, in librum Eſther: in librum Job: in librum Pſalmorum: in librum Proverbiorum: in librum Eccleſiaſtis: in librum Canticorum: in librum Sapientiæ: in librum Eccleſiaſtici: in Iſaiam: Jeremiam: in Threnos: in Ezechielem: in Danielem: in Prophetas minores. Expoſitio myſtica in novum Teſtamentum, id eſt, Matthæum, Marcum, Lucam, Joannem: Acta Apoſtolorum: Epiſtolam ad Romanos: ad Epheſios: Epiſtolam 1. &. 2. ad Corinthios: ad Galatas: Philippenſes: Coloſſenſes: in primam, & ſecundam ad Timotheum: ad Hebræos: in Epiſtolam S. Jacobi: in primam, & ſecundam S. Petri: fragmenta in librum Apocalypſis. 3. Accedunt concordantiæ morales Sacrorum Bibliorum miro ingenio, & optimo ordine diſpoſitæ, inveniendæ apud P. de la Haye jam ſæpius laudatum, extractæ ex Manuſcriptis Bibliothecæ Fratrum Minorum Aræ Cœli in Capitolio. Hæc germana ſunt Opera viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi.

376. S. Raymundus Barcinonenſis de Penna forti Ordinis Prædicatorum, juſſu Gregorii IX. collegit in unum volumen libris quinque diſtinctas Epiſtolas Decretales SS. Pontificum. Scripſit quoque egregiam ſummam: mortuus anno 1275. a Clemente VIII. in Sanctorum numerum relatus eſt anno 1601.

Alexander Alenſis Ordinis Franciſcani, vir piiſſimus, & doctiſſimus, cognominatus *Doctor irrefragabilis*, SS. Thomæ, ac Bonaventuræ Doctor, & Præceptor fuit. Scripſit imperio Innocentii IV. Summam Theologiæ inſignem, copioſiſſimam, & notiſſimam: ſcripſit inſuper Poſtillam in univerſa Biblia, & Summam virtutum. Obiit anno 1245.

Hugo de S. Caro Burgundus, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis S. Sabinæ ab Innocentio IV. creatus, pie ac ſancte mortuus anno 1244. Scripſit commentaria in tota S. Biblia: ſcripſit & ſeorſim in Pſalmos; quamvis dubitetur, an commentarii in Pſalmos ſint Hugonis, vel Alexandri Alenſis. Item Hugo excogitavit Concordantias Bibliorum, quamvis aliorum poſtea labore multum ſint auctæ.

B. Albertus, ob ſcientiam ſingularem cognomine Magnus, Suevus, Religioſus Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Ratisbonenſis, ſcripſit plurima opera Philoſophica, & Theologica. Ex his exſtant 1. Summa Theologiæ, ſed imperfecta. 2. Commentarii in libros Sententiarum. 3. Commentarii in 12. Prophetas minores. 4. Commentarii in quatuor Evangelia. 5. Liber unus de quatuor coævis. 6. Liber unus de Virtutibus. 7. Liber unus de adhærendo Deo. 8. Libri

Libri septem, compendium Theologicæ veritatis. 9. Enchridion de veris, perfectisque Virtutibus.

Præterea libri duo adscribuntur Alberto, unus de mirabilibus, alter de Secretis mulierum: sed uterque indignus est, ut tanto viro tribuatur; nam superstitiosa quædam continent, & multa vana.

1277. S. Thomas Aquinas Neapolitanus, Ordinis Prædicatorum, illustris genere, clarior sanctitate, & sapientia, natus anno 1224. mortuus an. 1274. quo anno etiam obiit ejus amicissimus S. Bonaventura, fuit inter Sanctos relatus a Joanne XXII. anno 1323. & inter Sanctos Ecclesiæ Doctores haberi jussus Apostolico Pii V. Romani Pontificis decreto anno 1567.

Scripta ejus sunt plurima, & Sole clariora. Describam cum Bellarmino eorum indicem ex Romana Editione jussu Pii V. facta: sunt autem Tomi 17.

Primus tomus continet vitam S. Thomæ ex diversis collectam, & Commentarios in libros Perihermenias, & posteriorum analyticorum.

Secundus tomus Commentaria in 8. Physicorum libros, & in libros de cœlo, & mundo, ac in duos de generatione.

Tertius tomus continet Commentaria in libros 4. Meteorum, & in lib. de anima, & in parva naturalia.

Quartus tomus comprehendit Commentaria in libros 12. Metaphysicorum: Tractatum de ente, & essentia, & expositionem in librum de causis.

Quintus tomus continet Commentaria in libros 10. Ethicorum.

Sextus tomus habet Commentarios in primum, & secundum Sententiarum.

Septimus continet Commentaria in tertium, & quartum Sententiarum.

Octavus tomus complectitur quæstiones disputatas, & Quodlibeta.

Nonus tomus continet Summam contra Gentiles cum Commentariis Francisci Ferrariensis.

Decimus tomus comprehendit primam partem Summæ Theologiæ cum Commentariis Cardinalis Cajetani, & Expositionem S. Dionysii de Divinis Nominibus.

Undecimus tomus continet primam secundæ, & secundam secundæ cum Commentariis Cajetani: hic nota, magnam partem primæ secundæ, & secundæ secundæ inveniri iisdem verbis in primo & tertio libro speculi moralis Vincentii Bello-

 vacensis,

vacensis, quod varias suspiciones movere potest. Ad quas elidendas id occurrit Bellarmino: Speculum morale fortasse non esse Vincentii Bellovacensis, sed alicujus authoris posterioris, qui forte & ipse Vincentius dicebatur, quique secundam partem D. Thomæ in compendium redigere voluit: id, quod ex eo confirmat laudatus Cardinalis, quod speculum morale gravius multo videatur, quam sint specula doctrinale, naturale, & historicum, quæ tria sine omni dubio sunt Vincentii Bellovacensis.

Duodecimus tomus continet tertiam partem cum Commentariis Cardinalis Cajetani.

Tertius decimus tomus continet Commentarium in Job, & in primam quinquagenam Psalmorum: in Cantica: Isaiam: Jeremiam, & Threnos.

Quartus decimus tomus comprehendit Commentaria in Matthæum, & Joannem.

Quintus decimus complectitur auream Catenam ex Patribus contextam in quatuor Evangelia.

Decimus sextus continet Commentaria in omnes Epistolas S. Pauli, & Sermones de tempore, & de Sanctis.

Septimus decimus habet Septuaginta tria Opuscula: & scriptum secundum in quatuor libros Sententiarum ad Anibaldum Cardinalem.

Præter hos libros alii sunt, de quibus dubitatur, an S. Thomæ tribui debeant, ut: Commentarii in Genesin, libros Machabæorum, & septem Epistolas canonicas. Etiam in Opusculis sunt aliqua, quæ dubio sunt obnoxia, & in Editione Romana notantur diverso charactere. Est etiam unum, inscriptum de regimine Principum, Bellarmino multis de causis suspectum. Qui plura desiderat, adeat Bellarminum de Script. Eccles. in S. Thoma pag. 210. & Annatum l. 4. de SS. Ecclesiæ Patribus pag. 600. ubi singula opuscula lustrantur, & germana a dubiis, & spuriis discernuntur.

378. S. Bonaventura Balneoregiensis Italus, illustribus parentibus genitus, Minister generalis totius Ordinis S. Francisci, ac postea Albanensis Episcopus, & Cardinalis a Gregorio X. creatus, non in Concilio Lugdunensi, & feriis Pentecostes, ut multis placet, sed jam ante Concilium; nam in ipso Concilio Lugdunensi, quod Romæ est editum, invenitur S. Bonaventura Cardinalis residere cum cæteris in prima statim sessione; prima autem sessio celebrata est anno 1274. die 7. Maji, triduo ante festum Ascensionis. Fuit vir sanctissimus

æque,

æque, ac doctiſſimus, & jure meritiſſimo Doctor Seraphicus Eccleſiæ Pontificio oraculo appellatus.

Ejus doctrina mire a doctiſſimis extollitur. Sic Gerſon 1. p. de laudibus S. Bonaventuræ aſſeverat: *ſi quæratur ex me, quis inter Doctores cæteros plus videatur idoneus? reſpondeo ſine præjudicio, quod Dominus Bonaventura: quoniam in dicendo ſolidus eſt, & ſecurus: pius, & juſtus, & devotus.* Idem de Lectura, id eſt, Expoſitione Sententiarum S. Bonaventuræ ait: *Lectura ejus grandior docet ignem cum lumine, nempe pietatis ardorem, & doctrinæ ſplendorem magnum. Quam ob rem, etſi alii alios ſibi in Theologiæ ſtudio eligendos aliquando cenſuerunt, ego,* inquit Gerſon, *mihi eligo S. Bonaventuram.* Trithemius de hujus S. Doctoris opuſculis ita ſummatim loquitur: *Scripſit Bonaventura multa, & profunda, & devotiſſima opuſcula; in iis namque accenſa ejus adhuc in terra viventis charitas, & vehemens pietatis ardor, & doctrinæ lumen ſplendeſcit, & ita ſplendeſcit, vel potius accendit, ut legentem, etiam nihil minus cogitantem, quemvis tacitis quibusdam igniculis inflammet. Divinitus igitur accepta potius, quam laboribus parta ejus ſcientia putatur.*

In ſcriptis hujus attexendis ſequor V. Bellarminum, qui & ipſe Sixtum V. ſecutus eſt, qui omnia illius opera diligentiſſime conquiſita fecit edi in octo tomos diſtributa:

Primus tomus continet Principium Sacræ Scripturæ, Expoſitionem in Exameron, id eſt, Sermones viginti tres in diverſa loca in Exameron, excepta ex ore dicentis ab Auditoribus: expoſitionem in Pſalterium, in Eccleſiaſten, in Sapientiam, in Lamentationes Jeremiæ Prophetæ.

Secundus tomus complectitur expoſitionem in caput ſextum Matthæi: expoſitionem in Evangelium Lucæ: Poſtillam in Evangelium S. Joannis, & Collationes in eundem.

Tertio tomo comprehenduntur Sermones de tempore, & de Sanctis.

Quarto tomo habentur Commentarii in primum, & ſecundum librum Magiſtri ſententiarum.

Quinto tomo ſunt comprehenſi Commentarii in tertium, & quartum librum ſententiarum.

Sextus tomus continet primam, & ſecundam partem Opuſculorum. In prima parte ſunt 1. Reductio artium ad Theologiam. 2. Breviloquium. 3. Centiloquium. 4. Pharetra. 5. Declaratio terminorum Theologiæ. 6. Principium compendioſum in libros Sententiarum. 7. Quatuor libri ſententiarum carmine digeſti. 8. De quatuor Virtutibus cardinalibus. 9. De ſeptem donis Spiritus Sancti.

10. De tribus ternariis peccatorum. 11. De resurrectione a peccato ad gratiam. 12. Dicta salutis. 13. De Ecclesiastica Hierarchia. 14. Soliloquium. 15. De meditatione vitæ Domini nostri Jesu Christi. Secunda parte habentur sequentia opuscula: 16. Libellus meditationum. 17. De septem gradibus contemplationis. 18. De quinque festivitatibus Pueri Jesu. 19. Officium de Passione Dominica. 20. De S. Cruce laudatio. 21. Lignum vitæ. 22. Speculum de laudibus B. Mariæ. 23. De corona B. Mariæ. 24. De Compassione ejusdem. 25. Philomela passioni Domini aptata per septem Horas. 26. De septem verbis Domini in Cruce. 27. Psalterium B. Mariæ majus. 28. Psalterium ejus minus. 29. In salutationem Angelicam. 30 In Salve Regina.

Septimus tomus exhibet tertiam partem opusculorum, quæ est 31. De Institutione vitæ christianæ. 32. De Regimine animæ. 33. Speculum animi. 34. De decem præceptis. 35. De gradibus virtutum. 36. Itinerarium mentis in Deum. 37. De septem itineribus æternitatis. 38. Stimulus Divini amoris. 39. Parvum bonum, sive incendium amoris. 40. Amatorium. 41. Exercitiorum spiritualium libellus. 42. Fascicularius. 43. Viginti quinque memoralia. 44. Confessionale. 45. De ratione confitendi. 46. De puritate conscientiæ. 47. De præparatione Sacerdotis ad Missam. 48. Expositio Missæ. 49. De sex alis Seraphim.

Octavus tomus dat partem quartam opusculorum, quæ est 50. De triplici statu Religiosorum. 51. Speculum Disciplinæ ad Novitios. 52. Viginti passus Novitiorum. 53. In Regulam Novitiorum. 54. De processu Religionis. 55. De contemptu sæculi. 56. De Reformatione mentis. 57. Alphabetum parvum boni Monachi. 58. De Perfectione vitæ ad Sorores. 59. Declaratio Regulæ Minorum. 60. Quæstiones circa eandem Regulam. 61. Quare Fratres Minores prædicent &c. 62. De Paupertate Christi. 63. Quod Christus, & Apostoli nudis pedibus incedebant. 64. Apologia Evangelicæ paupertatis. 65. Contra Calumniatores Regulæ Franciscanæ. 66. Apologeticus in eos, qui Ordini Minorum adversantur. 67. De non frequentandis quæstionibus. 68. Collationum libellus ad Fratres. 69. De reformandis Fratribus ad Ministros Provinciales. 70. Appendix comprehendens compendium Theologiæ. 71. De essentia, invisibilitate, & immensitate. 72. De Mystica Theologia.

Rupertus de Russia Ordinis Franciscani floruit hoc sæculo, scripsitque Commentarios in 4. Libros Sententiarum, Expositionem Regulæ S. Francisci, & Librum de anima.

Super-

Supereſſent adhuc plures Scriptores Eccleſiaſtici, quorum memoria in benedictione eſt: cum tamen, ſi omnes recenſerem, meum Chronicon, quod breve eſſe volui, nimium excreſceret, eos ſolum nominatim adducere ſtatui. Itaque ſunt 379.

Jacobus a Vitriaco Hiſtoricus Eccleſiaſticus.

Matthæus Pariſienſis Hiſtoricus Eccleſiaſticus.

Martinus Polonus.

Vincentius Bellovacenſis Hiſtoricus Eccleſiaſticus, Epiſcopus ex Ordine Prædicatorum.

Henricus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis ſcripſit in Epiſtolas Decretales, & alia multa eruditione canonica referta.

Thomas Cantipratanus, Dominicanus, Epiſcopus poſtea, ſcripſit utiliſſimum opus de Natura apum; ſub qua figura multa ſcribit de officio Prælatorum, & ſubditorum, & de miraculis, & exemplis ſui temporis.

Petrus Tarantaſienſis, Dominicanus, Cardinalis Hoſtienſis, ſcripſit in libros 4. Sententiarum, & in alia.

Guilielmus Durantes, Epiſcopus Mimanenſis, Juris conſultus inſignis, ſcripſit ſpeculum in tria volumina diviſum, & commentaria in canones Concilii Lugdunenſis.

Guido Baiſius, Archidiaconus Bononienſis, ſcripſit Roſarium, ſeu Commentarium in Decretum Gratiani.

Ægidius Romanus ex nobili familia Columnenſium, Ordinis S. Auguſtini Prior generalis, ac poſtea Archiepiſcopus Bituricenſis, Auditor, & Defenſor D. Thomæ acerrimus, ſcripſit plurima Theologica, & Philoſophica, ac Commentaria in S. Scripturam.

Henricus Gandavienſis, Archidiaconus Tornacenſis, vir doctiſſimus, ſcripſit opus Quodlibetorum, Summam quæſtionum ordinariarum, & alia.

Jacobus Voragonius Hiſtoricus Eccleſiaſticus.

380. Raymundus Lullus: apud hunc diutius ſubſiſtendum eſt propter varia, quæ circa eum contigere. Itaque Raymundus Lullus tertii Ordinis S. Franciſci in Catalaunia, nobili genere in Inſula, & Civitate Majoricarum natus circa annum 1235. vixit vitam plane mirabilem, variaque fortuna, præcipue poſt mortem, eſt uſus, utpote laudibus maximis ornatus a plurimis, ab aliquibus econtra æmulis maledicis, & invidis denigratus, & contumeliis ſuprà modum oneratus: ut recte ſcribat Joannes Baptiſta Sollerius comment. §. 1. *Si verbis ſacris uti licet*, Raymundus iſte eſt *ſignum poſitum, cui a multis contradicetur: ſignum, pro quo tuendo, propugnandoque non pauciores egregie deſudarunt.*

runt. Sunt, qui virum erroneum, histrionem, fanaticum, phantasticum, præstigiatorem, perditæ memoriæ virum, quodque in his pessimum est, hæreticum, & errorum Magistrum, Orbi Christiano perniciosissimum pronunciare non dubitant: idque conatu adeo indefesso præstant, ut illis non videretur Catholici nomine dignus, qui orthodoxum dicit Raymundum. Contra vero insurgunt alii, numero multo superiores, qui & de atroci injuria, enormique calumnia accusatores postulant, vix eum habituri pro Catholico, qui debitam S. Martyri laudem deneget, & venerationem. Hæc Sollerius.

Et licet Raymundus primos suæ ætatis annos vanitati, & impuro amori consecrarit; tamen ubi cor ejus Dei miserantis gratia, & pluribus visionibus tactum, & attractum fuit, tam vehementi superno Divini amoris igne succendebatur, ut rerum humanarum concepto tædio, nihil nisi Divina cogitaret, & etiam quaquaversum flagrantis charitatis scintillas copiose dispensaret, multosque e vitiorum volutabro ad castam mentem, & virtutis cultum, orthodoxamque fidem perduceret, inter quos sunt 70. Philosophi. Itaque ipsa sacratioris vitæ ejus rudimenta jam aliquid perfectum, & consummatum præfetulerunt, ut ejus vitæ acta ex antiquissimis scriptis Archivii Balearis perhibent. Post multa itinera in bonum Religionis Catholicæ suscepta, & molestias innumeras invicto animo exantlatas, Bugiæ in Ora Mauritaniæ Fidei causa a Saracenis lapidibus obrutus, Martyr occubuit: cujus corpus delatum in Balearium insulam primariam Majoricam, ibidem in veneratione habetur. Imo cuncti totius regni Aragoniæ incolæ Lullum, ut inclytum Christi Martyrem publico cultu prosequuntur, scientibus, & minime reclamantibus Ecclesiæ Catholicæ Præsulibus. Insolita, ut ait Casteel, miracula tam certa, quam crebra, quæ ad ejusdem Lulli tumbam facta a juratis testibus recensentur, satis superque demonstrant hominis sanctimoniam, & post mortem præclara apud Deum merita, quæ debent innegabilia censeri symbola incorruptæ Fidei, & doctrinæ. Quodque Christi bonus odor fuerit, ipsa indicat suavissima fragrantia in elevatione corporis diffusa, & quæ percipitur in cubiculo, nunc in sacellum converso, B. Raymundi Lulli quovis anniversario die 25. Januarii: *Locus ambrosio plenus odore manet.*

Sunt inter Literatos judicii defæcati, atque optimæ notæ, qui hunc Lullum appellant Doctorem Illuminatissimum, Tubam Spiritus Sancti, Organum Dei, fontem veritatis, Ecclesiæ Restauratorem, cujus doctrinam & scientiam credunt potius divinitus infusam, quam industria acquisitam. Unde illud:

Doctrinam

Doctrinam pandit Raymundus Lullius omnem,
cui Deus infudit, fcibile quidquid erat.

Et vocatur communiter *Doctor Illuminatus.*

Nunc autem ut ejus famam, vehementer læfam, vindicem, mihi nemo vitio vertat, velim, fi ab ovo exordiens etiam veridice enarrem, a quo primo & injufte fuerit læfa: neque per hoc mens eft, Sacerrimum, & noftro æftimatiffimum S. Dominici Ordinem laceffere, aut injuriam illi inferre, fed nudam veritatem proponere.

Quæ igitur adducam, eo majorem fidem merentur, quo majore authoritate muniuntur; decerpfi enim omnia ex authentico Inftrumento pro defenfione Lullianæ doctrinæ contra obtrectatorem fuum Nicolaum Eimeric Ordinis Prædicatorum confecto ab Alamano S. R. E. Cardinali, in Aragoniæ, Valentiæ & Navarræ Regnis, & Majoricarum ac Minoricarum Infulis Apoftolicæ Sedis Legato, qui multa cura, ac folerti diligentia in totam caufam fecit inquiri, & ea exactiffime difquifita fententiam definitivam tulit. Inftrumentum hoc legitur tomo 1. Operum Raymundi Lulli excufi Moguntiæ 1721. impenfis Sereniffimi Electoris Palatini Caroli Philippi, qui omnia opera Raymundi fecit ubique inquiri, & munde imprimi.

In hac difcuffione, quam juffu prælaudati Nuncii Apoftolici fecit Bernardus Epifcopus Civitatis Caftelli, fuit 1. compertum, quod impugnatio Raymundi tota præcefferit vigore alicujus fictæ Bullæ, & per ipfum Eimericum falfe fabricatæ. In illo examine pro falfitate hujus Bullæ hæc momenta adducebantur:

„ Primo, quod dicta afferta Bulla erat *exorbitans a jure*, *atque* „ *etiam a ftilo Curiæ Romanæ*, & fignanter videbatur in hoc, quod vi- „ ginti libri, in quibus afferitur, quod fuerunt inventi ducenti Arti- „ culi erronei & hæreticales, non nominantur in dicta afferta Bulla.

„ 2. Quod dicti Articuli afferti erronei & hæreticales *in ipfa* „ *non inferuntur:* nec aliqualis mentio de eorum fententia ibi videtur: „ fed generaliter & confufe pertranfit.

„ 3. Quod in ipfa dicta Bulla erat *falfa latinitas*, quæ vitiat Refcriptum Papale.

„ 4. Quod dicta Bulla non erat *regiftrata*, *nec confequenter reper-* „ *ta in Regiftris Curiæ Romanæ*, in quibus Documentorum Papalium „ Originalia reconduntur."

Præterea in eodem inftrumento §. *item ad probandum* hæc notanda habentur: „ Item ad probandum *Subreptionem prædictæ Bullæ* di- „ xerunt, quod pofito, fed non affirmato, imo expreffe, & cum

„ omni

„ omni veritate denegato, prout per ſuperius poſita eſt oſtenſum,
„ quod Bulla prædicta fuerit a Curia emanata, tamen nullo modo
„ poterat excuſari, quin fuerit *Subreptitie*, *ac etiam Obreptitie* impetra-
„ ta; eo, quia errores, ſeu Articuli erronei & hæreticales, qui in
„ dicta Bulla generaliter (ut prædicitur) & confuſe, aſſeruntur, in
„ Libris Doctoris Raymundi contineri, *in ipſis nusquam inveniuntur:*
„ bene inveniuntur loca, a quibus *nimis malitioſe* fuerunt cum *falſitate*
„ *abſtracti*, ſive *translati* centum Articuli, quos dictus Inquiſitor (Ei-
„ mericus) affirmavit, eſſe de numero illorum, in Bulla confuſe ta-
„ ctorum, inferendo ipſos, ſic *falſificatos*, in quodam Quaterno ſua
„ propria manu ſcripto, nominato in Inſtrumento, ſtatim inferius
„ inſerto, *Condemnatio*. In quo Quaterno ſunt poſita nomina Libro-
„ rum, & ſeries Articulorum. Nam ipſi centum Articuli comproba-
„ ti cum Libris Doctoris, inveniuntur in dicto Quaterno, modo per
„ *Additionem*, modo per *Abſtractionem*, modo per *Mutationem intentionis*
„ prædicti Doctoris, *falſo modo aſſumendo*, *ſeu interpretando* ipſam; mo-
„ do per *truncatam* verborum dicti Catholici Doctoris *poſitionem*, hære-
„ ſi & erroribus maculati; ſed prout ſunt ipſi prædicti centum Articu-
„ li in ſua integra veritate, in Libris Doctoris originaliter ſcripti, in-
„ veniuntur *veri* & *Catholici*, & a rubigine hæreſis omnino alieni.

„ Et ad faciendam veram demonſtrationem *falſæ Translationis*,
„ ſeu *Interpretationis* Articulorum prædictorum, produxerunt in ſui
„ prima forma quoddam publicum Inſtrumentum, actum per Reve-
„ rendum Magiſtrum Bernardum Ermengandi Provincialem Prædica-
„ torum, & Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ,
„ de quadam *Examinatione*, per ipſum cum Magiſtris in Theologia
„ Monaſterii Prædicatorum Barcinonæ, & Monaſterii Fratrum Mi-
„ norum dictæ Civitatis, facta de quodam libro dicti Doctoris, inti-
„ tulato *Philoſophia Amoris*; in quo libro *falſe* affirmatur inter conten-
„ ta in dicto Quaterno, propria manu dicti Fratris Nicolai Eimerici
„ ſcripto, qui Quaternus (prout ſuperius continetur, *Condemnatio* in
„ proxime dicto Inſtrumento nuncupatur) quod erant inventi tres
„ Articuli erronei & hæreticales, prout prædicta *falſitas* in prædicto
„ Inſtrumento *Examinationis* fuit authentice declarata. Cujus quidem
„ Inſtrumenti, quod fuit per pendens ſigillum Magiſtri Bernardi Er-
„ mengandi Provincialis, & Inquiſitoris prædicti, & per ipſius, &
„ aliorum Magiſtrorum Ordinum Prædicatorum, & Minorum ſubſcri-
„ ptiones manu propria cujuslibet ipſorum roboratum: tenor talis
„ eſt.“ Sequitur deinde ipſum Inſtrumentum ibi videndum, in quo
propoſitis illis tribus Articulis, in quibus erroris ac hæreſeos Ray-

mundus inſimulabatur, ſic habetur: „ Quibus prolatis & narratis di-
„ ctus Reverendus Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus Ermengan-
„ di interrogavit omnes ſuperius nominatos Magiſtros in Theologia,
„ & alios ſupra dictos Fratres Theologos, qui ibi erant, collationem
„ ſuper iis facientes, ſi dicti Articuli (ut in Latino jacent conde-
„ mnati, & ſupra ſunt inſerti) erant in dicto libro *Philoſophiæ Amoris*,
„ vel ſi poterant elici ex dictis poſitis in libro prædicto? Etiam inter-
„ rogavit, ſi dicti Articuli, ut jacent in dicto libro eo modo, quo
„ dictum eſt (ut ſupra ſunt inſerti) ſunt boni, veri, & Catholici?

„ Et omnes dicti Magiſtri & alii Fratres, per dictum Domi-
„ num Inquiſitorem Magiſtrum Bernardum interrogati per capita, te-
„ nentes & legentes ibi coram omnibus prædictos tres Articulos con-
„ demnatos, & prædictum librum *de Philoſophia Amoris*, dixerunt,
„ quod ſemel & pluries quilibet per ſe viderat, & recognoverat aſſi-
„ due & diligenter prædicta, & quod dicti Articuli condemnati, ut
„ jacebant, & ſupra ſunt inſerti, *non erant in dicto libro, nec poterant*
„ *elici ab eo*: & quod Articuli ſupra dicti poſiti in Libro prædicto
„ Philoſophiæ amoris erant, *boni, veri & Catholici.* Dixerunt præ-
„ terea & affirmarunt omnes prædicti Magiſtri, & Fratres, quod eſto,
„ quod dicti Articuli poſiti per dictum venerabilem Raymundum Lul-
„ lium eo modo, quo ſunt poſiti, ut ſupra ſunt inſerti in vulgari,
„ ab omnibus poſſunt videri *veri & Catholici, multo magis legendo præce-*
„ *dentia & ſequentia ipſius libri, & inſpectis aliis ſuis libris patet clare (ut*
„ *dixerunt) prædictos ſuos Articulos eſſe veros & Catholicos, & Articulos*
„ *condemnatos nullo modo eſſe ſuos, nec ſuæ intentionis.*“

Examinantur poſtea adhuc omnes tres Articuli ſingulatim, & unanimi omnium conſenſu de novo pronunciantur *boni, veri, fideles & Catholici, & nulla rubigine hæreſis maculati.* Huicque Inſtrumento præter *Petrum Dalmatii Authoritate Regia Notarium publicum Barcinonæ*, qui una cum Fratre *Bernardo Magri*, Fratre *Antonio de Fonte*, Fratre *Michaele Peris* Monaſterii Fratrum Minorum Barcinonenſis, ad hæc vocatis pro teſtibus, ut Notarius publicus ad hoc requiſitus, toti huic examini intererat, ſubſcripſerunt mox nominandi:

Ego Frater Bernardus Ermengandi, Magiſter in Theologia, Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum, & Inquiſitor hæreticæ pravitatis manu propria ſubſcribo, & ſigillum Provincialatus appoſui in pendenti in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Antonius Falqueti, Sacræ Paginæ Profeſſor hic manu propria ſubſcribo.

Ego

Ego Frater Franciscus Marmandi, Sacræ Theologiæ Magister hic propria manu subscribo.

Ego Frater Arnaldus Peregrini, Sacræ Theologiæ Magister prædictus, subscribo manu propria in testimonium præmissorum.

Ego Frater Bernardus Broll, Sacræ Theologiæ Magister prædictus, subscribo manu propria in testimonium præmissorum.

Ego Frater Dalmatius de Castellario prædictus manu propria subscribo.

Ego Frater Berengarius Laqueti prædictus manu propria subscribo in testimonium præmissorum.

Ego Frater Guillielmus Arago prædictus subscribo propria manu in testimonium præmissorum.

Ego Frater Joannes de Pagueria prædictus manu propria subscribo in testimonium præmissorum.

Signum mei Petri Dalmatii Authoritate Regia Notarii publici Barcinonæ, qui prædictis &c. &c.

Iterum falso inter alia per Eimericum imputatur Raymundo, quod erronee & hæretice voluerit probare Articulos Fidei, & cætera alia per fidem credenda. Circa hanc materiam longe & late fuit in examen vocata mens, sensus, & doctrina Lulliana, & tandem hæc conclusio statuta: "Visa ergo Intentione dicti Raymundi in superius „insertis clare posita, monstratur manifeste, quod non est repugnans, „nec devians, imo totaliter & expresse concordans cum dictis San„ctorum Doctorum: & ideo, qui voluerit contradicere prædictæ in„tentioni dicti Raymundi, oportet, quod contradicat beato Tho„mæ, qui in *primo Sententiarum in fine tertii Quæsiti primæ Divisionis* ait „sic: *sed tamen ratio manu ducta per Fidem excrescit in tantum, ut ipsa credi„bilia penitus comprehendat, & tunc ipsa quodammodo intelligit:* unde dicitur „Isaiæ 7. secundum aliam literam: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Paulo ante in eodem Instrumento est assertum: *Et in multis aliis locis, & quasi in omnibus Libris, in quibus Dominus Raymundus loquitur de* Fide, *prædicta sua* Intentio *est clare & expresse posita; videlicet, quod* Demonstratio Articulorum Fidei sine Fide est impossibilis. *Item quod nullo modo ipsorum Articulorum veritas est in via* comprehensibilis, *sed bene cum Fide* aliqualiter apprehensibilis.

Ex dicto Instrumento etiam hæc asserta Lulliana sunt notanda, quæ crisin Eimericianam penitus confodiunt: "Item Doctores „Sacræ Paginæ conantur, quantum possunt, deducere *Rationes* ad „probandam *Divinam Trinitatem & Incarnationem* &c. habentes sanam „mentem & intentionem ad exaltandam Sanctam Fidem: & ideo Ego, „qui sum verus Catholicus, non intendo probare Articulos *contra Fidem,*

„dem, ſed *Fide mediante*; cum ſine ipſa non poſſim probare; nam Ar-„ticuli ſunt ſuperius, & meus intellectus eſt inferius; & *Fides* eſt ha-„bitus, cum quo *intellectus* aſcendit ſupra ſuas vires: non autem dico, „quod probem *Articulos Fidei* per *cauſas*, quia Deus non habet *Cauſas* „ſupra ſe; ſed per talem modum, quod *intellectus* non poteſt *rationabi-*„*liter* ipſas rationes negare, & poſſunt ſolvi omnes objectiones con-„tra ipſas factæ, & Infideles non poſſunt deſtruere tales *Rationes*, ſive „*Poſitiones*. Ipſa probatio talis, ſive ſit demonſtratio, ſive perſua-„ſio, vel quocunque alio modo poſſit dici, hoc non curo; quia „propter noſtrum affirmare vel negare nihil mutatur in re.„

Poſtquam igitur omnia per Commiſſarium attente lecta, dili-genter recognita, & intelligibiliter conſiderata fuerunt, ſequens per Legatum Apoſtolicum lata eſt

Sententia Definitiva.

Pro tanto nos Bernardus Epiſcopus & Commiſſarius prædictus, Au-thoritate Apoſtolica nobis in hac parte commiſſa, dicimus, volumus, & decerni-mus, & pronuntiamus, quod, quidquid inveniatur, quomodocunque, qualiter-cunque emanatum, mandatum, comminatum, proceſſum, factum, occaſione, authoritate, ſeu ratione dictæ ſubreptitiæ, ac obreptitiæ Bullæ, & de falſitate evidenti nimis ſuſpectæ, teneatur pro vano, caſſo, irrito, & nullo, & pro in-fecto, ſeu non facto, ab omnibus reputetur; ſicut & nos ex poteſtate nobis at-tributa, ſuper his, quæ ex noſtro Officio nobili utimur, & uti volumus, præ-dictis attentis, caſſamus, irritamus, annullamus, ſeu ad nihilum reducimus, reducentes etiam Authoritate Apoſtolica ipſum Doctorem Raymundum Lullium, & omnia dicta, ſcripta & Opera ſua, & omnia alia ratione prædicta quomodo-cunque, & qualitercunque, & per quemcunque, & contra quoscunque, & co-ram quibuscunque proceſſa, & actitata, ad ſtatum priſtinum, & primævum; ac ſi in contrarium eorum nihil unquam fuiſſet dictum, ſcriptum, vel alias quo-modolibet emanatum: reſervantes, & ſubmittentes correctionem, determinationem, authorizationem doctrinæ dicti Doctoris, Sedi Apoſtolicæ, cujus eſt de talibus cognoſcere, & ordinare, ſicut ipſemet Doctor, & verus Catholicus expreſſe ſub-mittit. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſo-rum, præſentes noſtras Literas, ſeu præſens publicum Inſtrumentum, per No-tarium publicum infra ſcriptum fieri, & publicari mandavimus, noſtrique Si-gilli appenſione muniri. Datum & actum Barcinonæ ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimo nono, die vero vigeſima quarta menſis Martii, præſentibus honorabilibus viris Dominis, Antonio Zenon, Decretorum Doctore Canonico Papienſi: Arnoldo de Torrentis Conſiliario hoc anno Civitatis Barcinonenſis: Bernardo de Marimundo majore dierum: & Franciſco Servent

Licentiato in Legibus Civilibus Civitatis Barcinonensis pro testibus ad præmissa vocatis, rogatis, specialiter & assumptis, ac me Gabriele Cannelles Notario infra scripto &c.

Parco reliquis elogiis, quæ magno numero in illo tomo primo Operum Lullianorum ad initium comprehenduntur: Neque hic proposui texere Catalogum istorum Operum; ille enim laudato I. tomo tot folia exigeret, quod totum Chronicon præsens conficit. Qui ergo desiderat illum videre, ipsum citatum primum tomum adeat; cum sine Libris Lullianis & ipse catalogus parum prodesset.

Sæculum XIV.

§. I.

Series SS. Pontificum.

381. I. alias 194. Benedictus XI. ex Tarvisio in Longobardia Boccasii de Boccasinis Notarii filius, Nicolaus antea dictus, in Prædicatorum Ordine nescio sanctior, an eruditior, creatus anno 1303. 22. Octobris: mortuus meritis & laboribus plenus mense 8. die 17. anno 1304. die 6. Julii. Fuit Pontifex sanctissimus, & miraculis post mortem patratis clarus: eum veneno fuisse absumptum, quod ei quorumdam Cardinalium invidia, vel Florentinorum malevolentia paraverit, apud Sandini scriptis proditum est.

II. alias 195. Clemens V. antea Bernardus de Agutis, seu de Gotto, Archiepiscopus Burdigalensis, creatus anno 1305. die 5. Junii, sedit annos 8. menses 10. dies 15. mortuus an. 1314. die 20. Aprilis. Sanctis adscripsit S. Cælestinum V. vide notam (A).

III. alias 196. Joannes XXII. antea dictus Jacobus de Eusa, Gallus, Cadurcensis, Episcopus Cardinalis Portuensis, creatus post interregnum annorum amplius duorum anno 1316. 7. Augusti, sedit annos 18. & menses 4. minus duos dies: mortuus anno 1334. 4. Decembris. Inter Sanctos retulit S. Ludovicum Episcopum Tolosanum, Regium Siciliæ Principem, & Religiosum Franciscanum: item S. Thomam Episcopum Herfordiensem in Anglia: & S. Thomam Aquinatem. Approbavit etiam Congregationem B. Virginis Mariæ Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti.

Schisma XXVII.

Fecit Petrus de Corbario, dictus Nicolaus V. qui authoritate Ludovici Bavari Imperatoris Sedem Apostolicam invasit, seditque con-

contra Joannem XXII. annis 3. & mensibus tribus: tandem sponte anno 1330. veniam deprecando, ad pedes veri Pontificis præsumptam suam authoritatem abdicavit.

IV. alias 197. Benedictus XII. ex Provincia Tolosana, antea Jacobus Furnerius, seu Novellus, Abbas Ordinis Cisterciensis, creatus anno 1334. 20. Decembris, sedit annos 7. menses 4. & dies 6. obiit cumulatus omni virtutum genere anno Domini 1342. 25. Aprilis.

V. alias 198. Clemens VI. Lemovicensis, Benedictinus, antea Petrus Rogerius dictus, creatus anno 1342. 7. Maji, sedit annis 10. & mensibus 7. mortuus 1352. 6. Decembris.

VI. alias 199. Innocentius VI. Lemovicensis, Gallus, antea Stephanus Alberti, Ostiensis Episcopus, creatus anno 1352. 18. Decembris, sedit annos 9. menses 8. & dies 26. mortuus anno 1362. die 12. Septembris.

VII. alias 200. Urbanus V. antea Guilielmus Grimoaldus, Gallus, Abbas S. Victoris Massiliæ, creatus anno 1362. 28. Octobris, sedit annos 8. mensem 1. ac dies 22. multis nominibus commendatus obiit anno 1370. die 19. Decembris, miraculis post mortem clarus.

VIII. alias 201. Gregorius XI. Gallus, Lemovicensis, Petrus Rogerii antea dictus, miro reliquorum omnium consensu Cardinalium, ipse unus resistens, creatus est anno 1370. 30. Decembris: sedit annos 7. menses 2. dies 27. mortuus anno 1378. 27. Martii. Vide notam (B) & (C).

IX. alias 202. Urbanus VI. alias Bartholomæus Prignanus, Neapolitanus, Barii in Apulia Archiepiscopus, creatus anno 1378. 8. Aprilis, sedit annis 11. mensibus 6. ac diebus 6. mortuus anno 1389. 15. Octobris. Extinctus est veneno, a quo ut sibi caveret, per S. Catharinam Senensem admonitus fuit. Vide Notam (D)

Schisma XXVIII.

Fecerunt Cardinales plures ab Urbano VI. deficientes. De hoc, cum plura post se traxerit, & Ecclesiam multo tempore dire afflixerit, plura dicenda sunt, quæ ne seriem Pontificum verorum multum turbent, consulto ad Notas Historicas differuntur. Vide igitur Notas (D) & (E)

X. alias 203. Bonifacius IX. Neapolitanus, antea Petrus Cardinalis Thomacellus, creatus anno 1389. 2. Novembris a Cardinalibus quatuordecim, qui Urbano VI. constanter adhæserunt, sedit annos 14. & menses 11. obiit diro calculorum cruciatu 1. Octobris anno 1404. Sanctæ Birgittæ cultum rite decrevit. vide Notam (F)

§. II.

Notæ Historicæ: Hæreses, & unum Concilium generale.

382. (A) Hoc adhuc tempore major reputabatur dignitas, & Authoritas Episcopalis, quam Cardinalitia, ut desumitur ex Zerola in Praxi Episcopali verbo *Episcopus* num. 15. *Episcopi usque ad Clementem V. & Joannem XXII. erant in dignitate supra Cardinales.* Sic & Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiastici universi cap. 3. num. 7. ait: *Usque ad tempora Bonifacii VIII. nullus erat Episcopus, qui vellet fieri Presbyter Cardinalis; quia putabant, non licere, descendere a majori dignitate ad minorem.*

(B) Gregorius XI. S. Catharinæ Senensis hortatu, & precibus, Pontificiam Sedem Avenione Romam rursus transtulit; cum vero Cardinalium Gallorum suasionibus permotus, Avenionem redire cogitaret, in morbum incidit, quo & mortem oppetiit. Spondanus ad an. 1377. §. 1. sic scribit: "Retulit igitur Sedem Pontificiam Grego-„rius Romam, proprium & verum suum locum, *septuaginta annis* (ut „plerique numerant) postquam in Galliam translata fuisset. Sed qui „ad amussim tempus numerare voluerit, ab obitu Benedicti XI. po-„stremi Pontificis in Italia ante translationem sedentis, qui contigit „sexta Julii anni 1304. usque ad decimam septimam Januarii, qua „Gregorius Romam intravit, habebit *annos septuaginta duos, menses sex,* „*& dies decem*: ab electione Clementis V. qui sedem transtulit, quæ „facta est die quinta Junii anno 1305. *septuaginta unum annos, menses* „*septem, dies undecim:* ab ejus coronatione, ad quam Cardinales ex „Italia accivit, & contigit undecimo Novembris ejusdem anni 1305. „*unum & septuaginta annos, menses duos, dies quinque:* a constitutione „vero Sedis Avenione, quæ ab eodem Clemente facta est, ad prin-„cipium anni 1309. cum eo usque vaga fuisset per varia Galliæ loca, „*annos sexaginta octo.* „

(C) Cardinalis Lambertinus (ut refert Sandini in Vita Gregorii XI. annot. 8.) *de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. l.* 3. *cap. ult. n.* 16. dicit: "Gerson in *Tractatu de Examinatione doctrinarum part.* 2. *consi-*„*derat.* 3. *in fine*, narrat, Gregorium XI. in extremis positum, haben-„tem in manibus sacrum Christi corpus, protestatum esse coram omni-„bus, ut caverent cum a Viris, tum a Mulieribus sub specie Reli-„gionis loquentibus visiones sui capitis &c. Spondanus ad annum „Christi 1378. putat, iis verbis Gregorium intelligere voluisse sua-„siones Petri Aragonii, ac Sanctarum Brigittæ, & Catharinæ Senen-„sis. At Natalis Alexander *in Vita dicti Pontificis* falsam existimat præ-„dictam narrationem a Gersonio expositam, cum Author primæ vi-

„tæ

„tæ Gregorii, qui erat ipſi coævus, de ea non loquatur, & Grego-
„rius ſpiritum S. Catharinæ probaſſet, eamque Prophetiæ dono au-
„ctam cognoviſſet, quando ſibi votum de petenda Urbe in occulto
„factum, & ſibi ſoli ac Deo notum, divinitus agnoviſſe monſtravit.
Et certe Gerſonius Sanctas illas Virgines non nominavit, ſed Marcus
Antonius de Dominis allegans Gerſonium. En ejus verba indigno
Apoſtata digna: *De Catharina Senenſi procul dubio loquebatur Gregorius, & id notum erat Gerſonio; ſed eam noluit nominare; eſt enim in Hiſtoricis notorium, Femellam illam contra regulam humilitatis, quæ Sanctos decet, & contra præcepta Apoſtoli, ſe ſub illuſionibus Viſionum, & Revelationum, Magiſtram in Eccleſia conſtituiſſe, & Epiſtolis propemodum dogmaticis ſcribendis totam dediſſe. Quibus, & Apoſtolatu ſuo prophetico miſerum Gregorium decepit, eumque, ut Romanam reſidentiam importune reſumeret, ſub prætextu Sanctitatis compulit. Ex quo ſecutum eſt Schisma horrendum in Eccleſia, fructus ingens fœminalis Sanctitatis: & nihilominus canonizata eſt. Quis talium Canonizationes approbet?* At ſceleſti hujus nebulonis verba ad amuſſim profligat Arauxo Deciſ. Moral. tract. 3. quæſt. 23. §. 1. num. 26. ubi oſtendit, Sanctam Virginem Spiritu Dei, & jubente Romano Pontifice, munus, quod exercuit obiiſſe; Gregorium in translatione Sedis non fuiſſe deceptum, cum ad eam teneretur: Schisma ab eadem S. Catharina fuiſſe prædictum: ejus cauſam non fuiſſe receſſum Gregorii e Gallia &c. Vide SS. Pontificem Benedictum XIV. ſupra citato loco. Hic ipſe Gregorius XI. in ſuo Teſtamento, quod eſt in Spicilegio Dacherii tom. 8. pag. 675. revocat, abrogatque, non quæ dixit ut Pontifex ſummus, ſed ſi qua, ut homo privatus, laborans vitio infirmitatis ingenitæ, alicubi dixiſſet erronea contra Catholicam fidem ex lapſu linguæ, aut alias ex aliqua turbatione. Id patet cuique legenti locum integrum ſine ſtudio calumniandi. Hæc Sandini.

(D) Hic primo recitabo geſta electionis Urbani VI. & Antipapæ contra eum aſſumpti: deinde addam ex authenticis Authoribus eorum de hac re ſenſa. Omnia aliorum verbis præſto: & primo ſeriem electionis narro ex Sandini pag. 667. ubi ita loquitur: "Dum
„Comitia Pontificia haberentur, Romani veriti, ne creato Pontifi-
„ce Gallo, Pontificalis Sedes iterum Roma Avenionem transferre-
„tur, clamoribus ac minis Pontificem petiere Romanum, aut Italum
„ſaltem. Itaque VI. Idus Aprilis anno 1378. Pontifex renunciatur
„Bartholomæus Prignanus, Neapolitanus, Barii in Apulia Archiepi-
„ſcopus, qui Urbanus VI. appellatus eſt. Vix inito Pontificatu gra-
„vem Cardinalium offenſionem in ſe concitavit aſperitate ſua. Ob
„id Cardinales Galli numero duodecim coitione facta, per ſpeciem

„vitandi

„vitandi æſtus Roma Anagniam, ubi cum Gregorio XI. transegerant „æſtatem ſuperiorem, exeunte Junio commigrarunt, Urbano inte„rim cum quatuor Italis Cardinalibus Tibur concedente. Illi factam „ſibi a populo vim cauſati, Urbanum, tanquam vitio creatum, vo„cant in jus, eique ut contumaci abrogant Pontificatum. Fundos „deinde, Urbem Neapolitani Regni, annuente Joanna Regina, in „cujus pariter offenſionem Urbanus incurrerat, ſe recipiunt, per„ductisque ad cauſam ſuam tribus Cardinalibus Italis, novum Ponti„ficem XI. Kal. Octobris creant Robertum Cardinalem Gebennen„ſem, annos ſex ac triginta natum, qui Clementis VII. nomine ſibi „impoſito, mox ſeceſſit Avenionem. Utrique parti Reges ac popu„li favebant, viri etiam inſignes cum doctrina, tum pietate. Tale „eſt initium ſchismatis omnium, quæ hactenus Eccleſiam turbarunt, „teterrimi, atque longiſſimi. Quadraginta enim annos Pontificibus „Romæ aliis, aliis Avenione commorantibus, Eccleſiam habuit ſol„licitam.„

Subjungo modo ſenſa aliorum ex Annotationibus Sandini. Hic Annot. 1. ait: "De electione Urbani VI. diverſi diverſa ſcripſe„runt, ut quosque ſtudium privatum, aut gratia occupaverat. Alii „addubitarunt, ritene ac recte electus eſſet, propter metum a popu„lo Romano injectum Cardinalibus. Scripti in utramque partem tra„ctatus pene innumeri, ut ait Spondanus ad an. 1378. §. 10. Baldus „Juris conſultorum hujus ætatis facile princeps, Urbani VI. electio„nem fuiſſe legitimam probavit, ut legere eſt apud Raynaldum ad „an. 1378. §. 36. & ad calcem tom. XVII. Qui etiam fuiſſe videtur „Eccleſiæ Catholicæ ſenſus, Urbanum, ejusque ſucceſſores Italiam „colentes exſtitiſſe veros, ac legitimos Pontifices, ut ſcribit Spon„danus memoratus §. 17.

Annotatione 2 ſic diſcurrit: "*S. Antoninus* 3. *part. Chron. tit.* 22. „*cap.* 2. Multæ diſputationes factæ ſunt circa iſtam materiam, multi „libelli edicti pro utriusque partis defenſione. Peritiſſimos viros in „ſacra pagina & Jure Canonico habuit toto tempore illo, quo dura„vit id Schisma, utraque pars ſeu obedientia, ac etiam religioſiſſi„mos viros, & quod majus eſt, etiam miraculis fulgentes; nec un„quam ſic potuit quæſtio illa decidi, quin ſemper remaneret apud „plurimos dubia. Nam etiamſi neceſſarium ſit credere, ſicut unam „eſſe Catholicam Eccleſiam, non plures; ita & unicum ejus Paſtorem „Vicarium Chriſti; tamen ſi contigit plures per ſchisma creari, ſeu „nominari Pontifices Summos uno & eodem tempore, non videtur „ſaluti neceſſarium credere, iſtum eſſe, vel illum, ſed alterum eo-

„rum,

„rum, qui scilicet fuerit canonice assumptus. Quis autem fuerit ca„nonice electus, non tenetur quis scire, sicut nec jus canonicum, „sed in hoc populi sequi possunt majores suos, seu Prælatos.„

„*Wernerus Rollewink in Fasciculo Temporum ad an.* 1378. *tom.* 2. „*Scriptorum Rer. Germanicarum Pistorii pag.* 567. Schisma XXII. omnium „schismatum, quæ ante fuerunt, pessimum & subtilissimum. Adeo „enim perplexum fuit, ut etiam doctissimi, & conscientiosi viri non „valerent discutere, cui esset magis adhærendum. Et fuit continua„tum per annos XL. —— —— Et ideo ab isto Urbano VI. usque ad „Martinum V. nescio, quis fuit Papa.„

„*Brietius in Annalibus ad an.* 1378. Certe Illustrissimus Cæsar Cardinalis Baronius significavit suo Jacobo Sirmondo, nihil se æque „reformidasse, quam pervenire ad hoc tempus, de quo quid statu„endum, non esset libere pronunciaturus.

(E) Enumerantur omnes Pontifices Romani, & Avenionenses tempore Schismatis ab anno 1378. ad annum 1429.

Romani.	Avenionenses.
Urbanus VI.	Clemens VII.
Electus 8. Aprilis anno 1378. Mortuus Romæ 15. Octob. anno 1389.	Electus 19. Septembris anno 1378. Mortuus apoplexia 16. Septemb. anno 1394.
Bonifacius IX.	Benedictus XIII.
electus 2. Novemb. 1389. mortuus 1. Octobris anno 1404.	antea Petrus de Luna Hispanus electus 28. Septembr. an. 1394.
Innocentius VII.	
electus 17. Octobr. anno 1404. mortuus 6. Novembris 1406.	
Gregorius XII.	
electus 2. Decembris anno 1406.	

Gregorius XII. Et Benedictus XIII.

Exauthorantur in Concilio Pisano die 5. Junii anno 1409. Sufficitur Petrus Philaretus Cretensis die 26. mensis ejusdem dictus

Alexander V.

qui moritur die 4. Maji anno 1410. Subrogatur Balthasar Cossa die 17. ejusdem mensis appellatus.

Joannes XXIII.

Dehinc tres fuere Pontifices.

Joannes XXIII.	Gregorius XII.	Benedictus XIII.
Romæ.	In Regno Neapolitano.	In Aragonia.

Omnes exauthorati in Concilio Constantiensi.

Joannes	Gregorius	Benedictus
Exauthoratur sess. 12. die 29. Maji anno 1415. & initio Junii traditur in custodiam.	ipse se abdicavit sess. 14. die 4. Jul. anno 1415. Obiit ante finem Concilii.	Exauthoratur sess. 37. die 26. Jul. anno 1417.

Martinus V.

Substituitur sess. 41. die 11. Novembris anno 1417. Pro legitimo Pontifice habetur ab omnibus, exceptis quibusdam Aragonensibus.

Joannes XXIII.	Benedictus XIII.
Custodia elapsus benigne excipitur a Martino V. & Decanus Collegii Cardinalium constituitur. Moritur 22. Decembr. anno 1419.	In castro Paniscolæ conclusus gerit se pro Pontifice. Moritur anno 1424. Ab ejus Cardinalibus Pontifex renunciatur.

Clemens VIII.

Antea dictus Ægidius Muñio Barcinonensis, qui abdicato Pontificatu die 26. Julii anno 1429. Martino V. adhæret, fitque Episcopus Majoricensis.

(F) *Bonifacius iste tres habuit germanos, quos multum exaltavit in sæculo, & ditavit, quorum tamen filii ad extremam paupertatem devenerunt, ut eorum exemplo discant cæteri, de patrimonio Crucifixi nolle ditari.* Ita S. Antoninus in Chron. part. 3. tit. 22. cap. 3.

Hæretici

hujus Sæculi sunt Fraticelli, Begardi, & Beguinæ jam sæculo præterito commemorati.

383. Concilium generale Oecumenicum XV. seu Viennense anno 1311. tempore Henrici VII. Imperatoris a Clemente V. convocatum est

est 1. contra Templarios. 2. Contra varios hæreticos. 3. Pro terræ sanctæ subsidio, & morum reformatione. Ad hoc Concilium accesserunt Clemens V. præsens: duo Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus ritus latini: tres Reges, nempe Philippus Pulcher Rex Galliæ: Eduardus II. Rex Angliæ: Jacobus II. Rex Aragoniæ.

Hoc Concilium inter menses circiter septem perfectum est Sessionibus tribus, ut refert Sandini in Clemente V. Annotat. 3. "In prima di-„sceptatum de causa Templariorum, subsidio Terræ sanctæ, & Ec-„clesiæ disciplina. In altera Clemens lata, *sacro approbante Concilio*, sen-„tentia abolevit Ordinem Templariorum, criminibus turpissimis con-„victum duobus testium millibus, eorumque opes amplissimas adju-„dicavit Equitibus Hospitalariis S. Joannis Hierosolymitani, quos „nunc *Melitenses* appellamus. In tertia variæ conditæ Constitutiones „ad mores, Fidemque Catholicam pertinentes. Anathemate damna-„tus Petrus Joannes Olivi. Eadem pœna affecti Fraticelli, Dulcini-„stæ, Beguardi, & Beguinæ: quorum turpes errores recensentur in „Clementina *Ad nostrum* 3. Confirmatæ Gregorii X. leges de comi-„tiis Pontificialibus, & refertur Decretum in Clementina *Ne Roma-„ni* 2. Statutum, ut in Scholis Romanæ Curiæ, & Academiis Pari-„siensi, Oxoniensi, Bononiensi, & Salmanticensi essent publici Lin-„guarum Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldaicæ professores. Decretum „insuper, Festum Corporis Christi, ab Urbano IV. institutum, de-„bito honore & cultu peragendum esse ab Christianis omnibus. Ex „his, aliisque Constitutionibus librum septimum *Decretalium* Clemens „V. confecit, quem Joannes XXII. ejus Successor in lucem emisit „inscriptum nomine *Clementinarum*, ex quibus hæc fere desumpsi-„mus.„ Hoc Concilium fuisse Oecumenicum, apud omnes constat.

§. III.

Scriptores Ecclesiastici Sæculi XIV.

Joannes Duns Scotus, juxta Waddingum patria Hibernus, virtutibus & pietate celeberrimus, Ordinis Franciscani alumnus, ob subtilitatem, & acumen ingenii vulgo *Doctor subtilis* dictus est. De eo Joannes de Ragusio Dominicanus in Oratione, quam habuit in Concilio Basileensi de communione sub utraque specie, quæ habetur ad calcem ejusdem Concilii asserit: *Scotus præ altitudine, & subtilitate doctrinæ antonomastice nomen Doctoris Subtilis in Scholis obtinet.* Nicolaus Audec Carmelita: *Altius Scoto nemo, vel doctius uno dogmata sacra docet.* Cornelius a Lapide in cap. 7. Libri Sapientiæ fol. mihi 155. col. 2. ita de

384.

Scoto loquitur: "Subtilitatis ſpiritum in ſpeculativis Sapientia præ „aliis communicavit Joanni Scoto Ordinis S. Franciſci, qui illum ut „ſuum in Theologia & Philoſophia magiſtrum colit, & ſequitur. Un„de vulgo vocatur *Doctor ſubtilis*; a Scaligero exercit. 324. vocatur „*lima veritatis*; ab aliis, *cos ingeniorum*, *Philoſophorum Phœnix*, & *inter* „*Philoſophos quidam Deus*; ab aliis, *ſubtilitatis miraculum*, *arcanorum Apollo*, „*Seraphicæ Religionis columen*, *Sorbonæ gloria*. Dubitat Cardanus lib. 16. „de Subtilit. Quis ſubtilior, an Ariſtoteles, an Euclides, an Sco„tus? Porro hæc ſubtilitas partim ei naturalis fuit a ſubtilitate inge„nii, qua excelluit; partim ſupernaturalis, opusque gratiæ & Spiri„tus ſancti, cujus ipſe, utpote Religioſus, fuit inſtrumentum & or„ganum. Unde Joannes Major in 4. diſtinct. 38. q. 10. eum vocat „humillimum, Apoſtolicum, pauperrimum, imo Summo Pontifica„tu dignum. Et D. Bernard. de Soria in report. impreſſa Pariſiis an„no 1517. ita de eo canit:

Scotus adeſt fidei lampas, Chriſtique Sibylla,
Interpresque Dei, caſtrum inſuperabile veri;
Scriba Jovis, mundique oculus, conviva Tonantis,
Ingenii claro penetravit acumine cuncta."

Hucusque Cornelius cit. Plura ſimilia ſuppeditat Waddingus in Vita Scoti, & nova Editio Operum Scoti Lugdunenſis, facta ſumptibus Laurentii Durand anno 1639. tom. 1.

Scripta ejus in cit. Editione hæc adducuntur: Tomo I. 1. Grammatica Speculativa Scoti. 2. In univerſam Logicam quæſtiones. 3. Mauritii a Portu Expoſitio ſuper quæſtiones Scoti in Porphyrium.

Tomo II. Commentaria in 8. Libros Phyſicorum cum adnotationibus Franciſci a Pitignianis Aretini. 2. Quæſtiones in libros de Anima imperfectæ cum Scholiis, & ſupplemento Hugonis Cavelli.

Tomo III. 1. Tractatus de rerum Principio cum Scholiis & Notis Lucæ Waddingi. 2. Tractatus de primo Principio cum Scholiis Cavelli, & adnotationibus Mauritii. 3. Tractatus Theorematum cum eorundem Scholiis, & adnotationibus. 4. Collationes 23. cum Scholiis Cavelli.

5. Collationes quatuor noviter additæ.
6. Tractatus de cognitione Dei.
7. Quæſtiones Miſcellaneæ.
8. Meterologicorum libri 4.
} cum Scholiis, & notis Waddingi.

Tomo IV.

Tomo IV. 1. Expositio in Metaphysicam cum Summariis, & notis Cavelli. 2. Conclusiones Metaphysicæ cum notis ejusdem. 3. Quæstiones in Metaphysicam cum annotationibus Mauritii, Scholiis & notis Cavelli.

Tomo V. Libri I. Sententiarum Distinctiones septem cum commentariis Lycheti, supplemento R. P. Joannis Poncii, scholiis & notis Cavelli. Parte II. Reliquæ distinctiones ejusdem libri I. Sententiarum cum eisdem commentariis, & notis.

Tomo VI. parte I. Libri II. Sententiarum Distinctiones sex cum eisdem commentariis, scholiis, & notis. Parte II. Reliquæ Distinctiones ejusdem libri II. cum iisdem commentariis &c.

Tomo VII. Libri III. Sententiarum Distinctiones 25. cum iisdem Commentariis. Parte II. Reliquæ Distinctiones ejusdem libri cum commentariis &c.

Tomo VIII. Libri IV. Sententiarum Distinctiones 23. cum scholiis & notis Cavelli, & integris commentariis R. P. Antonii Hiquæi.

Tomo IX. ejusdem libri IV. Distinctio 24. cum cæteris usque ad 42. inclusive cum scholiis, & commentariis Hiquæi.

Tomo X. a Distinctione 43. usque ad finem ejusdem libri cum scholiis, & commentariis Hiquæi.

Tomo XI. Parte I. Reportatorum Parisiensium libri tres cum scholiis, & notis Cavelli, & Waddingi. Parte II. eorundem Reportatorum liber quartus cum eisdem scholiis & notis.

Tomo XII. Quæstiones quodlibetales cum commentariis Lycheti, & scholiis ac notis Cavelli: quibus Bellarminus addit Sermones de Tempore, & Sanctis.

Cum quædam ex his Operibus non eandem apud Scotistas quoque obtineant authoritatem, hinc diligenter consulenda sunt Scholia, & commentaria allegata, quæ rem hanc exacte discutiunt. Hæc Opera citata Editione adducuntur: alii adhuc alia addunt; sed quia in Editione laudata non memorantur, neque ego iis recensendis immorabor.

385. Augustinus Triumphus, Anconitanus, Ordinis S. Augustini vir pius, & doctus, scripsit egregiam Summam de Potestate Ecclesiæ, & Commentarium in Canticum B. V. Mariæ, insuper in Magistrum sententiarum, & plura alia.

Barlaamus Episcopus Hieracensis scripsit Epistolas multas ad Græcos de unione cum Ecclesia Romana. Eas edidit Henricus Canisius.

Petrus Aureolus ex Ordine Francifcano, Aquitanus, Archiepifcopus Aquenfis, fcripfit multa, quæ tamen non videntur exftare, præter folum Commentarium in primum Sententiarum, Romæ impreffum.

Antonius Andreas ex Aragonia Francifcanus, Scoti Difcipulus, fcripfit in quatuor libros Sententiarum, quod fcriptum Venetiis eft editum.

Durandus a S. Portiano Gallus, Ordinis Prædicatorum, & Epifcopus Meldenfis, Theologus infignis, fcripfit in quatuor libros Sententiarum Commentarios fatis dilucidos: in quibus tamen non nulla irrepferunt, quæ a communi Doctorum fententia abludunt: & aliqua etiam ab Ecclefia funt rejecta; Ipfe tamen in Præfatione Commentarii fui in Magiftrum omnia fubmifit judicio, & cenfuræ Ecclefiæ. Scripfit etiam librum egregium de Origine Jurisdictionum.

Nerveus Natalis Brito, Ordinis Dominicani Magifter Generalis, Durandi æqualis, & Theologus doctiffimus, fcripfit in quatuor libros Sententiarum: item Tractatum de Poteftate Papæ, & Sacramentis: item adverfus Durandum de iis, in quibus a S. Thoma diffenfit, ac alios plures.

Francifcus Mayron, natione Scotus, Francifcanus, Scoti difcipulus, fcripfit 1. in libros quatuor Sententiarum. 2. Quodlibeta. 3. De primo Principio. 4. De Paupertate Chrifti & Apoftolorum. 5. De Virtutibus & vitiis capitalibus. 6. De Articulis Fidei. 7. De Baptismo. 8. De Humilitate. 9. De Indulgentiis. 10. De Expofitione Divinorum nominum. 11. De Corpore Chrifti. 12. De Suffragiis defunctorum. 13. De Pœnitentia. 14. De ultimo Judicio. 15. De feptem Donis Spiritus Sancti, & plura alia, quæ fimul edita funt Venetiis anno 1520, & 1556. ac olim Bafileæ.

Monaldus, Dalmata, Francifcanus, Archiepifcopus Beneventanus, martyrio coronatus apud Saracenos, fcripfit Summam Juris Canonici, quæ *Aurea* dicitur, & impreffa eft Lugduni anno 1516. Summam etiam in quatuor libros Sententiarum, & Sermones.

Nicolaus Liranus ex Judæo Chriftianus factus, Francifcanus, fcripfit egregium & notiffimum Commentarium in univerfa Biblia, recognitum, & impreffum Lugduni anno 1590. Scripfit 2. librum de Corpore Chrifti. 3. Sermones de Tempore, & Sanctis. 4. Librum contra Judæos. 5. Quæftiones veteris & novi Teftamenti. 6. In quatuor libros Sententiarum: & alia plura.

Pelagius Alvarius Hifpanus, Francifcanus, Epifcopus Sylvenfis, fcripfit infigne Opus de Planctu Ecclefiæ. 2. Apologiam contra

tra Guilielmum Occam. 3. Speculum Regum. 4. In quatuor libros Sententiarum.

Ludolphus Carthuſianus, Saxo, vir admodum pius, ſcripſit Hiſtoriam Vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti ex Evangeliis depromptam. 2. Commentarios in Pſalmos, juxta ſenſum præcipue ſpiritualem.

Joannes de Baccone, Anglus, Ordinis Carmelitarum, Philoſophus, & Theologus doctiſſimus, ſcripſit Commentarios in libros quatuor Magiſtri ſententiarum: Compendium legis Chriſti, & Quodlibeta.

Simon de Caſſia, natione Henricus, Ordinis S. Auguſtini, vir vere pius, ſcripſit libros 15. de geſtis D. Salvatoris. 2. Speculum Crucis. 3. Librum Epiſtolarum ad diverſos. 4. Scripſit quoque Lingua Italia libros duos de Vita Chriſtiana, & Expoſitionem Symboli Apoſtolici.

Henricus Suſo, Germanus, Dominicanus piiſſimus & devotiſſimus, ſcripſit Horologium Sapientiæ. 2. Librum de novem rupibus. 3. Meditationes de Paſſione Domini, & alia.

His Scriptoribus addi merentur, ſed ob prolixitatem curſim perſtringuntur 1. Joannes Taulerus Germanus, Dominicanus, Concionator inſignis, & piiſſimus. 2. Franciſcus Petrarcha. 3. Gregorius Ariminenſis, Hiſtoricus Eccleſiaſticus. 4. Henricus de Haſſia Carthuſianus. 5. Baldus Ubaldus inſignis Jurisconſultus.

Sæculum XV.

§. I.

Series Pontificum.

I. alias 204. Innocentius VII. ante Coſmas Melioratus, patria Sulmonenſis, vir ætate grandævus, ac multarum, magnarumque rerum experientia præclarus, creatus a novem Cardinalibus anno 1404. 17. Octobris, ſedit annos 2. dies 21. mortuus 1406. 6. Novembris. 386.

II. alias 205. Gregorius XII. antea Angelus Corrarius, Venetus Patricius, Vir a pueritia magnæ Sanctitatis & ſapientiæ, Presbyter Cardinalis tituli S. Marci, creatus anno 1406. 2. Decembris, ſedit ab accepto Pontificatu usque ad abdicationem annos 2. menſes 6. dies 3. Vide Notas (A) & (B)

III. alias 206. Alexander V. Cretenſis, antea Petrus Philargus, vel Philaretus, Vincentinus olim Epiſcopus, Franciſcanus, creatus

creatus sess. 19. Concilii Pisani 27. Maji a Cardinalibus 24. sedit menses 10. dies 8. mortuus est anno 1410. 4. Maji. Vide Notam (C)

IV. alias 207. Joannes XXIII. antea Balthasarus Cossa, Neapolitanus, creatus a 17. Cardinalibus Bononiæ anno 1410. die 17. Maji, sedit usque ad dejectionem a Papatu annos 5. & dies 13. Reliqua vide in Nota (D).

V. alias 208. Martinus V. antea Odo de Columna, creatus sess. 41. Concilii Constantiensis anno 1417. die 11. Novembris a Cardinalibus viginti tribus, aliisque viris spectatissimis triginta, qui juxta Decretum præcedente Sessione 40. conditum admissi erant in Conclave, daturi operam Pontifici eligendo. Sedit annos 13. menses 3. & dies 10. obiit anno 1431. 20. Februarii. Vide Notam (E)

Schisma XXIX.

Contra Martinum V. fecit Ægidius Munio, Clemens VIII. appellatus, qui ope Alphonsi Regis Aragoniæ Sedem invasit anno 1424. Sed obedientiæ Martini V. se submittens anno 1429. finem fecit Schismati. De hoc jam aliqua Sæculo præced. §. 2. Nota (E)

VI. alias 209. Eugenius IV. antea Gabriel Condulmerius, Angeli filius, Venetus Patricius, Gregorii XII. ex sorore nepos, Canonicus Cælestinus, Congregationis S. Georgii in Alga, Cardinalis Episcopus Senensis, creatus anno 1431. 3. Martii, sedit annos ferme 16. Canonizavit S. Nicolaum Tolentinatem: mortuus est assistente sibi S. Antonino anno 1447. 23. Februarii, consumptus febri. Vide dicenda de Concilio Basileensi.

Schisma XXX.

Fecit Amadæus Dux Sabaudiæ, vulgo Fèlix V. contra Eugenium IV. electus a Concilio Basileensi anno 1439. 5. Novembris: sponte autem se abdicavit in Concilio Lugduni habito.

VII. alias 210. Nicolaus V. antea Thomas Lucanus, Sarzanensis, vir theologica doctrina illustris, creatus anno 1447. 6. Martii a Cardinalibus septendecim, sedit annos 8. & dies 19. mortuus anno 1455. ante diem 24. Martii. Sanctis annumeravit S. Bernardinum Senensem Franciscanum. Vide Notam (F)

VIII. alias 211. Calixtus III. antea Alphonsus Cardinalis Borgia Hispanus, creatus anno 1455. 8. Aprilis, sedit annos ac menses tres, diesque undetriginta, mortuus anno 1458. 7. Augusti. Hic Pontifex, ut grates haberet pro victoria ad Taurunum a S. Capistrano, & suis Cruciferis reportata de Turcis, instituit festum Transfigurationis Christi Domini.

IX. alias

IX. alias 212. Pius II. Senensis Piccolomineus, antea Æneas Silvius, literis, eloquentia, dexteritate, & prudentia nulli secundus, creatus anno 1458. 19. Augusti, sedit annos sex, minus diebus quinque, mortuus anno 1464. 14. Augusti.

X. alias 213. Paulus II. Venetus, Nicolai Barbi, & Polyxene Sororis Eugenii IV. filius, antea Petrus vocatus, creatus est anno 1464. 30. Augusti, sedit annos sex, menses 10. dies 26. obiit anno 1471. 25. Julii. Vide notam (G)

XI. alias 214. Sixtus IV. Savonensis, antea Franciscus Roboreus, Franciscanus, scriptis clarus, creatus anno 1471. 9. Augusti, sedit annos 13. & dies 5. mortuus 1484. 13. Augusti. Canonizavit S. Bonaventuram, ac festum omnium Sanctorum coli jussit per dies octo.

XII. alias 215. Innocentius VIII. Genuensis, antea Joannes Baptista Cibo, electus anno 1484. sedit annos 7. menses 10. dies 27. mortuus anno 1492. 25. Julii. Est novi suo ævo inventi Orbis gloria, ut habet ejus elogium: canonizavit S. Leopoldum Austriæ Principem. Vide notam (H)

XIII. alias 216. Alexander VI. Hispanus, Valentiæ natus, Callisti III. ex Sorore Nepos, Rodericus Lenzolius antea appellatus, creatus anno 1492. 11. Augusti, sedit annos 11. & dies 8. moritur anno 1503. 18. Augusti. Vide notam (I)

§. II.

Notæ Historicæ.

(A) Gregorius XII. ratum habuit jusjurandum, quo, dum comitia haberentur, una cum aliis Cardinalibus promiserat, se caussa tollendi schismatis abiturum Pontificatu, quotiescunque id etiam Petrus de Luna, seu Benedictus XIII. faceret. Ab initio pacis ostensa spes. Nam statutis utrinque conditionibus Saona congressui delecta. Sed utroque suas, ne in congressum veniret, caussas prætexente, concordiæ spes omnis præcisa. Ob id utriusque partis Cardinales conveniunt Pisas, habitoque Concilio, Nonis Junii an. 1409. utrumque amovent Pontificatu, sufficiuntque Alexandrum V. Qua re audita Gregorius Ariminum, Benedictus Paniscolam se recepit, oppidum maritimum Regni Valentini, voluitque uterque haberi pro Pontifice. Tali modo non est ablatum Schisma, sed augmentatum, ex duobus, tribus se pro Papa gerentibus. Sexto post anno Gregorius vir sanctus, utpote qui Ecclesiæ & unionem, & reformationem

387.

ſemper optaverat, per Carolum Malateſtam (Arimini Dominum) procuratorem ad hoc ſuum omni jure ſuo, quod in Papatu haberet, renuntiavit ſolemniter in Concilio Conſtantienſi Seſs. 14. quæ IV. Nonas Julii anno 1415. celebrata eſt. Qua abdicatione recepta cum magna jucunditate, Patres nihilominus ad venerandum illum omni laude digniſſimum antiquum dierum, ex Gregorio ad Angelum, primum ſuum nomen, reverſum, Legatum illum inſtituerunt in Picentibus conſiſtentem, hoc eſt, perpetuum: eundemque Cardinalem, Epiſcopum Portuenſem deinceps eſſe voluerunt. Poſt biennium fato functus eſt Recineti, ſenex octogenarius vel nonagenarius, anno 1417. tumulatusque in templo majore. Ita in Vita hujus Pontificis ex S. Antonino, Raynaldo, ac Spondano Sandini. Leonardus Aretinus quoque in Commentario rerum ſuo tempore in Italia geſtarum, tom. 10. Scriptor. Rer. Ital. pag. 926. hæc in laudem Gregorii XII. affert: *Fuit in Gregorio permagnæ vitæ, morumque honeſtas, & priſca quidem, ut ita dixerim, bonitas: Scripturarum quoque ſcientia, & indagatio ſubtilis & recta.*

(B) De Concilio Piſano, de quo Nota præced. mentio facta eſt, hæc præterea notanda veniunt: Præter Oratores Principum interfuerunt Concilio huic Cardinales quatuor & viginti, tres Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, Epiſcopi 180. Cœnobiarchæ 300. Doctores 280. Præfuit Cardinalis Pictavienſis utriusque Collegii Decanus. Duabus & viginti ſeſſionibus abſolutum eſt. *Conciliabulum* vocat S. Antoninus 3. part. Chron. tit. 22. cap. 5. §. 2. *cum non eſſet alicujus eorum, qui ſe gerebant pro Pontifice, authoritate congregatum.* Et §. 3. addit: *Alexandrum V., in eo electum, anno uno ſedem Petri tenuiſſe, ſecundum communem opinionem: ſignificans*, ut ait Scholiaſtes: *ex ſua ſententia Alexandrum V. legitimum non fuiſſe Pontificem, ſed Gregorium XII.* Nihilominus alii contradicunt affirmantes, & Concilium, & creatum in eo Pontificem fuiſſe legitimum, ut legere eſt apud Raynaldum ad an. 1409. §. 79. 80. Azorium part. 2. lib. 5. cap. 17. & Natalem Alexandrum in Hiſt. Eccleſ. Sæc. XV. & XVI. diſſert. 2. num. 19. *Generale nec approbatum, nec reprobatum videtur eſſe* Bellarmino lib. 1. de Conc. cap. 8. Hæc omnia videri poſſunt apud Sandini in Gregorio XII. & in Annot. 1. & 2. pag. 679. & ſeq.

(C) Alexander V. commendatur a Scriptoribus ut vir magni animi, prudentiæ ſummæ, & effuſæ in pauperes charitatis. Quare Platina ſcribit, eum per jocum interdum dicere conſueviſſe, *ſe divitem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.*

(D) Joan-

(D) Joannes XXIII. Concilium Constantiense indixit pro extinguendo Schismate, quod jam diu Ecclesiam afflixerat, moribus reformandis, & damnandis erroribus Wicleffi, Joannis Huss, & Hieronymi Pragensis. De hoc refero, quia ad hujus Pontificis gesta scienda maxime conferunt, quæ Sandini refert in vita hujus Papæ Annotatione 1. pag. 687. Sic sonant: „Anno 1414. Nonis Novembr. „celebrari cœptum, *sessionibus* quinque & quadraginta absolutum est „anno 1418. X. Kal. Majas. Interfuerunt Patres fere mille. In his „Patriarchæ quatuor, & Episcopi trecenti. Adfuit etiam Sigismun„dus Rex Romanorum. Concilii Præses diversus pro temporis di„versitate. Duabus *sessionibus* præfuit Joannes ipse XXIII. Post „abitum ejus e Concilio, tertiæ præfuit Petrus de Alliaco Cardina„lis Cameracensis: quartæ & quintæ Jordanus Episcopus Albanensis „Cardinalis Ursinus: reliquis usque ad Martini V. electionem Joan„nes Episcopus Ostiensis Cardinalis Vivariensis: quatuor postremis „Martinus V. *Sessione* 41. Pontifex creatus. *Sessione* 12. Joannes XXIII. „depulsus est Pontificatu: *Sessione* 14. Gregorius XII. seu *Angelus Cor„rarius* se abdicavit. Quod cum Benedictus XIII. seu *Petrus de Luna* „sæpe jussus adesse, atque citatus, facere recusasset, *Sessione* 37. „anno 1417. simul usurpata Pontificali dignitate, simul Christiano„rum communione privatus est. Pontifex tamen usque ad mortem „haberi voluit, fovente pertinaciam ejus Alphonso Aragoniæ Rege. „Nec, eo Paniscolæ anno 1424. vita defuncto, desiit schisma. Duo „enim Cardinales, qui partes ejus sequebantur, Clementem VIII. „suffecerunt: quo ejusdem Alphonsi jussu Ecclesiæ jam reconcilia„ti, anno demum 1429. VII. Kal. Sextil. submittente se ad pedes „Martini V. schisma extinctum est.

„*Sessione* 43. editæ constitutiones moribus regendis.

„*Sessione* 8. rejecta est insana Wicleffi doctrina quinque & qua„draginta capitibus comprehensa: Sessione 15. damnati triginta Ar„ticuli Joannis Hussi: probata insuper communio sub una tantum „specie, ipsisque Sacerdotibus non sacrificantibus imperata. *Sessio„ne* 21. anathemate percussus Hieronymus Pragensis, & perinde at„que Hussus, vivus igni traditus, combustusque, quod relapsus „esset in errores Hussi ac Wicleffi, quos *Sessione* 19. ejuraverat.

„*Sessione* 25. ut est apud Labbeum tom. 12. Conc. pag. 258. „jussit Pontifex Martinus V. *decreta in materiis Fidei per præsens Concilium „conciliariter tenere & inviolabiliter observari.* Quibus verbis, ut anim„advertit Spondanus ad an. 1418. §. 5. significavit, se non appro„bare, quæ *Sessionibus* 4. & 5. statuta fuerant de authoritate Concilii

 „supra

„ ſupra Pontificem. Quamquam, ut idem Spondanus, ac Bellarminus
„ lib. 2. de Conc. cap. 19. docet, Concilium Conſtantienſe *non defini-*
„ *vit abſolute, Concilia generalia habere a Chriſto poteſtatem ſupra Pontifices,*
„ *ſed tantum in caſu, id eſt, tempore Schiſmatis, quando neſcitur, quis ſit*
„ *verus Papa, & proinde habere ſuper illum poteſtatem, non habere poteſtatem*
„ *in Papam.* Bellarmino conſentiunt Turrecremata, Sanderus, Cam-
„ pegius, ut eſt in Annalibus Raynaldi ad an. 1415. §. 7. & 8.

(E) In Concilio Conſtantienſi Seſs. 40. (ut eſt apud Labbeum tom. 12. pag. 244.) decretum fuit, ut hac vice in electione ſummi Pontificis Cardinalibus adjungerentur *ſex Prælati, vel aliæ honorabiliores perſonæ Eccleſiaſticæ in ſacris Ordinibus conſtitutæ, de qualibet natione in eadem ſynodo pro tunc exiſtentes, quos, ſeu quas quælibet ipſarum nationum pro ſe ad hoc infra decem dies* elegiſſet, utque nemo haberetur pro vero ac legitimo Pontifice, niſi quem duæ tum Cardinalium, tum delegatorum partes cooptaſſent.

(F) Nicolaus V. prænunciatum a ſe excidium Imperii Græcorum, captamque a Turcis Conſtantinopolim eo tulit gravius, quo magis laboravit, ut Chriſtianorum Principum ope tanta clades averteretur. In calamitate tam exitioſa, quod unum præſtare potuit, Libros ex tota Græcia perquiſitos ad ſe juſſit afferri, & in Latinam converti linguam curavit, profugasque & extorres Græciæ Muſas amice & liberaliter excepit. Veteribus & novis Codicibus ornatiſſimam Bibliothecam inſtruxit, in qua circiter tria millia librorum volumina condidit. Flaminiam in Pontificis iterum ditionem redegit. Hæc Sandini in Vita Nicolai. In Annot. 3. ad eam ita pergit:

„ Ex quo Græci, ut eſt apud Vincentium Ludovicum Gotti
„ tom. 1. *Veræ Eccleſiæ* cap. 7. §. 3. num. 20. pag. 235. ſpernere cœpe-
„ runt Epiſcopos Romanos, & obedientiam abjicere, cœptus ab eiſ-
„ dam divino ſpiritu tactis prænuntiari occaſus Imperii eorum, niſi
„ redirent ad Officium. Vates primus S. Leo, ſecundus S. Gregorius,
„ deinde alii, poſtremus Nicolaus V. Hic animadvertens, Conſtan-
„ tinum Palæologum a promulgandis decretis Concilii Florentini re-
„ fugere, ſeque minus paratum oſtendere ad ſervandam concordiam
„ cum Latinis pactam, juratamque, eidem, ni ſtaret in pactione, &
„ ſchiſma penitus aboleret, Conſtantinopolis expugnationem, ever-
„ ſionemque Imperii anno 1451. denuntiavit intra triennium. Ver-
„ ba ipſa, quibus grande malum prædixit, magno cum dolore recitat
„ Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus apud Thomam Bozium
„ de ſignis Eccleſiæ tom. 1. lib. 6. ſig. 19. *Optime cuncta novimus, ſed to-*
„ *leramus in Jeſum reſpicientes ſempiternum Sacerdotem & Dominum, qui ſteri-*

„ *lem illam ficum uſque ad annum tertium juſſit aſſervari, agricola jam ad exci-*
„ *dendam arborem ſe accingente, quia nullum fructum ferebat.* Poſthabitæ
„ prædictionis meritas pœnas luit Palæologus. Vix enim tertius a va-
„ ticinatione annus 1453. advenit, cum Mahumetes II. Amurathis II.
„ filius, Imperator Turcarum, Conſtantinopoli capta, & Conſtanti-
„ no extincto, Græcorum Imperium evertit.“

(G) Paulus II. Abbreviatores, ut vocant, a Pio in Curiam adſcitos officio privavit: inter quos Platina, quod cum inſolentius epiſtola quadam factum redarguiſſet, in cuſtodiam detruſus eſt: qua de re Brietius in Annalibus ad annum 1464. monet: *Cave, de hoc Pontifice Platinæ fidem adhibeas, a quo hic longo carcere ſubactus, imo & tormentis ſubjectus ob conſpirationem & impietatem, multa in eum effutiit ex recordatione potius pœnarum, quam ex veritate.*

(H) Innocentio VIII. a Raphaele Volaterrano lib. 7. Geographiæ pag. 80. falſo imputatur, *Norvegiæ* hujus *Pontificis conceſſione permiſſum, ſine vino calicem ſacrificare, quod ob immenſa frigora vinum in ea regione importatum aceſcat:* ſiquidem, ut Benedictus XIV. ſeu Cardinalis Lambertini de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 2. cap. 31. num. 2. habet: *Id tanquam fabuloſum ab aliis rejicitur, cum in Norvegia vinum facile conſervetur, & ſit uſu receptum, ut animadvertunt Cardinalis de Lugo* de Sacramento Euchariſtiæ diſp. 19. ſect. 8. *Natalis Alexander* in Theologia Dogmatica & Morali lib. 2. De Sacramento Euchariſtiæ Art. 3. in Confectariis praxim ſpectantibus regul. 3. & *Miglioruccius* Inſtit. Canonic. lib. 2. tit. 6. in Explicationibus n. 44.

Præterea ut animadvertit memoratus Natalis Alexander in Hiſt. Eccleſ. Sæc. XV. & XVI. cap. 1. Art. 10. *nullum* Innocentii VIII. *ea de re decretum exſtat, nec ulla apud alios authores memoria.* Illud fortaſſe ſimile veri ſit, quod Gonenus in Clypeo Theologiæ Thomiſt. tom. 5. diſput. 3. de Euchariſt. Art. 6. §. 2. n. 91. ſcribit *ex Bzovio ad annum* 1490. *circa illud tempus nonnullos Sacerdotes, qui poſtea combuſti ſunt propter falſificata diplomata Pontificia, potuiſſe in illis partibus falſam aliquam diſpenſationem publicare.* Vide Dianam Coordinatum tom. 3. tract. 1. Reſol. 47. & Annot. 4. ad Alexandrum VI.

(I) Alexander VI. Ferdinando II. Regi Neapolitano permiſit, matrimonium contrahere cum Sorore Patris ſui, aliis admirantibus, quod hoc liceat, & aliis per ignorantiam negantibus id licere. Vetitum id quidem erat *Levitici* lege cap. 18. ℣. 12. verum ea lex ſolummodo fuit judicialis, non naturalis: alioquin prohibitum fuiſſet

etiam matrimonium Patrui, seu Avunculi cum nepte, cum inter se conjungantur cognationis gradu eodem, ac nepos cum Amita, quod tamen in *Levitico* non prohibetur.

§. III.

Hæreses, & Concilia Generalia Sæculi XV.

389. 1. Wicleffitæ, a Joanne Wicleff dicti, cujus articuli 45. erronei proscripti sunt a Concilio Constantiensi, in quibus inter alia multa docuit 1. Substantiam panis & vini manere in Sacramento Altaris. 2. Deum debere obedire Diabolo. 3. Homini contrito confessionem exteriorem esse superfluam. 4. Bonorum temporalium possessionem esse Ecclesiasticis illicitam. 5. Religiosos non esse de Religione Christiana. 6. Omnes Religiosos mendicantes esse hæreticos. 7. Omnia casu, ac necessitate absoluta evenire. 8. Romanam Ecclesiam esse Synagogam Sathanæ. 9. Papam non esse Vicarium Christi, nec Petri Successorem. 10. Electionem summi Pontificis a Cardinalibus faciendam esse a Diabolo introductam, & alia id genus falsa plura.

2. Hussitæ a Joanne Huss omnes fere Wicleffi errores sustinebant, quibus addebant: 1. Ecclesiam solis Prædestinatis constare. 2. Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ Catholicæ. 3. Obedientiam Ecclesiasticam non esse fundatam in S Scriptura, 4. Nullum esse Dominum temporalem, nullum Prælatum, nullum Episcopum, dum sunt in peccato mortali. Confixi sunt in Concilio Constantiensi.

Concilia Generalia.

De his jam aliqua in Notis Historicis de Summis Pontificibus sunt tacta: sed hic repetuntur aliqua, & adjunguntur alia, quia scitu utilissima, & necessaria. Itaque

390. I. Agitur de *Concilio Pisano* generali XVI. Cum Angelus Corrarius, Gregorius XII. appellatus, & Petrus de Luna Benedictus XIII. vocatus, diu de Papatu contenderent, neuterque pro bono pacis Ecclesiæ cedere vellet, licet id uterque in sua electione sub jurejurando promisisset, nec alia restaret Schismatis tollendi via, quam Concilium generale, Cardinales utriusque obedientiæ, a suo quisque Schismatico Papa recedentes, Pisas venere, ibique, ut Ecclesiæ extincto Schismate de vero & indubitato capite prospicerent, generale hoc indixere Concilium anno 1409. cui præsedit Cardinalis Pictaviensis

ſis utriusque obedientiæ Decanus. Inſuper interfuere 24. Cardinales, 3. Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Jeroſolymitanus, 300. Epiſcopi, cum innumeris aliis Monaſteriorum Præpoſitis, Abbatibus, Doctoribus, ac variis Principum & Univerſitatum Legatis.

In hoc Concilio 1. duo de Papatu certantes, poſt trinam de jure citationem neque per ſe, neque Procuratores comparentes, contumaces fuere declarati, & ut Schiſmatici, perjuri, & hæretici damnati, ac e ſuo prætenſo Pontificatu depoſiti. 2. In utriusque locum ſuffectus eſt Cardinalis Philaretus græcus, Franciſcanus, Doctor Pariſienſis, Alexander V. ſalutatus, qui reliquo Concilio, 23. Seſſionibus completo præfuit.

Licet jam aliqua ex aliena ſententia recitarim hoc Sæculo §. præc. Nota Hiſtorica (B) tamen hic aſſero abſolute ex mente propria, Hoc Concilium fuiſſe œcumenicum; Nam hoc Concilium fuit tempore Schiſmatis jam diuturni, ubi de nullo indubitato Papa conſtabat, urgente extrema neceſſitate, pro pace Eccleſiæ procuranda convocatum a Cardinalibus, certe legitime in his circumſtantiis: Fuit etiam 2. legitime celebratum, præſidente S. Cardinalium Collegii Decano: 3. Ad illud vocati debite duo de Papatu contendentes, cæterique omnes ex univerſo Orbe Catholico Prælati: 4. Decreta Concilii approbavit, & confirmavit Alexander V. his verbis: *Prædictam ſententiam, & omnia alia & ſingula, quæ per Concilium hujusmodi pro tollendo ſchiſmate, & redintegratione memorata facta ſunt, utpote provide, & tantorum Venerandorum Patrum, imo univerſalis Eccleſiæ authoritate & concordia facta, rata habentes & grata, ea Authoritate Apoſtolica ex ſcientia approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.* Quid ultra requiri poteſt ad legitimum Concilium generale in his circumſtantiis?

II. *Concilium Conſtantienſe*, generale XVII. Hic ante omnia advertendum: Alexander V. uno poſt ſui electionem anno Bononiæ mortuo, in ejus locum electum eſſe Balthaſſarem Coſſa, vocatum Joannem XXIII. cum vero Gregorius XII. & Benedictus XIII. non parerent Decreto Synodi Piſanæ, tres fuiſſe viſos nomine SS. Pontifices, indeque non extinctum, ſed auctum eſſe Schiſma, quod a triginta jam annis diſſecabat Eccleſiam. 391.

Anno igitur 1414. ad extinguendum tam nefandum Schiſma, & configendas varias tunc temporis graſſantes hæreſes, agentibus Sigismundo Imperatore, & Wenceslao Bohemiæ Rege Joannes XXIII. Concilium Conſtantiæ convocavit, cui interfuere Cardinales 29. Patriarchæ

triarchæ 4. Epiſcopi 300. & ingens numerus aliorum inferiorum Eccleſiæ Prælatorum.

Non unus fuit hujus Synodi Præſes: Seſs. 1. & 2. præfuit Joannes XXIII., qui juramento promiſit, pro bono pacis ſe Pontificatui libentiſſime renuntiaturum, ſi Gregorius XII. & Benedictus XIII. idem facere non renuerent. Verum ante Seſſionem 3. diſceſſit Conſtantia, ſeque contulit Schafhuſium, veritus, ne Papatu cogeretur ſe abdicare. Deinde Cardinalis de Urſinis, Epiſcopus Albanenſis, præſedit 4. & 5. Seſſionibus, in quibus declaratum eſt, authoritatem Concilii œcumenici eſſe authoritate Summi Pontificis ſuperiorem, his verbis: *Ipſa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet, cujuscunque ſtatus vel dignitatis, etſi Papalis, exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, & Reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & membris.* Præterea Cardinalis Vivarienſis, Epiſcopus Oſtienſis, præfuit a 6. uſque ad 41. Seſſionem, in qua electus eſt in Summum Pontificem Cardinalis Columna, appellatus Martinus V. qui ſubinde per ſe ipſum præfuit aliis 4. Seſſionibus, quibus finis impoſitus eſt Concilio, in quo acta ſunt iſta:

1. Definitum eſt, Concilium eſſe ſupra ſummum Pontificem Seſs. 4. & 5.

2. Damnati ſunt 45. Articuli Joannis Wicleffi, juſſumque eſt, omnes ejus libros, & oſſa exhumata comburi Seſs. 8.

3. Pronunciata eſt Sententia depoſitionis adverſus Joannem XXIII. qui ſententiæ acquievit depoſitis Pontificalibus inſignibus Seſs. 12.

4. Gregorius XII. per Procuratores Papatum reſignavit, quæ reſignatio admiſſa eſt a Synodo Seſs. 14.

5. Damnati ſunt 31. articuli Joannis Huſs, qui nolens reſipiſcere, fuit cum libris ſuis combuſtus Seſs. 15.

6. Hieronymus de Praga de hæreſi convictus, ſuam ejuravit hæreſin, in quam paulo poſt relapſus, traditus eſt brachio ſæculari, a quo vivus crematus eſt Seſs. 20. & 21.

7. Benedictus XIII. Antipapa a Pontificatu fuit dejectus, omnesque fideles ab ejus obedientia abſoluti Seſs. 37. Poſtea electus eſt Martinus V. qui

8. Seſs. 45. pronunciavit: *quod omnia & ſingula determinata, & concluſa, & decreta in materiis Fidei per præſens Concilium conciliariter tenere, & inviolabiliter obſervare volebat, —— ipſaque ſic conciliariter facta approbat,*

& ra-

& ratificat, & non aliter, nec alio modo. Ex hoc Concilio remanet grave dubium, an Concilium sit supra Papam, quod speciali sequente §. discutietur. Nunc pergendo sit

III. De *Concilio Basileensi* generali XVIII. de quo hæc notanda sunt: Martinus V. in Concilio Constantiensi Papiæ aliud celebrandum indixerat, quod propter pestem Papiæ grassantem transtulerat Senas, ubi habita est prima Sessio, in qua Wicleffitarum, & Hussitarum fuit damnatio confirmata. Deinde ob exiguum Prælatorum numerum, & ingruentes undique bellorum procellas Concilium Senense dissolvit, & aliud septennio post Basileæ celebrandum indixit, quo Julianum Cæsarinum Cardinalem S. Angeli misit, & Præsidem constituit: mortuo interea Martino successit Eugenius IV. qui Concilii indictionem ratam habuit, & eodem Juliano Præside celebrari voluit anno 1431.

Fuit autem coactum triplici ex causa: 1. ad extirpationem hæresis Bohemorum. 2. Ad pacem inter Principes Christianos conciliandam. 3. ad Cleri reformationem.

Gesta sunt in hoc Concilio 1. Sessio prima habita est Præside Cardinali Juliano, Legato Eugenii IV. qui videns, quod Synodus sub specie reformandæ Ecclesiæ de nonnullis, illisque præcipuis prærogativis Ecclesiæ Romanæ abolendis ageret, Julianum Legatum revocavit, dissoluto Concilio, quod post annum cum dimidio Bononiæ habendum indixit, eam maxime ob causam, quod ineundæ Græcorum unioni Bononia, a Græcis electa, commodior videretur, quam Basilea, seque illi cum Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adfuturum promisit.

2. Non obstante revocatione ab Eugenio facta, Patres Basileenses continuaverunt Sessiones, in quibus Ludovicus Alemannus Cardinalis, & Arelatensis Episcopus sine facultate Pontificis præfuit.

3. Patres citarunt Eugenium Sess. 12. & orarunt, ut dissolutionem Concilii revocaret, decreta facta probaret, legitime inchoatum, & continuatum declararet, atque Concilio adhæreret: quæ si non faceret, contumax declararetur, & ab omni administratione Papatus suspenderetur, omnesque subditi ab ejus obedientia, fidelitate, & juramento absolverentur. His postulatis Papa, unitati Ecclesiæ consulturus, satisfecit, Sess. 16. dissolutionem Concilii irritam declarans: proinde continuationem ejus approbavit, atque Legatos iterum misit.

4. Concilium Sess. 18. iteravit Decretum de Concilii superioritate supra Papam: quam ob causam Legati Eugenii secundo discesſere,

ſere, ac Eugenius Concilium Baſileenſe tranſtulit Ferrariam anno 1437. quo major pars Patrum Baſileenſium tranſiit cum Papa Eugenio: qui tamen propter peſtem Ferrariæ ſævientem poſt 16. Seſſiones ibi habitas Concilium rurſus tranſtulit Florentiam, a quo loco *Florentinum* dictum eſt.

5. Pars Patrum, qui Baſileæ remanſerant, Concilium continuaverunt a Seſs. 25. ad Seſs. 45. in quibus irritaverunt Bullas translationis Concilii: definierunt, ſuperioritatem Concilii ſupra Papam eſſe veritatem Fidei: atque depoſuerunt Eugenium IV. electo in ejus locum Amedeo Duce Sabaudiæ, Felice V. dicto.

6. Concilium Baſilea tranſtulerunt Lauſanam, ubi plures habitæ ſunt Seſſiones; in quibus tamen nihil aliud memorabile eſt geſtum, niſi quod Felix ad dandam Eccleſiæ pacem Pontificatum ſeu Antipapatum abjecerit.

An hoc Concilium œcumenicum ſit, quæſtio eſt? Conveniunt omnes, illud non fuiſſe perfecte œcumenicum, ſed degeneraſſe in merum Conciliabulum a Seſſione 25. uſque ad ultimam, ſeu 45tam quia tunc Papa illud ſecundo diſſolvit, ac tranſtulit Ferrariam, nec Baſileæ vel Lauſanæ Synodo amplius adhæſit, ſicut nec ſanior pars, quæ cum Eugenio IV. ſe Ferrariam contulit.

Sanior, & plurium ſententia eſt, legitimum & œcumenicum fuiſſe tantum ſub initium, & in prima Seſſione: poſt hanc fuiſſe factum illegitimum; eoquod Eugenius IV. ei non adhæſerit amplius, nec a Nicolao V. confirmatum fuerit, niſi in iis ſolis, quæ definita fuerant circa Beneficia, & Cenſuras Eccleſiaſticas: in aliis vero reprobatum eſt ab Eugenio IV. (ut teſtantur Patres Baſileæ congregati) & a Concilio Florentino, & Lateranenſi V. in quo appellatur *Conciliabulum omni robore carens.*

Deinde, licet Pius II. adhuc junior, & ſimplex Clericus, necdum Pontifex, probaverit Decreta Baſileenſia, ipſisque firmiter adhæſerit: tamen ſenior factus, & ab ipſa veritate convictus, & ad Pontificatum evectus, ſcripſit Bullam revocationis Concilii Baſileenſis pro Eugenio IV. quæ exſtat in Bullario magno Editionis noviſſimæ Luxenburgicæ apud Andream Chevalier anno 1727. tom. 1. Conſtit. 10. quæ incipit: *In Minoribus agentes*, in qua revocat, quidquid contra Pontificiæ Sedis authoritatem dixerat, vel ſcripſerat. Fragmentum hic exhibeo. Sic ſonat: *Nos homines ſumus, & ut homines erravimus: neque imus inficias, multa, quæ diximus, ſcripſimus, egimus, damnari poſſe. Verum —— dilectiones veſtras hortamur, & in Domino commonemus, ne prioribus illis ſcriptis inhæreatis, aut fidem ullam præſtetis, quæ ſupremam*

Apoſtolicæ

Apoſtolicæ Sedis authoritatem quovis pacto elidunt, aut aliquid aſtruunt, quod ſacroſancta non amplectitur Romana Eccleſia —— *ſequimini, quæ nunc dicimus, & ſeni magis, quam juveni credite, nec privatum hominem pluris facite, quam Pontificem: Æneam rejicite, Pium recipite.* Poſtea addit: *Dicent fortaſſe aliqui, cum Pontificatu hanc nobis opinionem adveniſſe, & cum dignitate mutatam eſſe ſententiam: haud ita eſt, longe aliter actum.* Et poſt enumeratos homines & facta, quæ ipſum in errorem induxerant, enumerat eos, a quibus fuit in viam veritatis adductus: *Quibus conſideratis,* ait, *caligo tandem ab oculis noſtris cecidit. Recognovimus errorem noſtrum, venimus Romam, Baſileenſe dogma rejecimus, Eugenio Pontifici Max. caput ſubmiſimus, & reconciliati Eccleſiæ Romanæ, doctrinam ejus imbuimus* —— *eramusque adbuc pene Laici, quando ad Eugenii obedientiam redivimus. Ex Baſilea, clericali tantum charactere inſigniti, receſſimus, nec unquam ſacros imbuimus ordines, niſi poſt veritatem cognitam, Baſileenſi cæcitate relicta.* —— *Hæc eſt converſatio noſtra, per hos gradus a tenebris ad lucem migravimus.*

Deinde probat ex Scriptura & Traditione ſupremam Vicarii Chriſti authoritatem; ſicque concludit: *Si quæ vel vobis, vel aliis conſcripſimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tanquam erronea, & juvenilis animi parum penſata judicia, revocamus, atque omnino reſpuimus.*

Concilium Florentinum generale XIX. illud eſt, quod Ferrariæ ab Eugenio IV. & ſaniore parte Concilii Baſileenſis anno 1438. inchoatum, ob peſtem quotidie ingraveſcentem Florentiam translatum eſt, ibique anno 1439. abſolutum, imperante in Occidente Alberto II. Indictum fuit ad unionem Græcorum cum Latinis. De hoc Concilio ita ſcribit Sandini in Vita Eugenii IV. annot. 2.

„ Hoc eſt Concilium Florentinum, Oecumenicum XVI. Ha„ betur velut quædam continuatio Concilii Baſileenſis, quod poſt „ Seſſionem 25. deſiit eſſe Oecumenicum. Patrum enim pars major „ conſentiens Eugenio IV. ſe contulit Ferrariam, ubi anno 1438. V. „ Idus April. inchoatum eſt Concilium ad Græcos reconciliandos cum „ Latinis. Interfuerunt Epiſcopi 140. in iisque Joſephus Patriarcha „ Conſtantinopolitanus, Beſſarion Antiſtes Nicænus, Iſidorus Theſ„ ſalonicenſis, Marcus Epheſinus. Adfuit etiam Joannes VII. Pa„ læologus Orientis Imperator. Præfuit ipſe Eugenius IV. Quin„ que & viginti numerantur Seſſiones hujus Concilii. Sexdecim ha„ bitæ ſunt Ferrariæ, Florentiæ vero reliquæ. De rebus Græcos in„ ter ac Latinos controverſis diſceptatum eſt, ſex utrinque delectis „ ad diſceptandum. Græci omnes extra unum Marcum Epheſinum „ conſenſere, Spiritum Sanctum procedere a Patre *Filioque*, vocem„ que *Filioque* declarandæ cauſa veritatis recte inſertam Symbolo,

„ quamvis ipsi eam Symbolo suo inserere noluerint: Eucharistiæ Sa-
„ cramentum in azymo pane juxta, atque fermentato confici, ne-
„ mini tamen licere, mutare ritum Ecclesiæ suæ: esse locum, in quo
„ piorum animæ sejunctæ a corpore, si quid diluendum supersit, ad
„ definitum tempus cruciatæ expientur, eisque preces Christianorum
„ & sacrificia prodesse: puras e contrario, omnisque maculæ exper-
„ tes ad optatissimam beatitudinem, quæ in Dei visione consistit,
„ statim advolare: denique Pontificem Romanum in Ecclesia universa
„ *Primatum* obtinere. Sic reconciliata pax, quæ tamen brevis admo-
„ dum fuit. Græci enim vix in patriam reversi, authore Marco
„ Ephesino Metropolita, renovarunt schisma antiquum, in quo ad ho-
„ diernam diem perseverant post duodecimam, seu decimam quartam
„ cum Latina Ecclesia reconciliationem. Namque S. Antoninus 3.
„ part. Chron. tit. 22. cap. 13. hanc duodecimam appellat, alii vero
„ apud Spondanum ad annum 1274. §. 8. eam faciunt tertiam decimam,
„ quæ in Concilio Lugdunensi II. Oecumenico XIV. facta est. Post
„ Græcorum discessum edidit Eugenius decretum Armenis in Catholi-
„ ca Fide erudiendis, recipiendisque in societatem Romanæ Eccle-
„ siæ. Accesserant enim Legati *Primatis*, seu *Catholici* Armenorum
„ id petentes. Jacobitas quoque, emisso pro eorum institutione de-
„ creto, conjunxit cum Ecclesia Catholica: item Æthiopas seu Abissi-
„ nos, quorum Imperator Constantinus cognomine *Zerab Jacob*, id
„ est, *semen Jacob*, vulgo *Presbyter Joannes*, invitatus ad suscipien-
„ dam Christianorum Religionem miserat Legatos suos, quos Romæ
„ anno 1442. Concilio in Basilicam Lateranensem translato, Euge-
„ nius suscepit."

Licet plures Sessiones, ut mox supra dictum, & Ferrariæ & Florentiæ sint factæ in hoc Concilio, præcedentes tamen omnes, cum meræ fuerint Doctorum disputationes, præter ultimam, sexta Julii anno 1439. habitam, quæ dicitur Unionis Decretum, nullam habent authoritatem definitionis, ut Theologi observant, & pluribus dicetur T. 2 l. 1. Sentent. p. 2. de Spiritu Sancto.

His relatis Conciliis, in quibus multum fuit actitatum de Primatu S. Pontificis, & Superioritate supra Concilium, tamen decidenda est Controversia illa, an summus Pontifex sit supra Concilium? Quare sit

§. IV.

An Summus Pontifex sit supra Concilium?

394. Assertio unica. Indubitatus & verus Pontifex est supra Concilium. Ita sanior pars Doctorum contra multos Gallos, qui contrarium

ex ipso Concilio Constantiensi, cui nimis adhærent, elicere volunt. P. 1. Petrus, & per consequens ejus Successor in Papatu, fuit a Christo constitutus Pastor omnium Fidelium; huic enim soli Joan. 21. dictum est: *Pasce oves meas*, sine restrictione. Luc. 22. *Confirma Fratres tuos*. Et Matth. 16. *Super banc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves Regni Cœlorum*. Ergo solus Petrus est supremus Pastor &c. reliqui omnes, etiam in Concilio congregati, sunt oves, & subditi.

P. 2. ex Conciliis. In Concilio Calcedonensi Act. 3. recitantur multæ Epistolæ scriptæ ex variis locis ad Concilium, quæ omnes sic incipiunt: *SSmo. & Universali Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni, & S. Universali Concilio congregato in Calcedonensi Civitate*: ubi anteponitur semper Concilio S. Pontifex nemine reclamante. Imo ad calcem illius actionis legitur Epistola ad eundem Leonem, in qua eum Patres & caput, & Patrem suum agnoscunt.

Insuper in eadem actione damnatus est Dioscorus cum tota Synodo Ephesina II. tum ob alias causas, tum maxime, quia judicare & damnare ausus fuerat summum Romanum Pontificem Leonem: ob quam horribilem præsumptionem præcipue eum Epist. ad Michaelem Nicolaus I. damnatum asserit. Jam vero, si Dioscorus, qui erat Patriarcha Alexandrinus, seu Primus post Pontificem Romanum, non potuit jure judicare cum Concilio Romanum Pontificem, quis alius poterit?

Scribunt Platina in Vita Leonis III. & Paulus Æmilius l. 3. Historiæ Francorum, Carolum Magnum venisse Romam ad cognoscendam causam Leonis Pontificis, cui multa crimina objecta erant: convenientes vero ibi multos Episcopos in Concilio, omnes unanimi voce exclamasse, non licere ulli hominum, judicare summum Pontificem: ob hoc Carolum destitisse a munere judicandi, & Leonem juramento se ipsum purgasse.

In Lateranensi Concilio sub Alexandro III. ut habetur cap. *Licet* de electione. dicitur: *In Romana Ecclesia speciale aliquid constituitur: quia non poterit ad Superiorem recursus haberi.*

Concilium Lateranense ultimum sub Leone X. cui ipse Rex Christianissimus se inhæsurum sancte promisit, docet: *Solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, nedum ex S. Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorum Conciliorum confessione manifeste constat.*

Probatur ulterius: Papa non accipit poteſtatem a Concilio, ſed Chriſto: ergo non dependet a Concilio, ſed Chriſto. 2. Eccleſia etiam in Concilio congregata eſt corpus viſibile: ergo habet caput viſibile, quod eſt ſupra totum corpus. Sed tale caput eſt Papa: ergo Papa eſt ſupra totam Eccleſiam.

Solvuntur Objectiones.

395. Objic. 1. Papa eſt pars Eccleſiæ: ergo eſt minor Eccleſia in Concilio congregata. ℞. cum Scholaſticis loquens D. c. eſt minor extenſive, quia in Concilio, & reliqua Eccleſia ſunt plures homines c. c. intenſive, hoc eſt, authoritate, infallibilitate, & poteſtate Chriſti vicaria, quæ tota in S. Pontifice reſidet, n. c.

Objic. 2. Papa eſt filius, Eccleſia mater: ſed mater major eſt filio: ergo. ℞. d. M. Papa, ut eſt perſona privata c. M. ut eſt Pontifex ſummus n. M. Sub hac enim acceptione eſt Pater Eccleſiæ.

Objic. 3. Epiſcopi in Concilio ferunt ſententiam authoritate divina: ergo ſine Papa ſunt infallibiles. ℞. D. a. dicunt ſententiam authoritate divina abſolute n. a. conditionate, ſi cum Papa conſpirent tr. a. Transmiſi antecedens, quia adhuc dubium grande eſt, an Epiſcopi immediate habeant poteſtatem a Chriſto: vel mediate, & immediate a S. Pontifice. Et eſto, habeant immediate a Chriſto, habent tamen cum dependentia a Papa, & quando concorditer cum Papa dicunt ſententiam, & niſi Papa contradicat: quod non fit in Concilio non unito cum Papa.

Objic. 4. Eccleſia eligit Papam, & Sede vacante Chriſtus dirigit Eccleſiam: ergo Papa accipit ſuam poteſtatem ab Eccleſia, & penes hanc eſt ſumma poteſtas. ℞. N. c. Quamvis Eccleſia habeat jus eligendi Papam, tamen ipſa non tribuit authoritatem Chriſti vicariam; hanc enim Papa immediate a Chriſto accipit. In Eccleſia, mortuo Pontifice ſummo, non datur poteſtas Chriſti vicaria reapſe, vel, ut Scholæ loquuntur, formaliter, ſed tantum in radice, quatenus nempe Eccleſia poteſt novum Pontificem eligere, & determinare, cui dein a Chriſto confertur ſumma poteſtas, ut vel ſolus, vel cum Concilio controverſias poſſit decidere.

Objic. 5. Potentia agendi principalius procedit a toto, quam parte: ſed Eccleſia eſt aliquod totum: ergo. ℞. D. M. & hoc procedit de toto naturali, vel phyſico, licet & in hoc ſuas exceptiones patiatur tr. M. in toto morali, & ſupernaturali, de quo hic controvertitur n. M. In toto morali & ſupernaturali virtus agendi procedit a principiis extrinſecis: ſic Eccleſia tanquam totum morale & ſuper-

natu-

naturale habet fuam poteftatem a Chrifto, & quidem promiffam immediate foli capiti, & ipfi communicatam principaliter, fi loquamur de poteftate vicaria, & illa, quæ fummo Pontifici convenit.

Objic. 6. Si tota poteftas Chrifti vicaria eft penes unum Pontificem, hactenus fruftra convocata funt tantis impenfis tot Concilia; fed hoc eft falfum: ergo. ℞. N. M. Quamvis coactio Conciliorum non fit abfolute neceffaria, eft tamen multum utilis, ut convincantur protervi, & nullus excipiendi locus ipfis relinquatur: præfertim quoniam *toleratur* fententia, docens, Concilium effe fupra Papam. Dixi: *toleratur*; nam ifta fententia præcife toleratur ut non hæretica; non autem eft probabilis, utpote contrariis fundamentis penitus enervata. Præterea dogma, confentientibus, & decernentibus totius mundi Prælatis, qui vocari, & commode adeffe poffunt, definitum, innotefcit facilius per totum Orbem, & facilior fit ejus executio.

Objic. 7. Jam fæpius a Papa ad Concilium fuit appellatum: ergo Concilium eft fupra Papam; nam appellatio fit ab inferiore ad fuperiorem. ℞. D. a. Fuit aliquoties a Papa ad Concilium appellatum, idque male, injufte, & de facto, non de jure, omnesque hujusmodi appellationes fub pœna excommunicationis funt recte prohibitæ a Calixto III. Pio II. Sixto IV. c. a. fecus n. a. Amabo, vel talis appellatio fit ad Concilium Papæ non unitum? & tunc effet illud illegitimum, ficque appellatio nihil poffet operari: fi autem ad Concilium Papæ unitum? fieret ad ipfum Papam: qualis autem hæc foret appellatio? Non inepte dici poteft, appellationes Catholicorum a Papa olim factas effe ad Concilium, non ut tribunal & judicem; quia factæ erant ad Concilium Papæ unitum: fed ad Papam per Concilium univerfale plenius informandum. Et hujusmodi appellatio videtur ea fuiffe, quam fecit Philippus Pulcher, qui a Bonifacio VIII. appellavit his ferme terminis: *a Sanctiffimo Domino noftro N. minus debite confulto, ad fe ipfum melius confulendum appellamus.* Præterea cum Concilium generale rariffime, & cum fumma difficultate convocetur: ejusmodi appellatio nil aliud eft, quam perditæ caufæ moram & afylum quærere, eludere fententiam, & lites reddere immortales. Adhæc talibus appellantibus poftea foret facile excipere contra Concilium, dicendo: illud non effe legitimum, liberum, a Spiritu S. directum. Exemplum hujus rei habemus in Luthero, qui primo appellavit a Cardinali ad Papam, deinde a Papa male informato ad Papam melius informandum: tum a Papa ad Concilium, & ubi vidit Concilium coactum, ab hoc ad Sacram Scripturam: ab ifta deinde ad inftinctum internum, & fenfum proprium, atque adeo ad fe ipfum.

Objic.

Objic. 8. Concilium Pifanum anno 1409. depofuit duos Pontifices Benedictum XIII. & Gregorium XII. de Papatu contendentes: ergo Concilium eft fupra Pontifices. ℞. D. c. Supra Pontifices dubios, & tempore Schismatis c. c. certos & indubitatos n. c. De talibus incertis Pontificibus tempore Schismatis etiam loquitur Concilium Conftantienfe, dum Seff. 4. & 5. ita dicit: *Concilium generale immediate a Chrifto habere fuam poteftatem, cui quilibet, etiam dignitatis Papalis, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem Schismatis* (nempe tunc exiftentis inter tres Pontifices de Papatu contendentes) *& ad reformationem Ecclefiæ in capite, & membris.* Si autem aliter, & in ampliore fenfu prædicta verba intelligi vellent, non effet Concilium approbatum; nam Seff. 45. Martinus V. folum *determinata in materiis Fidei, & conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo.* Sed Concilium effe fupra Papam, nec eft materia Fidei; alioquin totus ferme Orbis Catholicus, exceptis paucis Gallis, effet hæreticus: neque id eft *conciliariter* decifum, fed mere tumultuarie jam poft difceffum Joannis XXIII. contra hujus voluntatem, cui decifioni aliæ duæ Obedientiæ, fcilicet Gregorii XII. & Benedicti XIII. *apertiffima contradictione fe oppofuerunt, & eorum contradictio fuit acceptata.* Ita Turrecremata, qui Concilio interfuit. Porro Concilium Conftantienfe non repræfentavit Ecclefiam univerfam, nifi quando Reges, Principes, & Prælati Obedientiæ Benedicti XIII. nova facta convocatione Concilii, per fuos Oratores fe unierunt præfatæ Congregationi ad pacem dandam univerfæ Ecclefiæ, quod factum eft Seff. 37.

Infuper Concilium Conftantienfe magis nobis, quam adverfariis favet, quia in ejus approbatione Martinus V. Seff. 45. feu ultima ita pronuntiat: *Papa legitime electus eft fucceffor B. Petri, habens fupremam poteftatem in Ecclefia Dei.*

Nec obtrudas Concilium Bafileenfe; hoc enim quamvis legitime inchoatum fit, tamen brevi tranfiit in Conciliabulum fchismaticum, fathanicum, furiofum, vefanum &c. ut illud vocant SS. Antoninus, Bernardinus, & alii, qui eo tempore vixerunt. Et quando habita eft Seffio 2da. Pontifici tam injuriofa, Concilium jam erat folutum, & translatum Ferrariam, ac inde Florentiam. Quæ poft hanc feffionem 2. acta funt, vel funt acta poft difceffum Legatorum Papæ, vel ab his ex proprio fenfu fine inftructione & ratificatione Papæ, & fic invalide. Nicolaus quidem ad cavenda nova diffidia poftea confirmavit, & ratas habuit Beneficiorum collationes, provifiones, &c. a Conciliabulo Bafileenfi, & Felice V. Antipapa prius invalide conceffas, fed cætera Concilii acta nequaquam approbavit. Item revo-

cavit

cavit censuras & pœnas ab Eugenio inflictas Basileensibus, quia & isti deposita contumacia abrogarunt sua decreta contra authoritatem Pontificiam. Videantur etiam dicta supra de Primatu Petri.

§. V.

Scriptores Ecclesiastici Sæculi XV.

Petrus de Ancharano, & Antonius de Butrio, uterque Bononiensis, & egregius Juris consultus: scripsere ambo in Libros Decretales, & Clementinas: quibus addidit prior Consilia, alter vero Repertorium Juris Canonici.

Joannes Capreolus, Tolosanus, Dominicanus, scripsit Commentarios in quatuor libros Sententiarum.

S. Vincentius Ferrerius, Valentinus, Ordinis Prædicatorum, vir vere Apostolicus, qui multis in locis cum fructu maximo Verbum Dei disseminavit, clarus miraculis mortuus est anno 1418. Sub ejus nomine exstant tres Tomi utilissimarum Concionum: scripsit insuper Tractatum brevem de vita spirituali, plenum optima instructione, ac varias Epistolas.

Franciscus Zabarella, Patavinus, Archiepiscopus Florentinus & Cardinalis, scripsit in Decretales, & Clementinas, nec non de horis Canonicis: scripsit etiam Consilia, & repetitiones varias: item librum de Schismate, in quo tamen multa sunt emendanda, & ideo repositus est in Indice librorum prohibitorum, donec corrigatur.

Petrus ab Alliaco, Archiepiscopus Cameracensis & Cardinalis, obiit anno 1426. Scripsit 1. in quatuor libros sententiarum. 2. De Laude Scripturæ, & Ecclesiæ stabilitate. 3. Quæstiones in Exameron. 4. Paraphrasin in Psalmos. 5. Meditationes in Psalmum 30. & 41mum, & plura alia.

Joannes Gerson, Monachus Cælestinus, Cancellarius Parisiensis, Vir æque doctrina, ac pietate clarissimus, multa scripsit, quæ tribus tomis impressa sunt Argentorati anno 1488. quibus accedit quarta pars: quia autem pleraque sunt opuscula parva, ea singula referre esset nimis prolixum. Hujus tamen Authoris non videtur esse opusculum de Imitatione Christi, licet ei ab aliquibus tribuatur; etenim illud non numeratur inter opera Gersonis in catalogo, quem edidit frater ipsius Gersonis, nec in tomis impressis Argentorati. Imo communiter jam illud adscribitur Thomæ de Kempis, viro valde pio: quamvis nec inter hujus opera numeretur, ut in Joanne Gersone observat Bellarminus. Atque adeo juxta eundem Bellarminum valde

probabile eſt, authorem ejus opuſculi eſſe Joannem quemdam Abbatem de Gerſen, ſive Geſſen, ut habet inſcriptio vetuſtiſſima hujus libri in codice manuſcripto, qui aſſervatur in Monaſterio Aronenſi, quod fuit olim Monachorum S. Benedicti, & nunc eſt domus Novitiatus Societatis Jeſu. Videatur Bellarminus cit. loco. Quod ad me ſpectat, nolo me immiſcere tricis, ab Amortio etiam hac ætate recoctis; id ſolum enuntio: cujuscunque ſit libellus iſte, utiliſſimus eſt, & cum fructu eximio, maxime a Perſonis Religioſis legitur, in omnes fere linguas converſus.

Thomas Valdenſis, Anglus, Ordinis Carmelitarum Prior Provincialis, ſcripſit Opus inſigne, inſcriptum: Doctrinale Fidei antiquæ, tribus tomis diſtinctum. Obiit anno 1430.

Auguſtinus de Roma, Epiſcopus Nazarenus, Ordinis S. Auguſtini, ſcripſit opera plura: quæ támen prohibita reperiuntur in Indice librorum prohibitorum, donec expurgentur.

Paulus de ſancta Maria, relicta perfidia Judaica, in qua erat natus, Epiſcopus Burgenſis creatus eſt: vixit anno 1430. ſcripſit additiones ad Poſtillam Nicolai Lirani, quæ exſtant in ipſo Lirano. Scripſit & Scrutinium ſcripturarum libris duobus.

Joannes Raguſæus Ordinis Prædicatorum in Baſileenſi Concilio Orationem habuit doctiſſimam per octo dies de Communione ſub utraque ſpecie contra Huſſitas, quæ legitur apud Henricum Caniſium tom. 3. antiquæ lectionis, ubi etiam habentur multa alia de hæreſibus Bohemorum.

Henricus Kalteiſen, iterum Dominicanus, in eodem Concilio Baſileenſi diſputavit contra Huſſitas tribus diebus de libera prædicatione Verbi Dei. Hæc diſputatio, vel oratio invenitur apud Henricum Caniſium tom. 4. antiquæ lectionis.

397. S. Bernardinus Senenſis, Franciſcanus, doctrina & miraculis, ac prædicatione Verbi Dei, qua totam Italiam illuſtravit, ac defenſione cultus SS. Nominis JESU contra oblocutores vir clariſſimus, mortuus anno 1443. & jam anno 1450. a Nicolao V. Sanctis ſolemniter adſcriptus, ſcripſit ſequentia.

1. Sermones de tempore. 2. Sermones contra Judæos. 3. Sermones de Sanctis. 4. in Apocalypſin. 5. De Evangelio æterno. 6. De Chriſtiana Religione. 7. De Conceptione B. V. Mariæ. 8. De paſſione Domini. 9. De Virtutibus & vitiis. 10. De fructibus Eleemoſynæ. 11. De triplici ſtatu animæ. 12. De triplici amore Magorum. 13. De ſacrificio Abraham. 14. De veritate. 15. De amore Dei, & animæ. 16. De Spiritu Sancto. 17. De caſibus proprie-

tatis.

tatis. 18. Officium Nominis JESU. 19. De mundana prosperitate. 20. De Pastorali gubernatione. 21. De S. Joseph sponso Virginis. 22. De circumstantiis nationum. 23. De divino amore. 24. De triplici Christi nativitate. 25. De tribus tormentis peccatorum. 26. De obedientia. 27. Defensorium veritatis.

S. Joannes Capistranus, Italus, Franciscanus, S. Bernardini coævus, & amicissimus, laboribus maximis pro Ecclesia perfunctus, & victoria, quam adversus Turcas reportavit, insignis, vir doctrina & pietate maximus, obiit anno 1456. Scripsit autem:

1. De dignitate Ecclesiastica ad Nicolaum V. Papam. 2. De illustranda conscientia. 3. De censuris. 4. De pœnis inferni, & Purgatorii. 5. De pœnis injungendis. 6. De restitutione, & contractibus. 7. De Matrimonio. 8. De Conceptione B. V. Mariæ. 9. De Judicio universali, & Antichristo. 10. De potestate Papæ, & Concilii. 11. De authoritate Concilii, sive Ecclesiæ. 12. Speculum Clericorum. 13. De cupiditate. 14. De Passione Domini. 15. Contra Hussitas. 16. Adversus Joannem Rochesanum, hæreticum Hussitam. 17. Scripsit etiam Epistolas ad varios.

Alphonsus Tostatus, seu Tonstatus, Hispanus, Episcopus Abulensis, vir sanctitate & doctrina insignis, floruit circa annum 1440. Scripsit Commentarios copiosissimos in Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, Libros Regum, & Paralipomenon, & in Evangelium S. Matthæi, in quibus libris resolvit quæstiones innumeras, ut juste de eo scriptum sit: *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.* Et quod magis mirandum, modico temporis intervallo hæc præstitit, cum tantum 40. vixerit annos. Præter hæc scripsit quoque opuscula alia plurima.

Nicolaus Tudescus, Siculus, Catanensis, Ordinis S. Benedicti Abbas, & postea Archiepiscopus Panormitanus, unde vulgo Panormitanus dici solet, tandem S. R. E. Cardinalis, sed in schismate a Felice V. Antipapa creatus, plurima scripsit, quæ tomis 8. continentur in editione Veneta anni 1592. Dicitur etiam scripsisse librum pro Concilio Basileensi: sed hunc librum, utpote in mala causa, proinde erronee scriptum, credibile est, ex ejus operibus fuisse abrasum.

S. Antoninus, Florentinus, Dominicanus, & postea Florentiæ Archiepiscopus, vir doctissimus, & sanctissimus, obiit anno 1459. Scripsit 1. Summam Historialem in tres partes divisam. 2. Summam Theologicam in quatuor partes dissectam. 3. Librum de eruditione Confessorum, qui dicitur a suo principio *Defecerunt.* 4. Dicitur quoque

que ſcripſiſſe Trialogum de Chriſto, & duobus diſcipulis euntibus in Emaus.

Æneas Sylvius, Senenſis, primum a ſecretis Imperatoris, dein Senenſis Epiſcopus, Cardinalis, ac tandem ſummus Pontifex Pius II. mortuus eſt anno 1464. De hoc jam in ſerie Pontificum, & in Concilio Baſileenſi. Scripſit 1. de rebus Eccleſiaſticis contra Thaboritas librum unum. 2. Librum unum ad Nicolaum de Cuſa. 3. De Fide ad Imperatorem Turcarum. 4. De hiſtoria Bohemorum. 5. De clade Conſtantinopolitana. 6. De clade univerſalis Eccleſiæ. 7. Orationem de conventu Mantuano. 8. Orationem ad Calixtum Papam. 9. Orationem ad Cardinales. 10. Epitomen Decatum Blondi. 11. Epiſtolas multas. 12. Libros duos de Concilio Baſileenſi: hos juvenis ſcripſit, ſed ſenex, & Pontifex Maximus revocavit, ut jam dictum eſt. Hinc 13. ſcripſit Revocationem. 14. Commentarios de rebus a ſe geſtis. 15. Reſponſionem ad Martinum Meier pro Eccleſia Romana: & multa alia ad humanitatem, ac Poeſin ſpectantia.

Joannes Baſſolius, Franciſcanus, mortuus anno 1466. ſcripſit in quatuor libros ſententiarum.

398. S. Jacobus Picænus, vel vulgo de Marchia, Franciſcanus, vir ſanctitate & doctrina, laboribus Apoſtolicis & miraculis excellens, ac corpore usque in hodiernum diem a Sæculo XV. in Eccleſia Franciſcana ad Mariam Novam Neapoli incorruptus, ſequentia poſt ſe reliquit ſcripta. 1. De Vita Chriſti. 2. De Conceptione Chriſti 3. De Sanguine Chriſti effuſo. 4. De pœnitentia Peccatorum. 5. Contra Manichæos. 6. Contra Fratricellos. 7. De Confeſſione. 8. Sermones de variis materiis. 9. Sermones de Feſtis. 10. Ad inſtructionem animarum. 11. Sermones quadrageſimales.

Pelbartus de Temes War Franciſcanus, pariter circa illud tempus floruit per Germaniam & Hungariam tam vita religioſiſſima, quam doctrina. Scripſit 1. Aureum S. Theologiæ Roſarium juxta 4. ſententiarum libros in 4. partes diviſum. 2. Sermones Dominicales de tempore, ac de Sanctis. 3. Stellarium Beatæ Virginis. 4. Stellarium coronæ B. Virginis. 5. Quadrageſimale de Pœnitentia. 6. Quadrageſimale de vitiis. 7. Quadrageſimale de Præceptis Decalogi. 8. Commentarios in Pſalmos.

S. Laurentius Juſtinianus, Venetus, Canonicus Regularis, poſtea Epiſcopus & Patriarcha Venetus, illuſtris virtutibus, doctrina, & miraculis, obiit anno 1455. Scripſit libros 15. qui ſic inſcribuntur:

1. Lignum Vitæ. 2. De disciplina Monastica. 3. De connubio Verbi, & Animæ. 4. De humilitate. 5. De spirituali interitu animæ. 6. De triumphali agone Christi. 7. De interiori conflictu. 8. De complanctu Ecclesiæ. 9. De corpore, & sanguine Christi. 10. De vita solitaria. 11. De contemptu mundi. 12. De Sermone Domini in cœna. 13. De officio Pastorali. 14. De obedientia. 15. De gradibus perfectionis.

Hoc etiam sæculo ex Ordine Franciscano doctrina florentes scripsere 1. Ludovicus Heidelbergensis, Germanus, librum Trilogium animæ dictum. 2. Joannes Pelnal Provinciæ Castilianæ Summam conscientiæ. 3. Stephanus Brulifer Gallus scripsit 1. Reportata in libros 4. sententiarum. 2. Librum de SS. Trinitate. 3. Sermones complures de paupertate Christi & Apostolorum. 4. Defensorium Fratrum de Observantia. 5. Declaratorium rerum secundum Scotum, & de valore Missarum.

Bessarion Græcus, Trapezuntinus, Episcopus Nicænus, postea ab Eugenio IV. creatus S. R. E. Cardinalis, vir doctissimus, & piissimus, scripsit 1. Orationem pro unione, prolixam, & doctissimam, quæ exstat græce, & latine sess. 25. Concilii Florentini. 2. Aliam brevem, quæ & ipsa in utraque lingua exstat. 3. Librum adversus Marcum Ephesinum pro defensione Ecclesiæ Romanæ. 4. De verbis consecrationis adversus eundem Marcum. 5. Scripsit de illo Joan. 21. *Si eum volo manere, donec veniam &c.* 6. Scripsit plura alia Philosophica: & libros tres consolatorios ad Imperatorem Græcorum misisse dicitur.

Thomas de Kempis, Belga, Canonicus Regularis, vir magnæ pietatis obiit anno 1471. Multorum opinione scripsit quatuor libros de Imitatione Christi. Verum de authore hujus operis jam est dictum N. 396. in Joanne Gersone.

Scripsit autem 1. Sermones ad Novitios. 2. Sermones ad Fratres. 3. Dialogos Novitiorum. 4. De vita solitaria. 5. De tribus tabernaculis. 6. De vera compunctione. 7. Hortulum Rosarum. 8. Vallem Liliorum. 9. Alphabetum Monachi. 10. Consolationem pauperum. 11. Epitaphium Monachi. 12. Qualis debeat esse Monachus. 13. Manuale parvulorum. 14. Doctrinale Juvenum. 15. De contemptu Mundi. 16. Epistolas ad diversos.

Henricus Harphius Belga, Franciscanus, scripsit 1. De 10. præceptis, quod opus *Speculum aureum* nominavit. 2. De tribus partibus pœnitentiæ. 3. Tractatum de effusione cordis. 4. Directorium aureum contemplativorum. 5. Collationes tres. 6. Sermones quadra-

quadragesimales. 7. de Mystica Theologia libri tres: qui tamen sunt prohibiti, nisi repurgentur ad exemplum Romæ repurgatum, & impressum 1585.

Dionysius Carthusianus Belga, vir sanctissimus, & doctissimus, scripsit in omnes libros divinæ Scripturæ, in quatuor libros sententiarum, & plura alia, quorum catalogus cum Vita ipsius exhibetur post finem libri quarti sententiarum. In libello tamen de quatuor novissimis caute legendus est, ut monet Bellarminus, circa statum animarum in purgatorio existentium.

B. Angelus de Clavasio, Franciscanus, vixit circa annum 1480. tam pie, ut in Ordine Franciscano sui obitus die Officio divino honoretur. Scripsit Summam casuum conscientiæ, quæ Angelica ab Authoris nomine vocatur.

Sæculum XVI.

§. I.

Series Romanorum Pontificum.

399. I. alias 217. Pius III. antea Franciscus Tudeschinus Piccolomineus, Cardinalis Diaconus, creatus anno 1503. 22. Septembris, obiit eodem anno 18. Octobris.

II. alias 218. Julius II. de Savano, antea dictus Julianus Roboreus, seu de Ruvere, Episcopus Cardinalis Ostiensis, & major Pœnitentiarius, creatus anno 1503. 1. Novembris, sedit annis 9. mensibus 3. diebus 21. mortuus anno 1513. 21. Februarii. Approbavit Ordinem Minimorum S. Francisci de Paula. Vide Notas (A) (B) & (C)

III. alias 219. Leo X. Florentinus, antea Joannes Medicus, Laurentii filius, Diaconus Cardinalis creatus anno 1513. 15. Martii, sedit annos 8. menses 8. dies 15. obiit anno 1521. die 1. Decembris. Sanctis adscripsit S. Franciscanum de Paula. Videatur Nota (D)

IV. alias 220. Adrianus VI. Belga Trajecti natus, creatus anno 1522. 9. Januarii, sedit annum 1. menses 8. dies 6. mortuus anno 1523. 14. Septembris. Canonizavit S. Bennonem Episcopum Misnensem. Vide notam (E)

V. alias 221. Clemens VII. Florentinus, de familia Medicea, Archiepiscopus Florentinus, Presbyter Cardinalis, Vicecancellarius, Julius antea dictus, creatus anno 1523. 19. Novembris, sedit annos 10. menses 10. dies 7. mortuus anno 1534. 26. Septembris. Approbavit

bavit Congregationem Theatinorum, & Capucinorum. Vide notam (F)

VI. alias 222. Paulus III. Romanus, Alexander Farnesius antea vocatus, Episcopus Cardinalis Ostiensis, & S. Collegii Decanus, creatus anno 1534. 13. Octobris, sedit annos 15. dies 28. obiit anno 1549. die 10. Novembris. Approbavit Institutum Societatis Jesu.

VII. alias 223. Julius III. de Monte S. Sabini, qui est in Agro Aretino, Joannes Maria de Monte antea dictus, Episcopus Cardinalis Prænestinus, creatus anno 1550. die 8. Februarii, sedit annos 5. mensem 1. dies 16. obiit anno 1555. 23. Martii.

VIII. alias 224. Marcellus II. Italus, natus in oppido Montisfani, quod est in agro Piceno, Cervinus antea dictus, Richardi filius, Presbyter Cardinalis, creatus anno 1555. 9. Aprilis, sedit dies 22. obiit 1. Maji eodem anno. Vide notam (G).

IX. alias 225. Paulus IV. Neapolitanus, Episcopus Theatinus, Joannes Petrus Caraffa antea dictus, Episcopus Cardinalis Ostiensis, & S. Collegii Decanus, creatus anno 1555. 23. Maji, sedit annos 4. menses 2. dies 27. obiit anno 1559. 18. Augusti.

X. alias 226. Pius IV. Mediolanensis, de familia Medicea, Joannes Angelus antea dictus, Bernardini filius, creatus anno 1559. 26. Decembris, sedit annos 5. menses 11. dies 15. mortuus anno 1565. nocte sequente diem 9. Decembris.

XI. alias 227. S. Pius V. in Boschi oppido Derthonensis Diœcesis in Insubria natus, Michael Ghislerius antea dictus, Ordinis S. Dominici, Presbyter Cardinalis, creatus anno 1566. 7. Januarii, sedit annos 6. menses 3. dies 24. obiit sancte anno 1572. 1. Maji. Approbavit Congregationem Fratrum S. Joannis de Deo. Vide Notam (H)

XII. alias 228. Gregorius XIII. Italus Bononiensis, Hugo Boncompagnus antea appellatus, Christophori de Boncompagnis filius, S. R. E. Cardinalis, creatus anno 1572. 13. Maji. sedit annos 12. menses 10. dies 28. mortuus anno 1585. 10. Aprilis. Vide Notam (I)

XIII. alias 229. Sixtus V. de Monte alto Picenus, Felix Perettus antea dictus, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, Presbyter Cardinalis, creatus anno 1585. 24. Aprilis, sedit annis quinque, mensibus 4. diebus 3. obiit anno 1590. 27. Augusti. Sanctis adscripsit S. Fratrem Didacum Franciscanum Regularis Observantiæ.

XIV.

XIV. alias 230. Urbanus VII. Romanus, Joannes Baptiſta Cardinalis Caſtaneus antea dictus, creatus anno 1590. 15. Septembris, ſedit diebus 13. mortuus 27. ejusdem menſis, & anni.

XV. alias 231. Gregorius XIV. Mediolanenſis, Nicolaus Sfondratus antea vocatus, Franciſci filius, Presbyter Cardinalis, creatus anno 1590. 5. Decembris, ſedit menſes 10. ac dies totidem: obiit anno 1591. 15. Octobris.

XVI. alias 232. Innocentius IX. Bononienſis, antea Joannes Antonius Fachinettus dictus, Presbyter Cardinalis, creatus anno 1591. 29. Octobris, ſedit menſibus duobus: obiit 29. Decembris ejusdem anni.

XVII. alias 233. Clemens VIII. Florentinus, antea Hippolytus Aldobrandinus, creatus anno 1592. 30. Januarii, ſedit annos 13. menſem unum, dies tres: obiit anno 1605. 3. Martii. Inter Sanctos ſolemniter poſuit SS. Hiacynthum Polonum, & Raymundum de Pennafort, ambos ex Ordine S. Dominici. Damnavit etiam opera Caroli Molinæi.

§. II.

Notæ Hiſtoricæ.

400. (A) Julius II. Henricum VIII. Regem Angliæ legibus ſolvit diſpenſatione, ut matrimonio ſibi jungeret Catharinam Ferdinandi, & Eliſabethæ Regum Hiſpaniæ filiam, viduam relictam Arthuri fratris ſui, qui nullos ex ea liberos genuit, imo, ut fertur, ob ætatis imbecillitatem, ac lentum, quo conficiebatur, morbum illam non cognovit. Nec id permiſit Pontifex injuria, quod poſtea dixerunt aliqui, ut morem gererent Regi, qui Annæ Bolenæ amore deperibat. Legi enim illi Levitici 18. ℣. 16. quæ vetat fratrem *turpitudinem uxoris fratris ſui revelare*, derogatum eſt per aliam legem Deuteronomii cap. 25. ℣. 5. qua jubetur *frater ſuſcitare ſemen fratris ſui absque liberis mortui.* Utut eſt, præceptum illud numeratur inter præcepta judicialia, quibus Judaicus tantum populus obligabatur, non inter Legis naturæ præcepta immutabilia: alioquin Judas Patriarcha Gen. 38. ℣. 8. non præcepiſſet Onæ filio ſuo, ut uxorem ſibi adjungeret Thamarim viduam ex obitu fratris ſui natu majoris. Itaque Henricus VIII. ipſe matrimonium a ſe initum cum Catharina pro vero, ac legitimo habuit per annos viginti, nec ante ſuſpicari cœpit, eſſe inceſtuoſum, quam ei hujusmodi ſuſpicionem injecit effrænata libido complectendi impudiciſſimam fœminam Annam Bolenam. Nihilominus propediem moriturus

rurſus

rurſus approbavit, tanquam legitimum, matrimonium contractum cum Catharina; ſiquidem hæredem Regni poſt Eduardum teſtamento inſtituit Mariam ex ea ſuſceptam.

Eodem modo poſtea Clemens XI. conceſſit Franciſco Farneſio Parmenſium Duci, ut fratris ſui Eduardi viduam Dorotheam Sophiam Principem Neuburgenſem duceret in matrimonium. Sandini in Vita Annot. 2.

(B) Idem ſummus Pontifex Vaticanam S Petri Baſilicam, a Magno Conſtantino olim ædificatam, vetuſtate ad ruinam tendentem, inſtaurandam ſuſcepit: ad quod opus Julius & ſucceſſores ejus non ſolum publica pecunia uſi, ſed etiam indulgentias largiti ſunt Chriſtianis, quorum ſtipe inchoata moles abſolveretur. Hinc, ut Sandini Annot. 3. ad Vitam hujus Papæ obſervat, cœpit Lutherus oblatrare Indulgentias tanquam quæſtuoſas. Sed immerito. Nam pecunia ad percipiendum fructum Indulgentiarum erogata pertinere ad quæſtum non poterat, quod erogaretur in uſum ædificandæ domus Dei, Eccleſiæ Vaticanæ. Idque præcipiebatur tanquam conditio, & onus ad impetrandam liberationem pœnæ *Canonicæ* debitæ peccatis, juxta illud Danielis c. 4. ℣. 24. ad Nabuchodonoſorem: *Peccata tua eleemoſynis redime.* Si quid autem peccatum eſt vel malitia eorum, qui Indulgentiam promulgabant, vel eorum, qui ſubſidium ſeu pecuniam exigebant, id miniſtris, non Pontificibus, vitio vertendum. Nec vero morem hunc Julius II. & Leo X. primi induxerunt: alii ante eos Romani Pontifices Indulgentias hujusmodi largiti ſunt, Nicolaus V. ad ædificandam Eccleſiam S. Petri Urbis Xantonenſis in Gallia, Sixtus IV. aliique tum ad hæreticos exterminandos, tum ad impetus Turcarum propulſandos, referente Raynaldo ad annum 1451. §. 9. & ad annum 1476. §. 6. Nulla tamen fuit de harum Indulgentiarum conceſſione querela. Lutherus omnium primus nodum quæſivit in ſcirpo, & ex re ſanctiſſima occaſionem obtrectandi, homo ad id natura comparatus, arripuit.

Quæ de Concilio ſub hoc Pontifice celebrato notanda ſunt, inferius de Conciliis dicentur.

(C) Labem, quam Julio II. imponunt aliqui propter bella, quæ magno animi ardore ſuſcepit, urſitque præſentia ſua, abſterget Bellarminus de poteſtate ſum. Pont. in rebus temporalibus adverſus Barclajum cap. 11. " Admonitos Lectores eſſe volo, Romanos Pon„tifices, qui ſimul etiam Principes ſunt temporales non contemnen„di

„di Imperii, non minus ex officio obligari ad ea conservanda, quæ Se-„dis Apostolicæ, sive Ecclesiæ Romanæ sunt, quam Principes cæ-„teros. Quare quemadmodum Reges, & Principes supremi cæte-„ri pro defensione Regnorum suorum, sive ditionum aliarum bella „gerere possunt, & debent, & si ad ea defendenda confœderatione „cum aliis Principibus opus habent, jure possunt cum sociis Prin-„cipibus fœdus inire, & conjunctis viribus hostem propulsare, „quando justam belli gerendi causam habent: sic etiam Romani „Pontifices, qua Principes supremi sunt, omni jure possunt, & „debent populos sibi creditos armis protegere, & si res ita postu-„let, adversus hostes bella gerere, nec non ad auxilium, vel belli „societatem Principes alios evocare.

„Neque primus fuit Julius II. qui pro recuperandis Eccle-„siæ Romanæ provinciis bella gessit, vel cum magnis Principibus „fœdus percussit. Nam Pius II. multo antea exercitum armatum „habuit, & bella cum hostibus cum laude gessit, ut Nauclerus „& Platina referunt, & ante Pii II. tempora Innocentius VI. vir „prudentia, & vitæ innocentia clarus, per Legatum suum Alber-„notium Cardinalem Ecclesiasticam ditionem a tyrannis diversis „occupatam felicissime armis recuperavit, ut scribunt iidem Nau-„clerus, & Platina, multique alii Historici. Clemens IV. qui „Innocentium VI. multis annis præcessit, & Pontifex sanctus est „habitus, Carolum Andegavensem Ducem, S. Ludovici Regis „Francorum fratrem e Galliis evocavit, ut Manfredum tyran-„num e Regno Neapolitano, quod est Ecclesiæ Romanæ feu-„dum, armis expelleret, ipsumque Carolum Regem instituit, „imposita quadraginta millia nummorum aureorum pensione quot-„annis solvenda in recognitionem feudi: testes sunt Authores ii-„dem, & alii, quos ipsi citant.

„Sed ante hæc tempora Leo IX. Pontifex non solum vitæ „probitate, sed etiam divinis miraculis clarus, atque adeo in „Sanctorum numerum relatus, adversus Normannos pro Bene-„ventana Civitate recuperanda præsens ipse in exercitu armis de-„certavit, ut Hermannus contractus in Chronico, & Leo Osti-„ensis in Histor. Casinensi lib. 2. c. 88. testes sunt. Ubi illud me-„morabile accidit, quod cum Pontifex a Normannis victus, & „captus fuisset, ea submissione & reverentia victores erga victum „usi sunt, ut Pontifex victus & captus victoribus imperare, ac „dominari videretur.

„ Porro Leo IV. Pontifex plus ducentis annis Leone IX. an-
„ tiquior, vir ſanctiſſimus & miraculis clarus, teſte Anaſtaſio in ejus
„ vita, exercitum duxit adverſus Saracenos, qui ad Oſtia Tiberina
„ cum ingenti claſſe appulſi, Romanam urbem capere & ſpoliare cu-
„ piebant: & oratione præmiſſa ad Deum, & exercitu Apoſtolica
„ benedictione munito, memorabilem victoriam reportavit. Omit-
„ to confœderationem Zachariæ, Stephani II., Hadriani, Leonis III.
„ aliorumque Pontificum cum Regibus Francorum pro recuperatio-
„ ne, & defenſione provinciarum & civitatum, quæ ad Romanam
„ Eccleſiam pertinebant, adverſus Longobardos & Græcos. Omit-
„ to etiam fortiſſimos Machabæos, qui & ſummi Sacerdotes & Prin-
„ cipes erant, & pro patriæ defenſione graviſſima bella geſſerunt.
„ Omitto denique Moſem Pontificem & Principem ſapientiſſimum,
„ qui adverſus Amorrhæos, aliosque populi ſui perturbatores armis
„ decertare non dubitavit.

„ Hos igitur clariſſimos, ſacrosque viros Julius II. imitatus,
„ eorumque virtutem & diligentiam æmulatus, partim armis propriis,
„ partim auxilio fœderatorum Regum Eccleſiaſticam ditionem fere to-
„ tam amiſſam magno labore recuperavit. Quod factum qui repre-
„ hendere voluerit, oportebit etiam, ut induſtriam & virtutem ſan-
„ ctorum Pontificum, addo etiam Machabæorum, & ipſius Moſis
„ virtutem bellicam reprehendat." Hucuſque Bellarminus cit. lo-
co, prout eum refert Sandini in Vita hujus Pontificis annot. 7. pag.
733. unde hæc ad tuendum honorem tanti Pontificis excerpſi.

(D) Leo X. præter multa alia præclare præſtita, 1. edixit, eos qui ſacrificio Miſſæ adeſſent in Eccleſiis Ordinum Mendicantium, ſatisfacere præcepto de Miſſa audienda diebus feſtis. 2. Martinum Lutherum, erroresque ejus damnavit, juſſitque libros ea peſte infe-ctos comburi. 3. Henricum VIII. Angliæ Regem, quod luculentum opus contra ejusdem Lutheri inſaniam vulgaſſet, eximio *Fidei Defen-ſoris* titulo decoravit. Quippe Henricus VIII. librum edidit *de ſeptem Sacramentis*, pietatis juxta, atque eruditionis refertum, oppoſuitque Lutheri libro *de captivitate Babylonica*, & per Oratorem ſuum Romæ degentem Leoni X. obtulit hoc diſticho:

Anglorum Rex Henricus, Leo decime, mittit
Hoc opus, & Fidei teſtem, & amicitiæ.

Cum autem conſpiceret Leo, ut ait Ciaconius in ejus vita, *a Lu-thero primum damnatas eſſe Indulgentias, conceſſit legentibus librum Henrici Regis decem annorum, & decem quadragenarum Indulgentiam.*

(E) Adrianus VI. Carolum V. cujus fuerat Præceptor, & Franciſcum I. Galliæ Regem reducere in concordiam ſtuduit. Ludovico Hungarorum Regi ſuppetias tulit adverſus Turcas. Vetuit reos excipi Cardinalium ædibus. Lutheranæ hæreſi extinguendæ operam dedit, miſſo eam ob rem Franciſco Cheregato Vicentino Fabriani Epiſcopo cum mandatis ad conventum Norimbergenſem: datisque ad Federicum Saxoniæ Ducem literis ſuaſit, ut avitæ pietatis memor Martinum Lutherum desereret, & ad Fidem orthodoxam rediret. Idem Sacerdotes ex familia S. Franciſci legavit in novum Orbem, qui rudes & barbaras gentes ſacroſanctis myſteriis imbuerent. Antoninum Antiſtitem Florentinorum, ac Bennonem Miſnenſium Epiſcopum aggregavit in Sanctorum numerum. Sigismundum Malateſtam Arimino expulit. Franciſcum Cardinalem Soderinum convictum proditionis incluſit in cuſtodiam arcis Hadrianæ. Quam vero in Sacerdotiis & Eccleſiaſticis dignitatibus conferendis cautus fuerit ac religioſus, oſtendit illa ſæpiſſime ab eo uſurpata vox: *Eccleſias Sacerdotibus, non Sacerdotes Eccleſiis ſe ornare velle.* Suis minime deditus, cum Romam ſpe celſioris fortunæ veniſſent, modico viatico donatos remiſit in Patriam. Nepotem etiam caſtigavit acerbiſſime, quod, cum accepiſſet Sacerdotium annui cenſus ſeptuaginta Ducalium aureorum, paulo poſt aliud, ex quo centena redibant, petere auſus eſſet. Tandem urgentibus aſſidue aulicorum obteſtationibus, Sacerdotium in eum contulit, ita tamen, ut priore ſe abdicaret. Jus legendi ac nominandi Epiſcopos a Leone X. Gallorum Regibus datum, etiam ad Hiſpaniarum Reges extendit. Hujus etiam tempore ab Suleimanno capta Rhodus Inſula. Ita ſcribit Sandini in vita hujus Pontificis.

Hic diluenda etiam eſt objectio, quam Ludovicus Vincentius Gotti ex adverſario adducit, quod Hadrianus VI. in 4. Sent. de Confirmatione ſub finem ſcripſerit: *plures Romani Pontifices fuerunt hæretici.* Verum ita refellitur, eam opinionem nimirum habuiſſe Hadrianum, antequam Pontifex fieret, cum eſſet Theologus Lovanienſis. Quod ſi ejus opera, verbis illis haud exploſis, rurſus eodem Pontificatum gerente typis ſunt impreſſa, exinde non ſequitur, quod factus Pontifex opinionem illam ratam habuerit; quoties enim opus aliquod novis typis excuditur authore inſciente? Vide Bellarminum de Rom. Pont. l. 4. c. 2. & Canum l. 6. c. 1.

(F) Clemens VII. a Carolo V. multa dura habuit perferenda. Carolus enim a Papa offenſus eidem indixit bellum, cui initium fecerant Columnenſes, infeſtiſſima Pontificibus familia, qui cum Hugone

gone Moncata Regni Neapolitani Prorege, haud exiguis militum copiis stipati, Urbem mane summo ingressi, ædes Pontificis nihil tale opinantis invadunt, diripiuntque. Id omen pertinuisse arbitror ad captæ deinde Urbis Romanæ, quod paulo post accidit, cladem. Nam Carolus Borbonius in Italiam a Carolo V. missus exercitu Romæ admoto Urbem, spreta induciarum fide, obsedit, captamque, dum inter primos conscendit muros, globulo plumbeo in femur ad inguina ictus & occisus, militibus, Lutheranis plerisque, fœde diripiendam relinquit. Clementem in arce Hadriani, quo se receperat, obsessum Philibertus Arausicanus in locum Borbonii succedens compellit ad deditionem durissimis conditionibus, ac tamdiu habet in custodia, quoad omnes impleat. Post menses septem Clemens sibi timens ab astu Hispanorum, mentita veste, simulatoque mercatoris habitu arce egressus confugit Urbem Veterem. Dein redintegrata cum Carolo V. amicitia, Imperii coronam ei Bononiæ imponit solemni ritu, receptæque ejusdem auxilio Florentiæ Alexandrum pronepotem suum, uti convenerat, Ducem præficit.

Exinde multo gravius fuit Clementi negotium cum Henrico VIII. Rege Anglorum, qui Annæ Bolenæ illecebris captus enixe petit, ut jubeat conjugium suum cum Catharina Regum Catholicorum Ferdinandi atque Elisabethæ filia, & Caroli V. Cæsaris matertera esse irritum. Non annuit Clemens, imo causam Romæ cognoscendam suscepit, utque Regi amore furenti tempus esset ad resipiscendum, sententiam prorogavit ad triennium: sed vana omnino spe. Namque incestæ Henrici cum Bolena nuptiæ, ac pervicax ejus adversus Apostolicam authoritatem contumacia a Pontifice extorquent anathema, ni intra mensem Catharinam uxorem legitimam recipiat, ejecta Bolena pellice. Adeo Clemens in id præsertim studuit, ut Henricus ad officium redire, & Pontificiæ sententiæ obtemperare commode posset. Tanta Rex clementia non modo non avocatus ab incepto, sed in summum Pontificem exacerbatus supra modum, *Ordinum Angliæ decreto* (Thuanus Historiarum sui temporis lib. 1. §. 16. pag. 31. & 32.) *authoritatem Pontificiam per regnum abrogat, tributum annuum jam ab Inæ temporibus pendi solitum denegat, pœnam capitis constituit, si quis supremam potestatem Pontifici adscribat: postremo Ecclesiasticos tam Angliæ, quam Hiberniæ sacramento adigit, ut se tanquam Ecclesiæ caput a Christo proximum agnoscant.* Hæc Sandini: quibus ex mente Alexandri Natalis, non ex mea, & verbis ipsius eruditionis causa adjungo sequentia ex ejusdem Hist. Eccles. Sæculo XV. & XVI. Art. 15. ita sonant:

„ Apud eos, qui ex eventu facta metiuntur, imprudentiæ „ notam incurrit Clemens VII. judiciique præcipitis insimulatus est, „ quod paucis post latam sententiam diebus Romæ redditæ sint Hen- „ rici literæ, quibus Pontificis judicio se pariturum pollicebatur, „ modo Fidelium communione minime submoveretur, & a causæ co- „ gnitione excluderentur homines sibi suspecti, & Commissarii sibi „ non infensi Cameracum delegarentur, ea excepturi, quæ pro sua „ causa proferre cupiebat. Qui post menses unum & viginti conti- „ git Catharinæ Reginæ obitus, opinionem auxit, quod Pontifex ni- „ mia festinatione sententiam tulisset. Ea siquidem morte, si res in- „ tegræ fuissent, finita controversia fuisset, cujus, inquiunt, præpro- „ perum judicium Regem, Regnumque in schismatis voraginem sub- „ mersit. Malum quidem illud Angliæ, quam Romanæ Ecclesiæ lon- „ ge funestius, Clemens divinare non potuit, quem excusat Pallavi- „ cinus Cardinalis lib. 3. Hist. Conc. Trid. cap. 15. Sed etsi forte „ peccasset Clemens in præclaram illam S. Augustini regulam l. 3. con- „ tra Parmenianum cap. 2. *Cum quisque fratrum, id est, Christianorum in-* „ *tus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit depreben-* „ *sus, ut anathemate dignus babeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nul-* „ *lum est:* Nihil tamen contra æquitatem peccasse dici posset, cum „ Regis indomita libido, despecta matrimonii religio, abjecta reve- „ rentia in Ecclesiæ caput pœnam anathematis mererentur.“ De ge- stis Clementis VII. hac in causa legendus Sanderus lib. 1. de Schisma- te Anglicano.

(G) De Marcello II. ut refert Sandini Annotat. 1. ad vitam hujus Pontificis, Natalis Alexander in Hist. Eccles. Sæc. XV. & XVI. c. 1. Art. 17. sequentia habet: „ Marcello vitio vertit P. Suavis ma- „ gnam quamdam genethliacæ artis fiduciam, qua sibi summum Pon- „ tificatum, de eo palam locutus, & in ipso postea diuturnitatem, „ rerumque, quas apud se digesserat, successum spopondisset; in „ quibus ab inopinato vitæ exitu illico se delusum agnoverit. Sed „ Suavem mendacii convincit Cardinalis Pallavicinus l. 13. Hist. Conc. „ Trid. c. 11. *tum* ex Marcelli vita ante acta, quæ summis Christianæ „ Reipublicæ impensa negotiis, in quolibet curriculi sui vestigio „ nonnisi prudentiam, maturitatem, animique soliditatem ostendit: „ & quod in Narrationibus de brevi ipsius Pontificatu editis, ne una „ quidem vocula deprehendatur, quæ hanc laudem offuscet: *tum* ex „ epistola Seripandi Salernitani Archiepiscopi ad Camajanum Fesula- „ num Episcopum 9. Maji anno 1555. data. In ea epistola is narrat, „ cum sæpius intento animo res a *Cervino* gestas recoluisset, hanc se-

„ cum

„ cum ratiocinationem habuisse: Si Cervinus ad Pontificatum aspira-
„ bat, & simul ita se gerebat, omnium mortalium hebetissimus erat:
„ si apicem illum ascendere hic curabat studio virtutis, non tam ho-
„ mo erat, quam Angelus humana specie indutus. Illi nimirum ea
„ ætate quadrabat, quod olim de Catone dicebatur: *O te felicem Mar-*
„ *ce Porci, a quo nemo audet quidquam inhonestum petere!* Atqui post longis-
„ simam cum Cervino familiaritatem, quo pacto potuisset ita ratioci-
„ nari Seripandus, si palam ille, ut pro certo Suavis assumit, per
„ Astrologicas observationes Pontificatum sibi prædixisset? Denique
„ Suavis calumniam refellunt Scriptores illustres, qui Marcelli II. san-
„ ctitatem prædicant."

(H) Pius V. confirmavit decreta Sixti IV. atque Synodi Tridentinæ de Conceptione B. Mariæ Virginis, *liberam cuique facultatem relinquens opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile judicaret.* Constitut. 114. §. 1. Postea Paulus V. Constitut. 105. §. 2. vetuit, ne quis in publicis seu scriptis, seu sermonibus affirmare auderet, Deiparam *Virginem fuisse conceptam cum peccato originali:* quod successor ejus Gregorius XV. Constitut. 29. §. 2, ne in privatis quidem disputationibus affirmari voluit. Idem tamen §. 10. permisit viris ex familia S. Dominici, *ut in privatis colloquiis, seu conferentiis inter se duntaxat, & non inter alios de materia ejusdem Conceptionis B. Mariæ Virginis dissererent.*

(I) Tempore hujus Pontificis, ut habet Cardinalis Lambertinus de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 26. num. 2. „ De S. Felicis II. meritis disceptabatur, & Cardinalis quidem
„ Baronius stabat contra Felicem, pro Felice vero stabat Cardinalis
„ Sanctorius. Paratæ erant pro, & contra Scripturæ: at cum anno
„ 1582. pridie ejus diei, quo in Ecclesia recolitur natalis dies ejus-
„ dem, in Diaconia Sanctorum Cosmæ & Damiani, in Foro ad tem-
„ plum pacis posita, inventum fuerit ejusdem S. Felicis corpus una
„ cum lapideo laterculo hisce literis exarato: *Corpus Sancti Felicis Pa-*
„ *pæ, & Martyris, qui damnavit Constantium:* Cardinalis Baronius ad-
„ miratione perculsus stilum modestia Christiana repressit, quem Ze-
„ lo veritatis acuerat; inventisque subinde Liberii literis de inita ad
„ tempus communicatione cum Arianis, Summus Pontifex Gregorius
„ accessit sententiæ Cardinalis Sanctorii, & nomen Felicis in Marty-
„ rologio Romano tanquam Martyris descriptum fuit ad diem 29. Ju-
„ nii. Rei series describitur a Cardinali Baronio ad annum 357. num.
„ 63. & seqq. nec de Felicis Sanctitate & Martyrio ulla amplius su-
„ perest dubitatio, cum tantum inter Eruditos disceptetur, utrum
„ Martyr

„ Martyr fuerit, eo quia gladio necatus eſt, an eo quia multa pro „ Chriſto pertulerit, uti videri poteſt apud Pagi ſeniorem ad annum „ Chriſti 357. num. 17, apud Juniorem in Vita ejusdem S. Felicis II. „ num. 2. & in Reſponſione Patris Papebrochii erroribus ſibi oppoſitis „ a Patre Sebaſtiano a S. Paulo, in Reſponſionibus ad Art. 11. §. 16.

§. III.

Hæreſes hujus Sæculi.

401. I. Lutherus nomine Martinus, ut eum deſcribit Joannes Sianda Abbas Ordinis Ciſtercienſis in ſuo Lexico Polemico, „ na„ tione Saxo, patria Islebienſis, in ditione Comitum Mansfelden„ ſium anno 1483. progenitus: nonnulli dixere ab incubo dæmone „ natum. Quidquid ſit hac de re, cum diabolo ſe multum habuiſſe „ commercium, ſatis cognitum habuiſſe diabolum, & cum ipſo dia„ bolo non parum ſalis comediſſe, confitetur in ſcriptis ſuis ipſe Lu„ therus, qui cum cognomento eſſet *Lotter*, quæ vox infame quid „ ſonat lingua Germanica, voluit *Luther* impôſterum vocari; *Luther* „ enim Germanice *Purum* ſignificat. Acri fuit ingenio, quapropter in ſtu„ diis ſuis valde profecit. Magiſter artium vocatus anno ætatis ſuæ „ vigeſimo, in utroque jure eruditus evaſit. Voto ingrediendi Re„ ligionem cum ſe obſtrinxiſſet, ſocium ſuum quadam die ſecum in „ agro deambulantem, a fulminis ictu occiſum conſpiciens, reddidit „ ſtatim votum ſuum in civitate Erphordiæ, anno ætatis 22. Poſt„ modum Sacerdotio initiatus ætatis 24. deinde Witembergam ad Al„ bim miſſus, ibi Philoſophiam Religioſos ſui Ordinis docuit: pau„ cis ab hinc annis Theologiæ lauream adeptus, ingenii ſui arrogan„ tia commotus, cœpit palam ſanctos Doctores inficiari, quaſi incul„ tos in modo dicendi, deinde tanquam Evangelii corruptores diffa„ mavit. Mox occaſione arrepta contra Prædicatores Indulgentia„ rum, Witembergæ nonaginta quinque concluſiones promulgavit, „ quibus avertebat Fidelium animos ab acquirendis Indulgentiis; re„ vocans in dubium, an Pontifex haberet poteſtatem concedendi in„ dulgentias, & paulatim fere omnia fidei dogmata evertere cura„ vit. Interim cum non parvos in impietate ſua faceret progreſſus, „ malo naſcenti occurrere ſtuduit Pontifex, & facto a Pontifice man„ dato Cardinali Cajetano, ut Lutheri cauſam exciperet, a Cardinali „ ad Pontificem, a Pontifice ad futurum Concilium appellavit Lu„ therus, in ſua impietate jam obduratus, majorique audacia in Pon„ tificem, & Orthodoxos cœpit debacchari; proinde damnatus ab

„ Academiis

„ Academiis Pariſienſi, & Colonienſi, & a Leone ſummo Pontifice.
„ Sed nil inde ad meliorem frugem revocatus, imo in deterius lapſus,
„ plura ſcripſit, præcipue contra Miſſæ Sacrificium; & anno 1524.
„ ætatis ſuæ quadrageſimo primo, habitum regularem depoſuit, ad
„ quod facinus perpetrandum Regulares omnes hortabatur, inceſtuo-
„ ſis nuptiis contractis. Poſtmodum a Paulo III. ſolicitatus ad con-
„ verſionem, renuit miſericordiæ januas, ſibi ab Eccleſia expanſas
„ ingredi, ſed vehementius editis ſeditioſis libris, non tam Sacerdo-
„ tium, quam Imperium ſtuduit totis viribus exagitare. Tandem an-
„ no 1546. moritur Islebii patria ſua, poſtquam ſucceſſoribus ſuis
„ omnia hæreticæ pravitatis arcana aperuiſſet, quæ ſparſa habentur
„ in operibus ſuis.“

Ejus errores præcipui ſunt: 1. In Indulgentias, ceu ſacrilegos abuſus inſurrexit. 2. Summorum Pontificum, Conciliorum, & SS. Patrum authoritatem impugnavit. 3. Sacramenta mutilavit. 4. Liberum arbitrium negavit. 5. Negat, Eccleſiam cum S. Pontifice eſſe judicem infallibilem Controverſiarum Fidei: contra ſtatuit, quod Princeps ſæcularis habeat de doctrina Religionis poteſtatem judicandi, & decidendi, imo & internum ſpiritus privati teſtimonium eſſe judicem infallibilem controverſiarum Fidei. 6. Negat, admittendas eſſe Traditiones divinas. 7. Negat Purgatorium. 8. Negat, mandata Dei ſervatu nobis eſſe poſſibilia. 9. Rejicit cultum, qui Sanctis tribuitur, & Sanctorum Imaginibus, ac Reliquiis. 10. Docet, peccatum originale, quod ab Adamo contrahitur, conſiſtere in concupiſcentia, ſeu in prava inclinatione ad malum. 11. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtere in uſu & ſumptione, & in hac fieri præſens Corpus Chriſti. 12. Aſſerit, Fidem ſolam juſtificare: & id genus plura, quæ per decurſum Theologiæ refellentur.

Lutherani varie dividuntur: alii ſunt *molles*, alii *rigidi*: priores ſunt, qui non ſequuntur ad apicem literæ doctrinam Lutheri: poſteriores, qui in toto rigore Lutheri doctrinæ adhærent. Sed tales moderno tempore pauci reperientur: ſcribo hoc experientia certus, utpote in Lutheraniſmi medio, ſed a Catholicis parentibus, natus, & educatus. Imo crediderim, hos inter Sectarios tot ferme ſectas eſſe, quot capita; quilibet enim Fidem ſibi ſecundum ſuam Phantaſiam fingit. Hinc exorti ſunt *Antinomi*, *Infernales*, *Antidæmoniaci*, *Amsdorphiani*, *Antidiaphoriſtæ*, *Inviſibiles*, *Bibliſtæ*, *Adiaphoriſtæ*, *Triſacramentales*, *Quadriſacramentales*, *Oſiandrini*, *Semioſiandrini*, *Antioſiandrini*, *Majoriſtæ*, *Pœnitentiarii*, *Swenchfeldiani*, *Antiſwenchfeldiani*, *Stancariani*, *Antiſtancariani*, *Sincretizantes*, & plures alii, quos omnes

ſub propriis nominibus, eorumque errores refutatos videre potes apud cit. Sianda in ſuo Lexico Polemico. Præcipua tamen ſecta Lutheranorum videtur eſſe illa *Anabaptiſtarum*, qui ultra errores Lutheri docent, parvulos non eſſe baptizandos, aut ſi baptizati fuerint, iterum eſſe rebaptizandos, dum ad annos diſcretionis pervenerint.

II. *Calviniſtæ* a Joanne Calvino, qui errores Lutheri recoxit, ipſisque plures alios addidit circa Prædeſtinationem, Liberum arbitrium, Juſtificationem, bona opera, & Miſſæ Sacrificium, quod & Lutherus impugnavit.

III. *Zwinglianiſtæ*, vel *Zwingliani* ſic dicti ab Udalrico Zwinglio Canonico Helveto, qui profeſſionis Clericalis ob annexum cœlibatum pertæſus, vendito beneficio, ſub titulo Lutheranæ doctrinæ amplexandæ uxorem duxit. Sed cum Lutheri dogmata in omnibus non placerent, novam ipſe Sectam cudere cœpit, cujus errores præcipui ſunt: 1. Negavit Indulgentias. 2. Errores Pelagii, & Neſtorii reſuſcitavit. 3. Affirmavit, in Baptiſmo non eſſe neceſſariam certam verborum formam. 4. Docuit, Baptiſmum Joannis eſſe Baptiſmum Chriſti, & eosdem effectus contuliſſe. 5. Aſſeruit, in Euchariſtia eſſe merum panem, & non dari, ſed tantum ſignificari corpus Chriſti. 6. Dixit, parvulos decedentes absque Baptiſmo non privari beatitudine, eoquod per Chriſtum univerſa natura humana ita ſit reparata, ut tam filii fidelium, quam infidelium ſalventur.

IV. *Sociniani* a Lællio Socino Patruo, & Fauſto Socino nepote, utroque Senenſi, exorti ſunt. Hi univerſam fere Theologiam corruperunt. Quadraginta unum errores Sianda numerat, paucos ſolum hic do: 1. Reprobarunt vetus Teſtamentum. 2. Dixerunt in SS. Trinitate tantum unam eſſe Perſonam, inde Anti-Trinitarii dicti. 3. Chriſtum eſſe purum hominem. 4. Non dari peccatum originale. 5 Euchariſtiam eſſe meram Ceremoniam, in commemorationem mortis Chriſti inſtitutam. 6. Negant, Deum eſſe infinitum in omni genere perfectionis: & reliqua apud Siandam tom. 3. videnda.

§. IV.

Concilia generalia, & Scriptores.

402. I. Concilium *Lateranenſe V.* eſt hac occaſione congregatum: Anno 1521. aliqui Cardinales adverſus Julium II. Conciliabulum Piſis congregarunt, eo nempe prætextu, quod Julius non ſtaret juramento in ſua electione præſtito de generali Concilio convocando intra primum a ſua conſecratione biennium. Hoc cum Julio dolenti innotuiſſet,

notuisset, ad subito medendum nascentis Schismatis malo, & mores Ecclesiæ reformandos, & expeditionem contra Turcas promovendam, convocavit Concilium Romæ in Laterano celebrandum anno 1512. imperante Maximiliano. Ad hoc Concilium vocati sunt omnes undique Prælati: sed ei adfuere 114. solum, inter quos fuere Cardinales 18. Patriarchæ Orientales 2. Antiochenus, & Alexandrinus, cum pluribas aliis Doctoribus, & Ordinum Generalibus, quibus præsedit ipse Julius II. ad quartam usque Sessionem, ipso vero ad mortem ægrotante quintæ præfuit Raphael Cardinalis Episcopus Ostiensis, reliquis Leo X. recenter electus.

Gesta hujus Synodi sunt: 1. Conciliabulum Pisanum fuit reprobatum. 2. Lecta fuit Bulla pro Pragmaticæ Sanctionis abrogatione, de qua inferius. 3. Actum est de pace inter Christianos componenda. 4. Montes Pietatis fuerunt approbati. 5. Pragmaticæ Sanctionis abrogatio, & pacta inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliæ concordata sunt publicata. 6. Tandem Sessionibus 12. absolutum est Concilium, & a Leone X. peculiari diplomate confirmatum.

Istud Concilium dicitur in Gallia non reputari approbatum, quia Senatus, & Academia Parisiensis, approbante Clero Gallicano, appellationem ab isto Concilio ad futurum generale interposuerunt propter abrogatam Pragmaticam Sanctionem, & substituta in illius locum Concordata, quæ nuper Bononiæ inter Leonem X. & Franciscum I. inita erant. In aliis vero Regionibus hoc Concilium omnino œcumenicum habetur: cum nihil, quod requiritur, vel in convocatione, celebratione, fine, & approbatione desit; licet enim plures non adfuerint Episcopi, fuerunt tamen vocati omnes.

II. Concilium *Tridentinum*, seu ultimum Generale, a Paulo III. ad damnandos errores Lutheri, Calvini, & sequacium Novatorum, atque ad reformandam Ecclesiam fuit indictum primo Mantuæ, deinde Vicentiæ, demum Tridenti, ubi anno 1545. usque ad annum 1563. sub tribus Romanis Pontificibus Paulo III. Julio III. & Pio IV. celebratum est tempore Caroli V. & Ferdinandi I. atque 25. Sessionibus finitum. 403.

Plurima in hac Synodo circa Fidem, mores, & disciplinam fuerunt tradita, definita, & decisa, quæ cum ferme ubique singulorum manibus terantur, hic non indigent prolixiore allegatione. Neque est dubium, hanc Synodum esse œcumenicam, cum nihil ipsi desit. Est etiam in Gallia recepta secundum decreta Fidei & morum,

exceptis quibusdam decretis, & constitutionibus disciplinam tangentibus, ex veterum Canonum præscripto apud Gallos solitis, & usitatis.

Licet præterea in primis Sessionibus pauci adfuerint Præsules, omnes tamen Sessiones in ultima sunt lectæ, atque ab omnibus approbatæ, & subscriptæ; dicitur enim Sess. 25. *Quoniam diversis temporibus tam sub fel. recordationis Paulo III. quam Julio III. multa in hoc S. Concilio quoad dogmata, & morum reformationem statuta, & definita sunt, vult S. Synodus, ut illa nunc recitentur, & legantur.* Et infra: *recitata sunt.* Proinde & omnia communi consensu recepta sunt.

404. Hic & aliqua sunt notanda de Sanctione Pragmatica in Concilio Lateranensi abolita, de qua Sandini in Vita Julii II. annot. 6. pag. 731. & seq. hæc refert: „Pragmatica Sanctio abrogata, & in locum ejus substitutum Concordatum Gallicum initum Bononiæ inter Leonem X & Franciscum I. In Constitutione Leonis, qua Concilio approbante damnatur Pragmatica Sanctio, apud Labbeum tom. 14. Conc. pag. 311 legitur: *solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere.*

„Porro Sanctio Pragmatica, seu Carolina nihil est aliud, quam celebris illa constitutio in Concilio Bituricensi sub Carolo VII. Gallorum Rege anno 1438. ex decretis fere Pseudosynodi Basileensis conflata, inque tres & viginti Titulos divisa. Præponit authoritatem Concilii authoritati Pontificis. Electiones Episcoporum, quas sibi Pontifices reservarant, Canonicorum Collegiis restituit. *Expectativis præterea gratiis*, ut ait Gaguinus lib. 10. de Gestis Regum Francorum pag. 226. *locum esse non sinit. Beneficia vivo eorum rectore nemini reservari* permittit, aliaque statuit injuriosa in Sedem Apostolicam. Itaque Romani Pontifices *regiam constitutionem*, ut ait idem Gaguinus pag. 228. *non secus, ac perniciosam hæresim execrati*, egerunt cum Regibus Galliæ, ut abrogaretur, certatumque super ea re per annos amplius Septuaginta. Anno demum 1516. per *Concordatum* inter Leonem X. & Franciscum I. quod modo nominavi, controversia sedata est, iterumque Electiones Collegiis Canonicorum abrogatæ, nominatione Episcoporum delata Regi, confirmatione Pontifici. Pragmaticæ statuta cætera partim abolita, partim omissa, partim correcta, partim approbata, ut est apud Petrum de Marca lib. 6. de Concordia cap. 9. §. 13. & Dupinum in Nova Bibliotheca Author. Ecclesiasticor. tom. 13. cap. 1. §. 8. pag. 22."

Scriptorum

Scriptorum in hoc ſæculo floruit ingens multitudo, quos omnes recenſere nec volo, nec poſſum: ſed neque neceſſarium judico; quia hiſce temporibus ſcribentibus nulla opera ſunt ſuppoſita, ut vera a ſpuriis decerni deberent. Hinc aliquorum tantum nomina adducere eſt animus. Sunt ergo ſequentes: Joannes Eckius natione Suevus, unus ex primis, qui Luthero & ſcriptis libris, & coram diſputando fortiter ſe oppoſuit: Robertus Gaguinus: Joannes Molanius Hiſtoricus Eccleſiaſticus: Joannes Trithemius: Nicolaus Arpsfeldius Hiſtor. Eccleſ. Joannes Baptiſta Mantuanus: Gilbeltus Genebrardus Hiſt. Eccleſ. Jacobus Sanazarius: Joannes Franciſcus Picus: Joannes Major: Joannes Fiſcherus, Roffenſis Epiſcopus Martyr: Thomas Morus: Martinus Azpilcueta Navarrus: Ludovicus, ſive Aloyſius Lippomanus Hiſtoricus. Addit noſter Sannig in ſuis Ordinis noſtri Annalibus p. 4. integrum catalogum de Scriptoribus noſtri Ordinis: inter quos non infimum locum merentur B. Bernardinus de Feltria, & Bernardinus de Buſtis; duo per totam fere Italiam Zeloſiſſimi, & piiſſimi Concionatores: deinde Franciſcus Lychetus Miniſter Generalis Franciſcanorum, qui ſcripſit Commentarios in tres primos libros ſententiarum juxta mentem Scoti: Angelus Salvetus: Franciſcus Titelmannus: Antonius de Maſſa: Bernardinus Florentinus, Bonaventura Curcurens: Chriſtophorus Bondelius, & alii multi. Ex Germanis præterea merentur nominari P. Caſparus Schazger Bavarus multorum librorum Scriptor, Maſtix Lutheri: P. Joannes Ferus Suevus, qui in plures ſcripſit S. Scripturæ libros: Joannes Naas Epiſcopus in partibus, & ſuffraganeus Brixinenſis Lutheranæ hæreſis in pluribus opuſculis Confutator egregius: P. Franciſcus Polygranus: P. Franciſcus Kravendon, & plurimi alii.

Singularem quoque mentionem meretur Joannes Cochlæus Norimbergenſis, vir doctiſſimus, & Fidei Catholicæ propugnator illuſtris. Scripſit opuſcula plurima contra Lutherum, & alios Sectarios: nominatim librum de actis & ſcriptis Lutheri, valde utilem ad Lutheranos confutandos: dein Lutherum ſepticipitem, ut oſtenderet Lutheri inconſtantiam, & antilogias. Item ſcripſit Hiſtoriam Huſſitarum, libris 12. comprehenſam. Denique non ſolum ſcriptis plurimis Lutheranos exagitavit, ſed etiam obtulit ſe ad diſputandum cum quovis Lutherano ſub pœna capitis, ſi in probationibus defeciſſet. Ita teſtatur Surius, & ipſe Cochlæus in libro de actis, & ſcriptis Lutheri.

Sæculum XVII.

§. I.

Pontifices Romani.

406. I. alias 234. Leo XI. antea Alexander Mediceus, creatus anno 1605. 1. Aprilis, moritur 27. Aprilis Pontificatus sui die 26to.

II. alias 235. Paulus V. antea Camillus Burghesius, non sine præcedente Cardinalium contentione creatus anno 1605. 16. Maji: sedit annos 15. menses 8. dies 12. mortuus anno 1621. 28. Januarii. Canonizavit S. Carolum Boromæum. Beatificavit S. Paschalem Baylon: S. Thomam a Villa nova, & S. Franciscum Xaverium. Approbavit Congregationem Sacerdotum Oratorii Jesu ab Henrico Parisiensi Episcopo, & Maria Galliæ regina institutam. Vide Notam (A)

III. alias 236. Gregorius XV. Bononiensis, antea Alexander Ludovisius, creatus anno 1621. 9. Februarii, sedit annos 2. menses 5. mortuus anno 1623. 8. Julii. Beatificavit S. Petrum de Alcantara Ordinis Minorum. Vide Notas (B) & (C)

IV. alias 237. Urbanus VIII. Florentinus, alias Maphæus Barbarinus, creatus anno 1623. 5. Augusti, sedit annos 21. novem minus diebus, mortuus anno 1644. 29. Julii. Canonizavit S. Philippum Nerium: S. Ignatium de Loyola: S. Franciscum Xaverium. Beatificavit S. Jacobum de Marchia Franciscanum: Andream Avellini Theatinum: Felicem de Cantalicio Capucinum. Suppressit prætensam Congregationem Jesuitissarum. Vide etiam Notam (D)

V. alias 238. Innocentius X. alias Joannes Baptista Pamphilius, Romanus, creatus anno 1644. 15. Septembris, sedit annos 10. menses tres, dies 23. mortuus anno 1655. 7. Januarii. Vide Notam (E)

VI. alias 239. Alexander VII. Senensis, antea Fabius Ghisius, creatus anno 1655. 7. Aprilis, sedit annos 12. mensem 1. dies 15. mortuus 1667. 22. Maji. Sanctis adscripsit S. Thomam a Villa nova, & S. Franciscum Salesium. Vide Notam (F)

VII. alias 240. Clemens IX. Pistoriensis, antea Julius Rospiliosius, creatus anno 1667. 20. Junii, sedit annos 2. menses 5. & dies 19. mortuus anno 1669. die 9. Decembris.

VIII. alias 241. Clemens X. Romanus, antea Æmilius Alterius, creatus anno 1670. 29. Aprilis, sedit annos 6. menses 2. dies 23. mortuus anno 1676. 22. Julii. Canonizavit S. Petrum de Alcantara Franciscanum, & S. Rosam de Lima. Inter Beatos retulit Martyres Gorcomienses Franciscanos.

IX. alias 242. Innocentius XI. Comenſis, antea Benedictus Odeſchalchius, creatus anno 1676. die 21. Septembris, ſedit annos 12. menſes 10. dies 22. mortuus anno 1689. 12. Auguſti. Vide Notam (G)

X. alias 243. Alexander VIII. antea Petrus Ottobonus, Marci Equitis Venetæ Reipublicæ Magni Cancellarii filius, Brixiæ olim Epiſcopus, creatus anno 1589. 6. Octobris, ſedit menſes 15. dies 26. mortuus anno 1691. 1. Februarii. Sanctis adſcripſit S. Laurentium Juſtinianum primum Venetiarum Patriarcham: S. Joannem a S. Facundo Ordinis Eremitarum S. Auguſtini: SS. Joannem de Capiſtrano, & Paſchalem Baylon Franciſcanos: & S. Joannem de Deo Fundatorem Ordinis Fratrum de Miſericordia. Vide Notam (H)

XI. alias 244. Innocentius XII. antea Antonius Pignatellus Archiepiſcopus Neapolitanus, creatus poſt quinque menſium diſcordiam inter Cardinales, anno 1691. 12. Julii, ſedit annos 9. menſes 2. dies 15. obiit anno 1700. 27. September. Vide Notam (I)

XII. alias 245. Clemens XI. Magnum in Romanis Pontificibus nomen, antea Joannes Franciſcus Albanus, Urbinas, creatus anno 1700. 23. Novembris, ſedit annos 20. menſes 3. dies 25. mortuus anno 1721. 19. Martii. Sanctorum albo inſeruit S. Pium V. Pont. Max. Ord. S. Dominici: S. Andream Avellinum Theatinum: S. Felicem a Cantalicio Capucinum: & S. Catharinam de Bononia Ord. S. Franciſci ſub regula S. Claræ.

§. II.

Notæ Hiſtoricæ.

(A) Paulus V. Catholicæ Fidei propagationi, ac defenſioni conſulturus, decrevit, *ut in cujuslibet Ordinis & Inſtituti Regularium Studiis omnibus* eſſent *Linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, in majoribus vero, ac celebrioribus etiam Arabicæ Doctores.* Conſtitut. 65. §. 2. tom. 3. Bullarii pag. 252.

(B) Summo Gregorii XV. ſtudio in propagationem veritatis Catholicæ, ejusdemque relictæ cura remordente excitatus Marcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis, poſt moram annorum ſex apud Britannos petiit errati veniam, obtinuitque, cum prius edito libro damnaſſet ſcripta ſua adverſus Eccleſiam Romanam. Romæ itaque a Gregorio peramanter eſt exceptus. Sed non multo poſt rediit ad mores priſtinos. Moriturus tamen rediit ad ſe iterum, obiitque pœnitens. Nihilominus corpus ejus una cum ſcriptis ejusdem

dem impiis combuſtum eſt in Campo Floræ. Spondanus ad annum 1624. §. 2.

(C) Idem Gregorius XV. præſcripſit comitiorum Pontificiorum rationem & ceremonias Conſtitut. 13. & 19. quas Urbanus VIII. ejus ſucceſſor confirmavit conſtitut. 47. Tres præſcribuntur rationes eligendi Pontificem Romanum, quæ ſervantur ad hodiernam diem: prima per *ſcrutinium*, ſive *ſcrutinium & acceſſum*, ſecunda per *compromiſſum*, tertia per *quaſi inſpirationem*. Primo modo fit electio, ſi ex partibus tribus ſuffragiorum duæ ferantur, exempli gratia ſex ex novem. Hoc modo ſuffragia laturi Cardinales conveniunt bis in dies ſingulos, mane poſt Miſſæ ſacrum, & veſpere poſt Hymnum *Veni Creator Spiritus*. Secundo modo fit, cum Cardinales de eligendo Pontifice diſcrepantes, unum vel plures eligunt ex Ordine ſuo, quorum ad arbitrium judiciumque electio redeat. Tertio modo, cum Cardinales, quaſi Spiritus Sancti numine afflati, aliquem unanimiter & una voce, nullo penitus diſſentiente, pronunciant ſummum Pontificem. Vide Martinum Bonacinam de legitima Pontificis electione diſp. 1. qu. 5. & annotationes in Gregorii XV. Conſtitut. ab Hieronymo Ghetto ſcriptas Italice.

(D) Urbanus VIII. diſceptari voluit controverſiam: poſſetne Sacramentalis confeſſio laicis etiam, & non ſolum Sacerdotibus fieri neceſſitate premente? excitarat eam Sacerdos, neſcio quis, miſſus ad Sinas lege Chriſtiana imbuendos, ut ſi reſponſum eſſet, id fieri licere: viam facilem aperiret audiendis confeſſionibus pœnitentium fœminarum, quæ illic cuſtodiuntur arctiſſime. At non fuit valde laborandum Romanis Theologis, ut adverſum allatos ex Canonico Jure locos evincerent, poteſtatem retinendi, ac remittendi peccata ſolis Sacerdotibus factam fuiſſe a Chriſto Domino. Rem totam explicate narrat Marcus Bataglini in Annal. Sacerdotii, & Imperii Italice ſcriptis ad annum 1637. §. 10. & ſeq. Hic ipſe Pontifex *Eminentiſſimi* titulo auxit Cardinales, Archiepiſcopos tres Electores Imperii, & Magnum militiæ Melitenſis Magiſtrum, vetuitque, ne Cardinales ſe aliter appellari ſinerent, niſi ab Regibus, & Senatu Veneto, cujus par regiæ dignitas eſſet.

(E) Innocentius X. ratum eſſe juſſit decretum S. Congregationis Ceremoniarum, præcipiens *Cardinalibus etiam quacunque natalium, ſeu præcellentium aliarum dignitatum prærogativa inſignitis, quod ſolo nomine* Cardinalis, *absque ullo ſæcularis dignitatis additamento contenti, non aliis Titulis nuncupentur, nec uti poſſint, quam* Eminentiſſimi, *&* Reverendiſſimi, *nec non* Eminentiæ Reverendiſſimæ. *Conſtitut.* 2. *§.* 1. *tom.* 4. *Bullarii pag.* 238.

238. Reprobavit etiam pacem inter Cæſarem, Gallos, & Suecos peractam Oſnabrugæ, tanquam probroſam Imperio, & noxiam Chriſtianæ rei. Item præter quinque *Propoſitiones* depromptas ex libro Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, qui inſcribitur *Auguſtinus*, damnavit etiam librum *de magnitudine Eccleſiæ*, & *SS. Petri & Pauli ſupremo Pontificatu*, cujus author facit Paulum æqualem Petro in Eccleſiæ adminiſtratione. Nec ſatis habuit damnaſſe inſanam doctrinam, ſed etiam præcepit viris doctis, ut eam ſcriptis labefactarent.

(F) Alexander VII. Iſaacum Peyrerium ſimul Calvini ſectam, ſimul librum de *Præadamitis*, quem paulo ante ediderat, damnantem, & veniam ſuppliciter depoſcentem admiſit in communionem Eccleſiæ. Superiorum Pontificum decreta de Conceptione Deiparæ Virginis rata juſſit eſſe, adjectis pœnis in eos, qui contra facerent. Conſtitutione enim 117. §. 4. ita loquitur: *Decreta a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & præcipue a Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis, animam B. Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & a peccato Originali præſervatam fuiſſe, nec non in favorem Feſti, & cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ, ſecundum piam iſtam ſententiam, ut præfertur, exhibiti innovamus, & ſub cenſuris & pœnis in eisdem Conſtitutionibus contentis obſervari mandamus.*

Cardinalis Lambertinus de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 42. num. 14. ait: Ex Conſtitutionibus *Sixti IV. S. Pii V. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. & Clementis XI. quæ in unum collectæ legi poſſunt* in Notis *ad Gulielmum Eſtium* tom. 2. editionis Neapolitanæ anni 1720. pag. 8. *clare deſumitur unanimis eorum propenſio erga ſententiam, quæ Beatam Virginem Mariam a peccato originali ſervatam in ſua Conceptione adſtruit, atque confirmat.*

(G) Innocentius XI. magna conſtantia obſtitit Regi Chriſtianiſſimo Ludovico XIV. extendere volenti jus *Regaliæ* ad Eccleſias Regni ſui onere hujusmodi immunes. *Regalia* autem, ut ait Sfondratus in Gallia Vindicata Diſſertat. 1. §. 1. num. 2. pag. 4. nihil aliud eſt, quam *jus & facultas Regibus conceſſa fructus & proventus vacantis Epiſcopatus, cujus electio ad Regem pertineat, percipiendi, & beneficia, ac præbendas curæ animarum expertes interim conferendi.* Jus *Regaliæ*, ſi latius ſumatur, ex quatuor juribus conflatur, videlicet *eligendi, inveſtiendi, beneficia vacantia conferendi, percipiendique fructus, ac proventus temporales.* Cæterum ut in Vita hujus Pontificis loquitur Sandini, fuit Innocentius XI. Pontifex exempli recti domi, foriſque, & pro cauſa Eccleſiæ expertæ virtutis, dignusque habitus, quem hæretici ipſi efferrent laudi-

bus, qui nomen ſuum vitæ integritate, difficilia & periculoſa Chriſtianæ Reipublicæ tempora animi conſtantia æquavit. Damnavit etiam quinque & ſexaginta propoſitiones, unaque Michaelis Molinos Hiſpani Presbyteri ſimulatoris turpiſſimi errores, & ſcripta.

(H) Alexander VIII. damnavit peccatum Philoſophicum, atque 31. propoſitiones.

(I) Innocentius XII. Conſtitutionem condidit, quæ incipit: *Romanum decet Pontificem*, qua regnantium Pontificum conſanguineos vetuit ditari Eccleſiæ bonis, decernens, ut Pontificibus in ſuos laborantes inopia ita liberalibus eſſe liceret, tanquam ſubvenirent neceſſitatibus alienorum.

§. III.

Hæreſes hujus Sæculi, & ſequentis ſeu modo currentis.

408. I. *Bajani* dicti a Michaele Bajo, qui fuit vir Theologicis ſcientiis eruditiſſimus, Lovanienſis Academiæ Decanus, tanquam oraculum habitus apud alios ejusdem Univerſitatis Doctores, & apud Reges: Proinde a Philippo II. Hiſpaniarum Rege in Theologum Conſiliarium aſſumptus, & ad Concilium Tridentinum miſſus, futurus apud poſteros in opinione celeberrima, ſi famam ſuam erroneis ſcriptis non contemeraſſet. Ejusdem errores in Bulla S. Pii V. expreſſi leguntur, qui ex ejus ſcriptis 79. Theſes decerptas proſcripſit; non tamen damnavit authorem, quod S. Sedis judicio ſe ſubmiſerit. Vixit circa medium Sæculi XVI. Ejusdem propoſitiones confutabuntur a me tomo III. ſeu Libro II. Sententiarum Part. 1. ubi de gratia, & primo Homine tractabitur, circa cujus conditionem maxime erravit.

409. II. *Janſeniani*, ſeu *Janſeniſtæ* dicti a Cornelio Janſenio Iprenſi (non Gandavenſi, qui jam anno 1576. obiit) Hic vero natus fuit anno 1585. in exiguo Hollandiæ vico prope Leerdam parentibus plebejis. Primo ſtudiis operam navavit Ultrajecti: poſtea Lovanii Philoſophiæ, & Theologiæ ſub Magiſtro, qui fuit Diſcipulus Baji, ſe impendit. Hac etiam in Academia lauream Doctoratus Theologici fuit adeptus. Abiit ſubin in Galliam anno 1604. & exceptus a Joanne Du Verger de Havrane famoſo Abbate Sancyrano, & ab hoc commendatus cuidam regio Conſiliario Pariſiis, aliquamdiu filiorum iſtius moderatorem domeſticum egit. Tum Bajonæ Collegio principali recens erecto Director eſt datus ad ejusdem Abbatis commendationem, cum quo deinde indiſſolubilem amicitiam coluit. Hic duodecim annis

nis duo isti simul studiis vacarunt, præsertim legendo Augustino se impendentes.

Rediit Jansenius inde Lovanium, ibique Collegio S. Pulcheriæ Præfectus, & a Philippo III. Hispaniarum Rege S. Scripturæ Professor renunciatus est. Hic cœpit suum *Augustinum* elaborare; cum enim occasione Pseudo-Synodi Dortracensis, a Calvinianæ Sectæ Ministris celebratæ, studuisset materiæ de gratia, & sæpius S. Augustinum volvisset (universa nempe opera D. Augustini decies, & amplius, libros autem contra hæresin Pelagianam facile trigesies, ut testatur Vitæ ejus synopsis) & ipse libros de gratia scripsit, quos *Augustinum*, seu Augustini doctrinam appellavit. Interim ter nomine Academiæ legationem in Hispaniam ad regem obiit, ac tandem occasione libri, quem contra Gallos scriptum *Martem Gallicum* inscripsit, ad Insulam Iprensem promotus est anno 1635. 28. Octobris. Et hic loci videtur Augustinum suum absolvisse. Mox, ut ait Morerius, cœpit suam Diœcesin reformare: sed opus cœptum non potuit absolvere, defunctus anno 1638. ex peste tunc grassante. Moriens librum suum reliquit Amicis typis edendum, omniaque sua scripta media, ut ajunt, ante mortem hora judicio subjecit Ecclesiæ Catholicæ. Unde non potest dici hæreticus, cum Liber primum post mortem ejus fuerit editus, & condemnatus.

Non tamen statim post mortem, sed anno 1641. Liber iste prodiit infelix posthumus. Verum vix ut lucem publicam aspexit, illico ei se opposuerunt plures Doctores, etiam Sorbonici: quin & anno 1649. apud Sorbonam accusatus & condemnatus fuit. Sexaginta autem mox Doctores contra Sacram Facultatem illam insurrexerunt. Hinc anno 1650. Mense Majo in Conventu Cleri conclusum est, eundum Romam. Quare 85. Episcopi Galliæ, quibus postea accessere tres alii, librum ad supremum Summi Pontificis tribunal detulerunt.

Hunc itaque sæpe nominatum Jansenii librum, tanquam restaurantem errores in Bajo confixos, Urbanus VIII. Bulla edita: *In Eminenti* 4. Martii 1641. damnavit, ac ejus usu sub pœna excommunicationis interdixit. Ast hoc non sufficiebat ad absterrendos novitatum amatores ab ejus lectione: unde Innocentius X. Urbani successor maxima diligentia tum per se, cum per alios doctissimos viros dictum librum iterum excussit. Habitæ sunt hac de causa 22. Congregationes Consultorum, ac Cardinalium: & post has aliæ 10. coram ipso Pontifice, ubi Defensoribus Jansenii concessum est se defendere: indictæ sunt etiam Romæ preces in præcipuis Templis. Tandem Pontifex quinque famosas Propositiones, quæ præcipuam libri doctrinam

complectebantur, selegit, easque gravissima Constitutione: *Cum occasione &c.* edita anno 1653. pridie Calendas Junii hæreticas declaravit.

Vix promulgata hac Bulla, Fautores Jansenii publice dixerunt, has propositiones quidem esse recte damnatas, sed eas non contineri in libro Jansenii, huncque esse innocentem. Sed Clerus Gallicanus anno 1654. 28. Martii sic scripsit ad Innocentium X. *Nos in hac urbe Parisiensi congregati censuimus, & per epistolam encyclicam, his literis adjunctam, declaravimus, propositiones illas, & opiniones esse Cornelii Jansenii, & in sensu ejusdem Jansenii a Sanctitate vestra damnatas disertis, & manifestis verbis.* Rem hanc satis definivit Alexander VII. 1656. 17. Cal. Novembris vulgata Bulla: *Ad S. Beati Petri Sedem;* ubi præmissis præmittendis sic: *Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est:* Augustinus, *excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse definimus, & declaramus, ac uti tales inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione, unicuique illarum singulatim inuritur, iterum damnamus.* Hæc interea sufficiant de Janseniorum attentatis. Plura videri possunt apud alios Historicos, qui de his turbis scribunt.

410. III. *Liberorum Murariorum* Societas vel hæretica, vel de hæresi certe suspecta hic commemorari petit: de ea tantum adduco, quæ Clemens XII. & Benedictus XIV. in suis Constitutionibus afferunt. Prior Constitutio: *in Eminenti*, ita habet: "Sane vel ipso rumore „publico nunciante, Nobis innotuit, longe, lateque progredi, at„que in dies invalescere nonnullas Societates, Cœtus, Conventus, „Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula, vulgo *De' Liberi* „*Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alia quavis nomenclatura pro idio„matum varietate nuncupata, in quibus cujuscumque Religionis, & „Sectæ Homines, affectata quadam contenti honestatis naturalis spe„cie, arcto æque, ac impervio fœdere, secundum Leges, & Statu„ta sibi condita, invicem consociantur; quæque simul clam operan„tur, tum districto jurejurando ad Sacra Biblia interposito, tum gra„vium pœnarum exaggeratione, inviolabili silentio obtegere ad„stringuntur.

„Verum cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, & „clamorem edat sui indicem; hinc Societates, seu Conventicula præ„dicta vehementem adeo Fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, „ut iisdem Aggregationibus nomen dare, apud prudentes & probos „idem omnino sit, ac pravitatis & perversionis notam incurrere; nisi „enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui

„quidem

„quidem rumor eo usque percrebuit, ut in plurimis Regionibus me-
„moratæ Societates per Sæculi Poteſtates, tamquam Regnorum ſe-
„curitati adverſantes, proſcriptæ, ac provide eliminatæ jam pridem
„exſtiterint.

„Nos itaque animo volventes graviſſima damna, quæ ut plu-
„rimum ex hujusmodi Societatibus, ſeu Conventiculis, nedum tem-
„poralis Reipublicæ tranquillitati, verum etiam Spirituali Anima-
„rum ſaluti inferuntur, atque idcirco tum Civilibus, tum Canonicis
„minime cohærere ſanctionibus; cum Divino eloquio doceamur,
„diu, noctuque, more ſervi fidelis, & prudentis Dominicæ Familiæ
„præpoſiti, vigilandum eſſe, ne hujusmodi Hominum genus, veluti
„fures, domum perfodiant, atque inſtar vulpium Vineam demoliri
„nitantur, ne videlicet ſimplicium corda pervertant, atque innoxios
„ſagittent in occultis; ad latiſſimam, quæ iniquitatibus impune pa-
„trandis inde aperiri poſſet, viam obſtruendam, aliisque de juſtis,
„ac rationabilibus cauſis Nobis notis, easdem Societates, Cœtus,
„Conventus, Collectiones, Aggregationes, ſeu Conventicula: *De'*
„*Liberi Muratori*, ſeu *Francs Maçons*, aut alio quocumque nomine ap-
„pellata, de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E.
„Cardinalium conſilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia,
„ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis pleni-
„tudine, damnanda, & prohibenda eſſe ſtatuimus, & decrevimus,
„prout præſenti noſtra perpetuo valitura Conſtitutione damnamus,
„& prohibemus.

„Quocirca omnibus, & ſingulis Chriſti Fidelibus cujuscun-
„que ſtatus, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, & præemi-
„nentiæ, ſive Laicis, ſive Clericis, tam Sæcularibus, quam Regu-
„laribus, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione di-
„gnis, diſtricte, & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ne
„quis ſub quovis prætextu, aut quæſito colore audeat, vel præſu-
„mat prædictas Societates *De' Liberi Muratori*, ſeu *Francs Maçons*, aut
„alias nuncupatas, inire, vel propagare, confovere, ac in ſuis ædi-
„bus, ſeu domibus, vel alibi receptare, atque occultare, iis adſcri-
„bi, aggregari, aut intereſſe, vel poteſtatem, ſeu commoditatem
„facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid miniſtrare, ſive alias
„conſilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe,
„vel indirecte, per ſe, vel per alios quoquo modo præſtare; nec
„non alios hortari, inducere, provocare, aut ſuadere, ut hujusmo-
„di Societatibus adſcribantur, annumerentur, ſeu interſint, vel ipſas
„quomodolibet juvent, ac foveant; ſed omnino ab iisdem Societa-

„tibus, Cœtibus, Conventibus, Collectionibus, Aggregationibus, „seu Conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub pœna Excom- „municationis per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto abs- „que ulla declaratione incurrenda, a qua nemo, per quemquam, „nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, „præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium „valeat obtinere.

„Volumus insuper, & mandamus, ut tam Episcopi, & Præ- „lati Superiores, aliique Locorum Ordinarii, quam Hæreticæ pravi- „tatis ubique locorum deputati Inquisitores, adversus transgresso- „res, cujuscunque sint status, gradus, conditionis, ordinis, digni- „tatis, vel præeminentiæ, procedant, & inquirant, eosque tam- „quam de hæresi vehementer suspectos condignis pœnis puniant, at- „que coërceant; iis enim, & eorum cuilibet, contra eosdem trans- „gressores procedendi, & inquirendi, ac condignis pœnis coërcen- „di, & puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæ- „cularis auxilio, liberam facultatem tribuimus, & impertimur.„

Benedictus XIV. Constitut. *Providas*, innovat, & confirmat Prædecessoris sui Clementis Constitutionem, & inter alia sic loquitur: „Ne tamen aliquid per nos improvide prætermissum dici valeret, „quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere, at- „que os obstruere; audito prius nonnullorum Venerabilium Fra- „trum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, eandem Prædecesso- „ris nostri Constitutionem præsentibus, ut supra, de verbo ad ver- „bum insertam, in forma specifica, quæ omnium amplissima, & effi- „cacissima habetur, confirmare decrevimus; prout eam ex certa „scientia, & Apostolicæ authoritatis nostræ plenitudine, earundem „præsentium Literarum tenore in omnibus, & per omnia, perinde „ac si nostris motu proprio, authoritate, ac nomine primum edita „fuisset, confirmamus, roboramus, & innovamus, ac perpetuam „vim, & efficaciam habere volumus, & decernimus.

„Porro inter gravissimas præfatæ prohibitionis, & damnatio- „nis causas in præinserta Constitutione enunciatas, una est, quod in „hujusmodi Societatibus, & Conventiculis, cujuscumque Religio- „nis, ac Sectæ homines invicem consociantur; qua ex re satis patet, „quam magna pernicies Catholicæ Religionis puritati inferri valeat. „Altera est arctum, & impervium secreti fœdus, quo occultantur „ea, quæ in hujusmodi Conventiculis fiunt; quibus proinde ea sen- „tentia merito aptari potest, quam Cæcilius Natalis apud Minucium „Felicem in causa nimium diversa protulit: *Honesta semper publico gau-*

dent,

„*dent*, *ſcelera ſecreta ſunt*. Tertia eſt jus jurandum, quo ſe hujusmodi „ſecreto inviolabiliter ſervando adſtringunt; quaſi liceat alicui, cu„juslibet promiſſionis, aut juramenti obtentu ſe tueri, quo minus a „legitima poteſtate interrogatus, omnia fateri teneatur, quæcumque „exquiruntur ad dignoſcendum, an aliquid in hujusmodi Conventi„bus fiat, quod ſit contra Religionis, aut Reipublicæ ſtatum, & „Leges. Quarta eſt, quod hujusmodi Societates non minus Civili„bus, quam Canonicis Sanctionibus adverſari dignoſcuntur; quum „ſcilicet Jure Civili omnia Collegia, & Sodalitia præter publicam „authoritatem conſociata, prohibeantur, ut videre eſt in Pandecta„rum libro XLVII. Tit. 22. *De Collegiis*, & *corporibus illicitis*; & in ce„lebri Epiſtola C. Plinii Cæcilii ſecundi, quæ eſt XCVII. libri X. in „qua ait, edicto ſuo, ſecundum Imperatoris mandata, vetitum fuiſ„ſe, ne Hetæriæ eſſent, id eſt, ne Societates, & Conventus ſine „Principis authoritate iniri, & haberi poſſent. Quinta eſt, quod „jam in pluribus Regionibus memoratæ Societates, & Aggregationes „Secularium Principum Legibus proſcriptæ, atque eliminatæ fuerant. „Ultima demum, quod apud prudentes, & probos viros eædem So„cietates, & Aggregationes male audirent, eorumque judicio, qui„cumque eisdem nomina darent, pravitatis & perverſionis notam in„currerent.

„Denique idem Prædeceſſor in præinſerta Conſtitutione Epi„ſcopos, & Superiores Prælatos, aliosque Locorum Ordinarios ex„citat, ut pro illius executione, ſi opus fuerit, brachii ſecularis au„xilium invocare non prætermittant.

„Quæ omnia & ſingula non ſolum a Nobis approbantur, & „confirmantur, eisdemque Eccleſiaſticis Superioribus reſpective com„mendantur, & injunguntur; verum etiam Nos ipſi, pro Apoſtoli„cæ ſollicitudinis officio, præſentibus noſtris Literis, Catholicorum „Principum, omniumque Secularium Poteſtatum opem, auxilium„que ad præmiſſorum effectum invocamus, & enixo ſtudio requiri„mus; quum ipſi Supremi Principes, & Poteſtates electi ſint a Deo „defenſores Fidei, Eccleſiæque protectores; ideoque eorum munus „ſit, idoneis quibusque rationibus efficere, ut Apoſtolicis Conſtitu„tionibus debitum obſequium, & omnimoda obſervantia præſtetur; „quod iis in memoriam revocarunt Tridentinæ Synodi Patres *Seſſ.* „*XXV. Cap.* 20. multoque antea egregie declaraverat Imperator Caro„lus Magnus ſuorum Capitularium *Tit.* 1. *Cap.* 2. ubi, poſt demanda„tam omnibus ſibi ſubditis Eccleſiaſticarum Sanctionum obſervan„tiam, hæc addidit: *Nam nullo pacto agnoſcere poſſumus*, *qualiter nobis*

„*fideles*

„*fideles exiſtere poſſunt, qui Deo infideles, & ſuis Sacerdotibus inobedientes ap.* „*paruerint.* Quapropter cunctis ditionum ſuarum Præſidibus, & Mi- „niſtris injungens, ut omnes, & ſingulos ad debitam obedientiam Ec- „cleſiæ Legibus exhibendam omnino compellerent; graviſſimas quo- „que pœnas adverſus eos indixit, qui hoc præſtare negligerent, ſub- „dens inter alia: *Qui autem in his (quod abſit) aut negligentes, eisque inobe-* „*dientes fuerint inventi, ſciant, ſe nec in noſtro Imperio honores retinere, li-* „*cet etiam Filii noſtri fuerint, nec in Palatio locum, neque nobiſcum, aut cum* „*noſtris ſocietatem, aut communitatem ullam habere, ſed magis ſub diſtrictione,* „*& ariditate pœnas luent.*„

Hæc ex ipſis Decretis SS. Pontificum deprompta ſufficere exi- ſtimo, ad quemlibet vere fidelem, & honeſti amantem hominem ab- ſterrendum a Societate iſta plane nefaria, & abominanda. Utraque laudata Bulla legi poteſt in Continuatione Magni Bullarii, juxta edi- tionem Luxenburgicam factam anno 1754. tom. 18. ad annum Chriſti 1751. Conſtitut. Benedicti XIV. 48.

411. IV. *Deiſtæ* ſunt, qui aſſerunt, Deum exiſtere, credendum eſſe, & nihil aliud. Vocantur etiam *Libertini*; quia modum colendi Deum ex cujuslibet arbitrio pendere volunt: *Indifferentiſtæ*; quia quemlibet in ſua Religione ſalvari poſſe prætendunt: *Philoſophici*, ſeu *Naturaliſtæ*; quia ad rationis naturalis normam Chriſtianæ Religionis myſteria ita dimetiuntur, ut rejiciant, quidquid rationis naturalis ca- ptum ſuperat. Horum ſectam, hodie ſat communem, ſæculo ſe- quenti peculiari controverſia perſtringam.

412. V. *Quesnelliſtæ*, a quodam Quesnello Ordinis Oratorii Pres- bytero, Doctore Sorbonico vocati ſunt. Scripſit hic librum Refle- xionum moralium cum Notis in Novum Teſtamentum, in quo con- tinentur 101. Propoſitiones damnatæ a Clemente XI. in Conſtitut. *Unigenitus*: edita 8. Septembris anno 1713. quæ propoſitiones reno- vant hæreſes Janſenii, Lutheri, Calvini, ita, ut Quesnellismus par- ticipet cum pluribus præcedentium ſæculorum hæreſibus.

Scriptores hujus Sæculi adeo multi ſunt, ut omnes adduci vix poſſint: Hinc eos ſilentio prætermittere conſultum duxi, præſer- tim ex illa ratione, quam jam priore Sæculo Num. 405. allegavi.

Sæculum XVIII.

ſeu modo currens.

413. I. alias 246. Innocentius XIII. antea Michael Angelus de Co- mitibus, Romanus, creatus anno 1721. 8. Maji, ſedit glorioſe, & pacifice

pacifice annos 2. menſes 9. & dies 29. Beatis annumeravit B. Andream de Comitibus Alexandri IV. ex fratre nepotem Franciſcanum.

II. alias 247. Benedictus XIII. antea Vincentius Maria Urſinus, Ordinis S. Dominici, Archiepiſcopus Beneventanus, & Cardinalis, creatus anno 1724. 29. Maji, ſedit probus, & antiqui moris Pontifex annos 5. menſes 8. dies 23. mortuus piiſſime anno 1730. 21. Februarii. Sanctorum numero accenſuit SS. Stanislaum Koſtka, & Aloyſium Gonzaga Confeſſores Soc. Jeſu: S. Joannem a Cruce Ordinis Carmelitarum: SS. Franciſcum Solanum, & Jacobum de Marchia Confeſſores Franciſcanos: S. Agnetem a Monte-Politiano in Tuſcia Ord. S. Dominici: S. Joannem Nepomucenum Martyrem: nec non S. Margaritam de Cortona ex Tertio Ordine S. Franciſci. Inter Beatos numeravit S. Fidelem a Sigmarigna Capucinum: Vincentium a Paulo: ac Hiacyntham Mariſcotti Monialem Ordinis S. Franciſci ſub tertia Regula.

III. alias 248. Clemens XII. antea Laurentius Corſinus, Florentinus, creatus anno 1730. 12. Julii ſedit annos 9. Menſes 6. dies 25. Beatificavit Seraphinum de Aſculo, & Joſephum a Leoniſſa Capucinos.

IV. alias 249. Benedictus XIV. antea Proſper de Lambertinis, Cardinalis, & Archiepiſcopus Bononienſis, Orbi Literato ſuis editis Eruditiſſimis, & Sapientiſſimis ſcriptis notiſſimus, ac virtute inſignis electus 17. Auguſti 1740. ſedit annos 17. menſes 8. dies 16. mortuus anno 1758. die 3. Maji. Canonizavit S. Petrum Regalatum Franciſcanum.

V. alias 250. Clemens XIII. antea Rezonico Venetus, S.R.E. Cardinalis, & Epiſcopus Paduanus, creatus anno 1758. 6. Julii, nunc feliciſſime regnans Summus Pontifex, qui ut fauſtiſſimum ſuum regimen in annos adhuc plurimos continuet, ex corde cum Eccleſia opto, & in hunc finem preces continuo ad Deum fundam.

In hoc Sæculo nullum eſt habitum Concilium Generale: neque, ob dicta præterito ſæculo, agendum videtur de Scriptoribus, qui ſunt plurimi; id tantum monendum videtur: cum hacce ætate Scioli multum invaleſcant, eorum libri caute legendi ſunt: præſertim attendendum eſt, ne quis Indifferentiſtarum, & Libertinorum (qui etiam non raro inter noſtræ Religionis alumnos occulto veneno infecti ſunt, & alios ſuis blandientibus colloquiis inficere ſatagunt) placitis decipiantur. Unum commemorare tantum volui, in germania recenter editum, librum ſane peſtiferum, qui ſatis temere eſt dedicatus moderno piiſſimo Pontifici feliciſſime regnanti Clementi XIII.

& fere totus in eo eſt, ut authoritatem Pontificiam imminuat, & Eccleſiæ jura proſcindat. Fictum nomen authoris, & fictus locus impreſſionis jam pandunt occultum venenum, quo liber inficitur, & inficere conatur Lectores: verum illam, quam promeritus eſt, mercedem jam tulit; nam Romæ a S. Congregatione Judicis, approbante S. Pontifice 27. Februarii 1764. juſtiſſime confixus, & prohibitus eſt. Titulus ejus eſt: *Juſtini Febronii de Statu Eccleſiæ, & legitima poteſtate Romani Pontificis Liber ſingularis ad reuniendos diſſidentes in Religione Chriſtianos compoſitus. Bullionii apud Guillelmum Evrardi* 1763. Hunc igitur nemini, qui non legitima facultate libros prohibitos legendi eſt inſtructus, volvere, vel legere licet.

Sciolorum, & Libertinorum, ac Indifferentiſtarum captionibus, & deceptionibus ut occurram, prolixiore explicatione, & examine hanc controverſiam juxta pondus Sanctuarii librabo, & Religionis noſtræ præſtantiam tuebor. Quare ſit

Controverſia Unica
De
Indifferentiſmo, & Libertiniſmo.

§. I.

Prænoſcenda, & num detur vera Religio in Mundo?

414. Poſita exiſtentia Dei, & Providentia, quæ contra Atheos, & Epicureos evidenter demonſtratur a Philoſophis, & Theologis noſtris Scholaſticis, nemo tam ſtupidus erit, ut negat omnem Religiogionem etiam naturalem, ſeu illum cultum Dei, quem natura omnibus ſanæ mentis univerſim dictat: nempe Authorem rerum omnium, Rectorem Mundi ſapientiſſimum, Deum Optimum Maximum aliquo modo eſſe amandum, adorandum, certisque ritibus colendum, ut hoc cultu mediante ſuam, quam naturaliter appetit, homo felicitatem obtineat: atque adeo aliquam in Mundo Religionem eſſe neceſſariam. Itaque

Intelligitur hic Religionis nomine certa ratio, & modus colendi Deum, vi cujus ipſi placere poſſimus in hac vita, & in altera obtinere felicitatem, ad quam creati ſumus, & cujus obtinendæ ſtimulos indidit univerſis. Unde etiam ponitur certa, & ex notis lumine naturæ principiis prudenter innegabilis exiſtentia animæ rationalis. Hæc eſt notio Religionis in abſtracto; nam Religio in con-

creto

creto eſt ipſa Eccleſia, ſeu Congregatio hominum certo ritu colentium Deum. H. N.

Aſſero: Datur in Mundo aliqua Religio vera. Ita non ſolum omnes Catholici, ſed & Acatholici, imo omnes fere homines, exceptis paucis Atheiſtis. P. 1. Ex providentia Dei: Deus providentiſſimus, ſicuti alia, ita quoque hominem ordinavit ad aliquem finem: & quidem cum omnia inferiora ordinaverit ad hominem, ſic iſtum ordinavit ad ſe, & ſuam laudem, & gloriam: ergo prudenter non potuit eſſe contentus, ſi homo eum non laudaret, & aliquo modo glorificaret: ergo debuit etiam aliquem modum ei præſcribere, vel exterius docendo, aut ſaltem interius illuſtrando, quomodo ipſum coleret; ſi enim homo illam normam cultus ignoraret, careret neceſſario medio tendendi ad ſuum finem. 415

Inſuper, cum hominem præditum anima rationali immortali crearit, & hunc, ſi bene egerit, ad æternam felicitatem aſſumere: ſi male, ad æternam pœnam damnare voluerit, debuit ei dare certa præcepta vitæ, & morum, & iſta ipſi dictare vel externe, vel ſaltem interne per lumen naturale, aut illuſtrationem; ſecus enim hominem pejore conditione creaſſet, quam bruta: cum his dediſſet media neceſſaria finem ſuum aſſequendi, non vero homini. Verum in his præceptis colendi Deum, & ejus leges ſervandi ſtat Religio: ergo.

P. 2. Ex communiſſimo hominum conſenſu. Profecto, quamvis inventæ ſint nationes non paucæ ſine Rege, ſine Communitate, ſine pecuniis, ſine literis: tamen aut nullam, aut vix ullam reperire eſt tam barbaram, quæ Deum nullum agnoſcat, aut omni Religione careat: duratque hic conſenſus jam per tot ſæcula mundi. Præſertim autem ita ſenſerunt, atque adhuc ſentiunt ſapientiſſimi, & moribus honeſtiſſimi quique. Quare, ſicut bonum eſt, quod omnes amant: ſic & verum eſt, quod omnes ſentiunt, niſi velimus etiam dubitare de primis principiis, v. g. quod totum majus ſit ſua parte &c. quæ ideo ab omnibus certa cenſentur, quia omnium hominum conſenſu admittuntur.

Objic. 1. Potuit Deus in pœnam peccati Originalis permittere, ut omnes homines errent, & nullibi detur vera Religio: ergo certum non eſt, dari veram Religionem. ℞. D. a. potuit Deus permittere poſito iſto communiſſimo ſenſu omnium mortalium, & in hac Providentia circa homines: item poſitis tot ſignis credibilitatis pro Religione vera, ſeu Catholica militantibus n. a. illis non habitis tr. a. Deus non poteſt permittere, vel certe non permittit, ut omnes ho- 416.

mines in primis principiis naturalibus post peccatum Originale errent: ergo idem est hic dicendum.

Objic. 2. Deus potest homini providere de aliis mediis, licet non de Religione provideat: ergo. ℞. N. a. Hac enim ratione Providentia Dei hominem non dirigeret ad finem ultimum, sed ad meros intermedios: neque ordinaret hominem ad gloriam suam, ad quam tamen vel maxime eum condidit tanquam habentem animam rationalem, & immortalem.

417. Ad ulteriora dubia solvenda præsciendum præterea, duplicem distingui posse Religionem, *Naturalem* & necessariam, & *Revelatam*, seu liberam. *Naturalis* solum in communi docet, Deum esse colendum, & ea facienda, quæ jus naturale dictat; hinc præter lumen, & legem naturalem involvit nihil: qui instinctus naturalis est quædam revelatio divina, per quædam principia universalia instruens hominem, qualiter se erga Deum, proximum, & se ipsum gerere debeat. Appellatur hæc revelatio *necessaria:* quia Deus providus non potuit creare hominem sine ejusmodi principiis, & veritatibus innegabilibus ipsi impressis. Ejusmodi sunt: *Deus est colendus: Parentes sunt honorandi: non faciendum aliis, quod tibi non vis fieri &c.*

Altera, seu Religio *revelata*, lumini naturali superaddit lumen Fidei, qua creditur Deo loquenti, & suam voluntatem distinctius revelanti per signa externa: Juri vero naturali additur Jus positivum, & Lex Divina, qua homines obligantur ad certas actiones, & ritus, quibus honorari vult Deus. Et hæc revelatio, qua Deus certos, & singulares ritus, quibus honorari vult, homini manifestat, vocatur *libera;* quia Deo liberum est ex innumeris possibilibus ritibus, quibus coli potest, hunc, vel illum eligere, & manifestare. Unde in Religione revelata hæc duo continentur: 1. *Oracula divina*, seu locutio libera, cui credendum, & auscultandum per *Fidem.* 2. *Mandata divina*, seu Lex a Deo peculiariter lata, cui obediendum per *certas actiones honestas*, & rectas.

Quæritur ergo, an necessario admittenda sit Religio revelata, an vero sufficiat præcise naturalis necessaria? posterius senserunt Philosophastri quidam, & etiam moderno tempore sentiunt, omnem omnino ritum, quem lumen, & lex naturalis, seu revelatio Dei necessaria suggerit ad colendum Deum, pro sufficiente Religione asserentes, per quam homo ad felicitatem sibi præstitutam pertingere possit. Contra hos Deistas, & Libertinos sit

§. II.

§. II.

Contra Libertinos ſtrictiores, nullam Religionem revelatam admittentes.

Aſſero: Admittenda eſt Religio aliqua libere revelata a Deo: id eſt: præter ea, quæ docet, & præcipit ipſe inſtinctus naturalis, credenda ſunt certa myſteria, & obſervanda quædam præcepta, peculiariter, & libere a Deo revelata. 418.

P. Lumen naturale, ſeu revelatio neceſſaria, duntaxat docet in genere, Deum eſſe colendum eo modo, quo vult coli; quis autem ſit iſte modus determinatus, ritus, materia, locus, tempus &c. non docet: atqui hoc non ſufficit, ſed debet homini conſtare, quis ille modus ſit determinatus ſecundum ritus, tempus, materiam, locum, aliaque adjuncta: ergo lumen naturale non ſufficit, ſed præter illud debet dari lumen Fidei, & revelatio Dei libera, id eſt: aliqua Religio libere, & peculiariter a Deo revelata, quæ homines docet determinatum modum Deum colendi. Major exinde liquet; ſi enim Deus non colitur, prout ipſe vult coli, cultus ipſi gratus haud eſt. Etiam eſt univerſalis perſuaſio hominum, Deum aliquo certo modo petere coli: & hinc pro cultu Dei nationes quævis ſemper ſtatuere certas ceremonias, credentes, ſecundum eas petere Deum, aut Deos, quos venerabantur, coli: ſic Gentiles exiſtimant, ſuam Religionem provenire ab Idolis, quæ ſibi loqui, & certa ſacrificia, ac ritus præſcribere putabant: Mahometani credunt, ſuam Religionem proficiſci a Mahomete, quem habent pro maximo Propheta, cui Deus per Archangelum Gabrielem ſuam voluntatem revelaverit: Judæi mordicus tuentur, ſuam Religionem olim Patriarchis a Deo revelatam, & a Moyſe Deo dictante eſſe conſcriptam: Chriſtiani denique dicunt, ſuam Religionem a Chriſto Deo-Homine eſſe mundo traditam, loquente nobis Deo in Filio. Neque unquam fuit gens tam barbara, quæ non habuiſſet ſuos Popas, templa, aras, & certos ritus Deum, vel Deos colendi, rata, ejusmodi ritus ſibi a Deo, vel Diis eſſe revelatos, & ſe ideo per eos placere Deo, vel Diis: ergo commune judicium eſt omnium gentium, ritus Religionis pendere a quodam divino Numine eos dictante. Hæc itaque communis perſuaſio eſt ab Authore naturæ indita, & prudenter innegabilis, niſi etiam affirmes, ab Atheis prudenter negari poſſe exiſtentiam Dei, & ab Epicureis immortalitatem animæ, & ab Helluonibus honeſtatem temperantiæ, imo ab aliquibus antiquis Philoſophis exiſtentiam motus.

Confirmatur: Eſt prudenter innegabile, quod Chriſtus ſit Deus; ſed Chriſtus revelavit mundo certa myſteria, quæ credi, & cer-

certam legem, quam obſervari vult ad ſe colendum, & hominem ſalvandum: & adeo mundo peculiarem revelavit Religionem: ergo &c. Major ex ſequentibus roborabitur.

Nec per hæc dixerim, Religionem divinitus revelatam eſſe neceſſario, & abſolute ſupernaturalem præſcindendo a moderna Providentia, in qua eſt ſupernaturalis, ſeu perducens hominem ad felicitatem ſupernaturalem; nam contra Bajum certum eſt, ut lib. 2. Sentent. part. 1. dicetur, ſtatum naturæ puræ fuiſſe poſſibilem: ex quo etiam ut innegabile deducitur, in tali ſtatu, ſi exſtitiſſet, potuiſſe, ac debuiſſe a Deo revelari hominibus aliquam religionem, quæ duceret eos ad felicitatem naturalem.

419. Objic. 1. Ipſa lex naturalis ſatis nobis indicat voluntatem Dei, & modum Eum colendi: ergo ſuperfluit revelatio illa. ℞. N. a. Ratio negandi patet ex probatione.

Objic. 2. Lex naturalis, niſi ſufficeret ad hominem perducendum ad ſuam felicitatem, eſſet valde manca, & imperfecta: ſed hoc nequit dici: ergo. ℞. N. M. Sicut anima non debet dici imperfecta, & manca, quod non ſola complete conſtituat hominem: ita nec lex Naturæ, quod non complete doceat hominem.

Objic. 3. Sufficit, ſi Superiores determinent jus naturale, & præſcribant certas leges colendi Deum: ergo Religio non debet eſſe revelata a Deo. ℞. N. a. Quæro enim, unde nobis conſtet, quod penes Superiores ſit poteſtas declarandi nobis, quomodo Deus velit coli? Sane non niſi a revelatione Dei liberá, ex qua innoteſcat, quid Deus ipſe præceperit circa cultum ſuum. Præterea ipſi Superiores tenentur, Deo gratum præſtare cultum: ergo debent hunc diſcere ab aliis Superioribus, & hi iterum ab aliis, donec deveniatur ad ipſum Deum libere revelantem.

Objic 4. Cum Deus per revelationem neceſſariam, & lumen naturale præciſe præcipiat ſe coli, non autem præcipiat modum ſe colendi, cenſendus eſt, illius determinationem reliquiſſe arbitrio hominis: ergo ſine revelatione libera poteſt homo Deum colere, prout vult. ℞. N. a. Sufficit, conſtare, quod Deus amodo certum modum cultus ſui revelarit, ut partim probatum eſt, & amplius ſequentibus dilucidabitur. Non tamen diffiteor, ſi Deus per certa ſigna non revelaſſet poſitive, quomodo coli vellet, Eum quaſi tacite, & negative revelaſſe, quod homini reliquerit poteſtatem determinandi cultum ſuum: proinde & hoc ſilentium foret aliqua revelatio Dei libera. Nunc autem habemus claram notitiam, Deum nobis determinaſſe cultum ſuum.

Objic.

Objic. 5. Eſt contra rationem aliqua credere, quæ ſuperant rationem naturalem: ſed Religio revelata ſupernaturalis, quæ nunc ſola datur, imperat plura credere, quæ rationem ſuperant: ergo Religio hæc non datur. ℞. N. M. Certe ratio naturalis dictat, Deum infinite Sapientem ſcire, & infinite Potentem poſſe facere, proinde & revelare aliqua, quæ finitum naturale lumen, & rationem noſtram ſuperant. Et quid deinde magis rationi conſonum eſt, quam credere, quæ Deus infinite verax loquitur, & nobis manifeſtat, licet ea tenui noſtro naturali lumine capere, & perſpicere non poſſimus, ut ſic intellectum noſtrum captivemus in obſequium Fidei.

§. III.

Contra Libertinos, & Indifferentiſtas laxiores, ſeu Deiſtas.

420. Sunt Indifferentiſtæ duplicis generis: alii abſurdiores, & laxiores, ac univerſales, qui tenent, quemlibet in ſua ſecta poſſe ſalvari, modo in unum Deum credat, eumque colat juxta ſuæ ſectæ leges, ſive dein Judæus, Turca, aut Chriſtianus ſit; nunc enim tantum tres iſtæ Religiones unum Deum venerantur. Alii ſunt paulo modeſtiores, quos licet appellare Indifferentiſtas ſtrictiores, vel Chriſtianos, & particulares, qui reſtringunt neceſſitatem conſequendæ ſalutis ad ſolam Religionem, & Fidem Chriſtianam; docent itaque, quemlibet Chriſtianorum in ſua ſecta ſalvari poſſe, ſive Catholicus, Lutheranus, Calviniſta, (quæ tres Religiones in Imperio Romano tolerantur) ſive etiam Zwinglianus, aut Anabaptiſta ſit. His præſcitis

421. Aſſero: Indifferentiſmus laxior, ſeu univerſalis ſuſtineri nequit. Ita Chriſtiani contra Libertinos laxos. P. 1. Non omnis Religio, licet credat in Deum, eſt a Deo: ergo neque ducit ad Deum: ergo non eſt perinde, utrum quis Judæus, Mahometanus, aut Chriſtianus ſit. Prima conſequentia liquet; non enim Deus probat, aut præmio afficit Religionem non a ſe, ſed Diabolo invectam, quæ Majeſtate ſua indignos, & rectæ rationi non concordes articulos præſcribit, ac ad ſcelera inducit. Probatur ergo antecedens: Religiones e. gr. Mahometana, & Chriſtiana docent contradictoria, & contraria: nempe Chriſtiana docet Deum Unum, & Trinum, Mahometana negat eum eſſe Trinum, & ſic plura tenent e Diametro contraria: atqui Deus non poteſt contraria, vel contradictoria dicere: ergo iſtæ diverſæ Religiones non poſſunt ambæ a Deo provenire. Et ſic poſſumus de omnibus diſcurrere.

P. 2.

P. 2. Qui non profitetur Deum unum, nec agnoſcit beneficium creationis, etiam juxta Adverſarios non poteſt ſalvari; quia Deum Creatorem non agnoſcens, non poteſt ipſi debitam ſervitutem exhibere: ergo nec ille ſalvari poteſt, qui non profitetur Chriſtum, nec agnoſcit beneficium Redemptionis; quia non agnoſcens Chriſtum Redemptorem, non poteſt ei debitam gratitudinem, & ſervitutem exhibere.

P. 3. Religio, quæ vel unam falſitatem docet, aut Leges contra rectam rationem, vel divinæ ſanctitati repugnantes habet, non poteſt eſſe vera, Deo placens, aut præmio ſalutis æternæ digna: atqui omnis Religio Pagana, ſeu non Chriſtiana docet unam, vel plures falſitates apertas, ac leges habet rectæ rationi, & ſanctitati divinæ diſſonas: Sic Mahometiſmus, & Judaiſmus nunc exſtans, non ſolum negant Divinitatem Chriſti, quæ tamen eſt evidenter credibilis, tum propter excellentem Chriſti ſe Deum aſſerentis ſanctitatem in moribus integerrimis, ſapientiam in ſermonibus, potentiam in miraculis innumeris: tum etiam propter ſimilem ſapientiam, ſanctitatem, & virtutem in doctrina Chriſti relucentem, ita, ut quamvis mundo, & inferno contraria, captuque difficillima docuerit, tamen per totum mundum propagata apud omnes nationes fuerit, non obſtantibus graviſſimis perſecutionibus.

Præter hæc aliæ Religiones docent quoque, vel permittunt peſſima circa mores. Mahometiſmus ſtatuit, felicitatem hominis conſiſtere in voluptatibus corporis, approbat libidines &c. Judaiſmus vero ſcatet inſulſiſſimis fabulis Talmudicis, v. g. Deum plures ante mundum conditum produxiſſe creaturas, ac iterum deſtruxiſſe, ut ſic addiſceret artem fabricandi mundum: Deum præcepiſſe Judæis, ut quocunque modo poſſent, nocerent Chriſtianis.

422. Objic. 1. Omnes cujuscunque ſectæ, etiam Judæi, & Saraceni, putant ſe habere veram Religionem: ergo ſi errant, errant tantum errore inculpabili. ℞. D. a. putant invincibiliter ſe habere veram Religionem n. a. errore vincibili c. a. Iis nitet ſignis & notis Religio Chriſtiana, ut in comparatione ejus nulla Religio Ethnica, Mahometana, vel Judaica poſſit eſſe probabilis: imo omnes hæ mentem applicanti fieri debent ſuſpectæ, & damnabiles. ℞. 2. Tr. a. D. c. errant errore inculpabili, ſi habent ignorantiam invincibilem c. c. ſecus n. c. Si aliquis ignorantia invincibili laboraret circa ſuam falſam Religionem, quam veram judicaret, & cæteroquin ea præſtaret, quæ ſunt neceſſitate medii requiſita, & lex naturæ dictat, talis utique

poſſet

possit salvari, non tamen virtute sectæ suæ, quæ semper falsa, & sine virtute salvandi permanet, sed per accidens.

Objic. 2. Eidem Principi terrestri placere possunt diversi ritus, quibus a diversis subditis nationibus colitur: ergo sic etiam Deo placere possunt diversi ritus, quibus in diversis Religionibus colitur. ℞. D. a. quamdiu Princeps non præcipit, ut quibusdam determinatis tantum ritibus colatur c. a. secus n. a. Deus autem jam determinavit, & revelavit ritus, quibus coli desiderat: nec alios oppositos potest velle, vel revelare, quia est infinite verax, qui non potest opposita docere, vel revelare.

Ex his inferes, solam Religionem Christianam esse veram. Id quod præter dicta maxime confirmatur ex dictis de Notis Ecclesiæ a N. Et magis patebit §. seq.

§. IV.

An inter varias Religiones Christianas liceat pro libitu quamlibet amplecti?

Assero 1. Non possunt salvari omnes, qui simpliciter & confuse tantum credunt in Christum, nec in particulari credunt præcipua de Christo mysteria. 423.

P. Si omnes salvari possent, qui credunt in Christum confuse, tunc potuerunt salvari omnes hæretici antiqui, qui fuerunt ætate Apostolorum, & in primitiva Ecclesia; sed hoc non possunt admittere isti Indifferentistæ: ergo &c. Major est certa: quia omnes hæretici saltem aliquo modo, & confuse crediderunt in Christum; alias non fuissent hæretici, sed omnino pagani. Minor stabilitur: Si Indifferentistæ sustinent, omnes hæreticos antiquos potuisse salvari in suis sectis, erroris damnant 1. Apostolos, qui hæreticos sunt acerrime persecuti, tanquam præcursores Antichristi, & Antichristos, eosque ut homines damnatos habebant; nam transmissis aliis S. Paulus ad Titum c. 3. ait: *Hæreticum hominem devita, sciens, quia subversus est, cum sit proprio judicio condemnatus.* Arguunt 2. totam, & universam primam Ecclesiam, quæ tamen juxta hos Indifferentistas fuit vera Ecclesia, & rejecit hæreticos antiquos. Arguunt 3. ipsum Christum, qui Matth. 18. hæreticum, quia non audit Ecclesiam, voluit haberi *sicut Ethnicum*, & Publicanum. Arguunt 4. ipsum quoque Deum, qui contra Sectarios, & hæreticos illos vaticiniis, & innumeris miraculis continuo pugnavit.

Confirmatur. Si verum eſt, omnes antiquos hæreticos, nimirum Arianos, Macedonianos, Neſtorianos, Eutychianos, Monothelitas, Pelagianos &c. potuiſſe ſalvari, infertur 1. vana fuiſſe omnia Concilia contra Sectarios tanto labore convocata. 2. Iniqua & inania fuiſſe tot anathemata, quæ lata ſunt a Conciliis contra hæreticos. 3. Deceptos fuiſſe tot Martyres, qui maluerunt vitam perdere, quam probare hæreſin. 4. Delirare omnes Chriſtianos, qui ſibi in rebus Fidei contradicunt, ſeque mutuo exagitant. 5. Inter Chriſtianos non reperiri poſſe ullum hæreticum, nullum Magiſtrum mendacem, nullum Pſeudoprophetam, lupum rapacem, qui alios pervertat; cum omnis Chriſtianus ſaltem confuſe confitetur Chriſtum: ad quid ergo Chriſtus Matth. 7. tam ſevere cavere præcepit: *attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces?* Quid veritatis habebunt illa Matth. 24. *Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos: in vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis?* Inferes etiam, crudeliter egiſſe Imperatores, & Pontifices, qui tot, & tam graves pœnas ſtatuerunt contra hæreticos.

424. Objic. 1. Marc. ult. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Joan. 2. *Ut omnis, qui credit in ipſum* (nempe Chriſtum) *non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum:* Sed omnes Chriſtiani ſunt baptizati, credunt in Chriſtum, & unum Deum: ergo omnes ſalvantur.

℞. D. m. credunt omnes in Chriſtum & unum Deum debito modo n. m. ſecus c. m. & n. conſ. Per hos & ſimiles textus probatur quidem, baptiſmum ad ſalutem eſſe neceſſarium, & Fidem in Chriſtum, & unum Deum; non tamen probatur hæc ſufficere: alias enim neque requireretur Fides in Spiritum Sanctum, vel reſurrectionem mortuorum. Debent igitur iſta præſtari, & credi, ſed etiam alia, quæ in aliis Scripturæ textibus vel revelantur, vel præcipiuntur, v. gr. debet etiam credi, & audiri una Eccleſia, & is, qui illam non audierit, habendus ſit ſicut Ethnicus, Matth. 18.

Objic. 2. Latro in cruce nil credidit præter Chriſtum, & tamen fuit ſalvatus: ergo qui credit in Chriſtum, ſalvabitur juxta illud Joan. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* ℞. D. a. Latro præter Chriſtum & Deum nihil credidit explicite c. a. implicite n. a. implicite credidit omnia, quæ Deus revelavit, quamvis ipſi necdum fuerint

fuerint cognita: explicite autem credidit quidem in Chriſtum tantum, cætera tamen adhuc credenda non negavit, ut faciunt Sectarii.

Objic. 3. Apoſtolus Corinthios vocat Sanctos propter invocationem nominis Jeſu, ſeu propter Fidem in Chriſtum, licet inter ipſos fuerint ſchiſmata: ergo etiam omnes moderni Chriſtiani, licet diſſecti in varias ſectas, erunt ſancti, & ſalvandi propter Fidem in Chriſtum. R. D. a licet fuerint ſchiſmata inter Corinthios, ſeu errores circa Fidem, aut res Fidei n. a. circa alia, quæ non tangunt Fidem c. a. Diſſenſio Corinthiorum non fuit circa puncta Fidei, ſed circa præſtantiam, & excellentiam eorum, qui ipſis prædicabant, dum quidam dicebant: *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ.* Et ſi fuiſſet etiam circa res Fidei, non tamen fuiſſent pertinaces, ut ſunt hæretici, ſed dociles, nec unquam res venit ad ſeparationem. Fuit ergo illa contentio, & diſſidium ambitionis; inter nos vero, & Sectarios eſt Fidei, & Religionis. Quin & inter ipſos Apoſtolos in primitiva Eccleſia ſæpius fuere diſſenſiones, & contentiones in quibusdam factis moralibus, vel in rebus Fidei nondum definitis, non vero in rebus Fidei jam definitis.

Aſſero 2. Neque poſſunt ſalvari omnes Lutherani, Calviniſtæ, Sacramentarii, Anabaptiſtæ &c. qui credunt diſtincte præcipuos articulos in Symbolo Apoſtolico comprehenſos. P. 1. In Eccleſia Chriſti, ſicut unus eſt Dominus, ita una eſt Fides; ſic enim ait Apoſtolus ad Epheſ. 4. ℣. 4. *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una Fides, unum baptiſma. Unus Deus, & Pater omnium.* Hoc eſt perinde, ac ſi Apoſtolus diceret: æque impoſſibile eſſe, plures dari Fides, & Religiones inter ſe oppoſitas, quam impoſſibile eſt dari plures, quam unum verum Deum, a quo vera Religio, & Eccleſia proveniat, & dirigatur: atqui in diverſis ſectis, quæ agnoſcunt Chriſtum, non eſt una Fides, & Religio; non enim Calviniſta fatebitur, ſe eandem Fidem cum Lutherano, Zwingliano, aut Catholico habere: neque Lutheranus fatebitur, ſibi Fidem communem eſſe cum omnibus Chriſtianis, &c. ergo.

425.

P. 2. Falſa Fides, eſt nulla fides; ſed qui habet nullam Fidem, non poteſt placere Deo, per conſequens nec ſalvari: ergo etiam qui habet falſam Fidem, non poteſt placere Deo, nec ſalvari. Sed plurimæ ſectæ Chriſtianorum neceſſario ſunt falſæ: imo omnes ſunt falſæ præter unam: ergo una tantum poteſt ſalvare. M. prob. implicat, plures Fides oppoſitas, & contradictoria docentes ſimul eſſe veras:

ſed tales ſunt diverſæ Fides, & Religiones Chriſtianorum diverſæ: ſic Religio Catholica docet, dari ſeptem Sacramenta a Chriſto inſtituta: Chriſtum vere eſſe præſentem in Euchariſtia ſtatim poſt conſecrationem: unicam tantum eſſe Religionem, nempe Catholicam, ſalvificam &c. hæc dogmata omnia impugnant Calviniſtæ, & Lutherani.

P. 3. Ut quis ſalvetur, non ſufficit, ſervare tantum unum, duo, vel tria mandata, ſed neceſſe eſt, ſervare omnia. Sic Matth. 19. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et Jac. 2. *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus; qui enim dixit, non mœchaberis, dixit &, non occides:* id eſt juxta Apoſtolum, punietur quaſi totius legis violator, qui in una transgreſſione contempſit ipſum Legislatorem: ergo a pari, neque ad ſalutem ſufficit, duos, vel tres, aut plures articulos credere, ſed neceſſe eſt, omnia, quæ Deus nobis revelavit, & Eccleſia ut revelata propoſuit, credere, & qui unum articulum negaverit, licet reliqua cuncta credat, factus eſt reus totius læſæ fidei; quia primam Veritatem Deum non minus contemnit, qui hunc, quam alios revelatos articulos non credit: inſuper contemnit & Eccleſiam proponentem, quæ eſt *columna, & firmamentum veritatis.* 1. Timoth. 3. Tales igitur, qui tantum aliqua credunt, alia reſpuunt, non credunt Fide divina, ſeu propter authoritatem divinam, quæ petit, ut omnia æqualiter credantur. quod jam pridem obſervavit S. Auguſtinus L. 13. contra Fauſtum c. 3. dicens: *Qui in Evangelio, quod vultis, creditis, quod non vultis, non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.*

P. 4. Non ſufficit ad ſalutem, ut apud ipſos Adverſarios in confeſſo eſt, credere, & colere Deum, ſive is verus, ſeu falſus ſit: ergo nec ſufficit, adhærere Religioni, ſeu hæc vera, ſeu falſa ſit, ſed una tantum vera eſſe poteſt: ergo uni tantum adhærendum eſt.

P. 5. Non omnes Sectæ, Chriſtiano nomine glorjantes, credunt præcipuos Articulos Symboli Apoſtolici, licet ſe jactent, vel ſimilent credere: ergo non in omnibus talibus ſectis reperitur ſalus. A. conſtat; nam non omnes ſectæ credunt articulos Symboli in eodem ſenſu (ut in peculiari libro oſtendit Forerus) v. gr. articulum *de deſcenſu Chriſti ad Inferos* aliter intelligunt Calviniſtæ, qui putant, ibi ſignificari, Chriſtum ſuſtinuiſſe tormenta damnatorum, & dubitaſſe de ſalute: aliter intelligunt Catholici, & Lutherani, qui expoſitionem Calvini, ut blaſphemam rejiciunt: aliter alii intelligunt, qui putant,

tant, Christum descendisse ad inferos, nil esse aliud, quam fuisse illatum sepulchro. Adde articulum: *credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*, quem, quamvis Sectarii verbis proferant, reapse tamen negant: quippe juxta ipsos *Sancta Ecclesia Catholica*, quæ primis post Christum trecentis, & amplius annis floruit, postea a vera Fide defecit, & facta adultera, multis sæculis in hoc adulterio perduravit: atqui Ecclesia, quæ deficit, & in tanta flagitia proruit, non est *Sancta*, *& Catholica*.

P. 6. Ex Adversariorum sententia deduci posset, & deberet 1, salvandos fore, nec hæreticos esse, qui negarent baptismum, & omnia Sacramenta: item peccatum originale, & gratiam internam: item Nestorianos, qui duas in Christo personas adstruunt; de his enim omnibus nihil Apostoli in Symbolo. Tali modo etiam Idololatræ salvari possent, nempe Catholici, quos Idololatras vocant, & censent Sectarii. Amabo! ad quid tanta dissidia, bella, & hominum strages in Germania Religionis reformandæ causa sunt excitatæ, si etiam in nostra antiqua, sicut in vestra Religione potuit salus reperiri?

426. Ex hactenus dictis deduces, etiam non recte fieri discrimen inter articulos Fidei substantiales, ac necessarios, & alios accidentales & Adiaphoros; nam omnes articuli, etiam minimi, a Deo infinite verace revelati, sunt æqualiter certi, & veri: ergo & omnes æqualiter certo credendi; nam negans quemcunque articulum, æqualiter spernit Veritatem primam divinam; quia eam fide non dignam judicaret. Nil dico, quod sic sentientes Adversarii non possint nobis indicare, quinam sint essentiales, & qui accidentales articuli; id enim neque ex Scriptura, neque ex alio fundamento determinare possunt.

Igitur concludo hucusque contra Libertinos disputata, tantum unam esse Religionem veram asserens, eamque existere Ipsam nostram Catholicam solam; Id enim Notæ nostræ Ecclesiæ, de quibus superius tractavi, luculenter ostendunt. Videatur ibi.

427. Objic. Ecclesia Judaica, quæ juxta Catholicos olim fuit vera, & umbra nostræ modernæ Ecclesiæ, plures habuit Sectas, easque toleravit ut bonas, scilicet Pharisæorum, Saducæorum, Essenorum: ergo etiam Christiana Religio potest esse vera, quamvis plures secum toleret Sectas ut bonas. R. N. c. & parit. Diversitas Sectarum in Synagoga Judaica nihil facit ad rem, quia hæ sectæ omnes convenie-

bant in iis, quæ ad substantiam pertinebant, & pro articulis Fidei definita erant, excepta Secta Saducæorum, qui probabilius fuerunt homines athei, ut testatur Josephus L. 2. de Bello Judaico; negarunt enim Resurrectionem, Angelos, Spiritus, teste D. Luca Act. 23. qui proinde cum fidelibus Judæis non constituerunt unam Ecclesiam. Pari modo nec Judæi, Mahometani, Ethnici cum Christianis possunt constituere unam Religionem, quia etiam differunt in substantialibus tam Fidei dogmatis, quam morum præceptis, atque in iis rebus, quæ pro Fidei articulis sunt definitæ.

Hic tandem finem impono primo Tomo Theologiæ Dogmatico-Scholasticæ: quem lubens, sicut & omnia mea antea scripta, & posthac scribenda, altissimo judicio, & correctioni Sedis Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ, ut filius ejus infimus, subjecta animo demississimo volo.

Index
Verborum, & Rerum notabilium
I. Tomi Theologiæ,
seu
Prolegomenorum.

A.

Quæ

B.

S. Boni-

C.

H.

K.

L.

M.

N.

Paschalis

Lectio

Stephanus

U.

W.

Z.

Menda fic emenda.

Pag.	Linea		Lege:
20.	26.	repugnet.	repugnat.
— 44.	— 1.	mendatur.	— mentatur.
— 45.	— 24.	Scriptus.	— Scriptur.
— 45.	— 32.	ab.	— ad.
— 84.	— 18.	Beræenfis.	— Beræenfes.
— 87.	— 13.	Forfam.	— Forfan.
— 98.	— 20.	Hebraice, & Chaldaice.	— Hebraicæ, & Chaldaicæ.
— 113.	— 23.	Libros.	— Liberos.
— 114.	— 18.	Promiffæ.	— Permiffæ.
— 128.	— 15.	Sæculi.	— Sæculo.
— 140.	— 29.	Ordinatæ.	— Ordinata.
— 151.	— 16.	Eft.	— Et.
— 153.	— 17.	Cæleftinus.	— Cœleftius.
— 155.	— 23.	Con.	— Conc.
— 169.	— 22.	Omnino.	— Omnino neceffe.
— 171.	— 1.	hæc.	— hæ.
— 176.	— 23.	Perebit.	— Peribit.
— 179.	— 39.	Helvetii.	— Helveti.
— 182.	— 18.	Externæ.	— Externa.
— 184.	— 12.	Videatur.	— videantur.
— 187.	— 9.	agud.	— apud.
— 190.	— 7. & 8.	Vævæ.	— Veræ.
— 192.	— 30.	Eft.	— Ex.
— 200.	— 12.	Memento.	— Momento.
— 205.	— 7.	Hanc.	— Hac.
— 226.	— 36.	alius.	— aliis.
— 228.	— 30.	Eumque.	— Cumque.
— 239.	— 7.	Suo.	— Sui.
— ead.	— 30.	Non abfens.	— abfens.
— 243.	— 18.	Domine.	— Domino.
— 266.	— 25. & 26.	Re-quis	— Re-liquis.
— 276.	— penultima.	Si talis.	— talis.
— 279.	— 8.	temerariam fic.	— temerariam ut fic.
— 286.	— 3.	fub 85.	— fub n. 85.
— 288.	— 35.	Cardinale.	— Cardinalis.
— 290.	— 33.	Cano-	— Canoni-

Pag. 304.

Menda ſic emenda.

Pap.	Linea		Lege:
304.	36.	Vocatus.	Vocatur.
314.	23.	Noviſſim.	Noviſſem.
316.	35.	Epiſcopo-rum.	Epiſcopum.
326.	36.	agit.	Egit.
334.	penult.	Impera-torem.	Imperatorum..
340.	ante penult.	Oecumenica.	Oecumenica: atqui &c.
348.	11.	N.	N. 78.
351.	7.	Cenſenſum.	Conſenſum.
364.	7.	Pedes.	Petes.
368.	16.	Sardini.	Sandini.
373.	23.	Docebat.	Docebant.
ead.	27.	Pontificus.	Pontificibus.
376.	31.	Defenſis.	Defenſa.
377.	4.	Scholis.	Scholiis.
382.	28.	Polycarpus.	S. Polycarpus.
395.	31.	Orrores.	Errores.
405.	in margine ad notas Criticas deeſt N. 256.		
420.	21.	Edidi.	Editi.
423.	19.	quam.	Nam.
427.	1.	Deprehen-di.	Reprehendi.
431.	31.	Laudat.	Laudet.
432.	ante penult.	S. Bonifacius.	S. Bonifacius I.
467.	11.	Juſtini.	Juſtiniani.
476.	2.	attenden-das.	attendendum.
480.	19.	N.	N. 178. & ſeq.
484.	4.	Didum.	Dictum.
489.	11.	Sanbi.	Sancti.
495.	12.	Canonem.	Cononum.
501.	12.	Adjudicare.	Abjudicare.
513.	11.	Uphilam. &.	Uphilam, &
516.	8.	Marociæ,	Maroziæ.
517.	33.	Allias.	alias.

Pag.	Linea		Lege:
Pag. 538.	Linea	6. Omnes Innocentium.	Lege: Omnes usque ad Innocentium.
— ead.	—	24. Lectione	——— Electione.
— 558.	—	10. Bernardio.	——— Bernardino.
— 576.	—	31. Edicti.	——— Editi.
— 580.	—	29. Imperfectæ.	——— Imperfecta.
— 583.	—	13. Italia.	——— Italica.
— 590.	—	30. Cor-	——— Cori-
— 591.	—	29. Alexander.	——— Alexandro.
— 596.	—	12. Decimam quartam.	——— Decimam tertiam.
— 620.	—	antepenult. ut est.	——— ut videre est.
— 634.	—	5. Judicis.	——— Indicis.
— Eadem,	—	28. Negat.	——— Neget.
— 641.	—	12. à N.	——— à N. 108.
— Eadem,	—	28. nomines.	——— Homines.
— 642.	—	11. Confitetur.	——— Confiteatur.

NB. Præter hæc notata errata vel mea, vel mei Amanuensis Incuria, etiam aliqua in Numerum, et Ordinem Schismatum irrepsére, quæ uti quædam alia, quæ fors corrigentis Industriam, et Advertentiam fugerunt, ut prudens, & benevolus Lector ipsus emendet, rogo.

R.P. & J C R
THEOL. UNJVERSA
TOMUS. I.